Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library

ELEMENTA
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

TOMUS I

Droits de propriété et de traduction réservés.

ELEMENTA

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

E

PROBATIS AUCTORIBUS COLLECTA

ET

DIVINI VERBI MINISTERIO

ACCOMMODATA

opera Francisci Xaverii SCHOUPPE, S. J.

O Timothee depositum custodi.
I. Tim. VI. 20.

LERICS LIBRARY
THEOLOGIANS
O. F. M.
ROV. S. BARBARAE

TOMUS I

Tractatus de Principiis Theologicis ; de Religione Christiana; de Ecclesia; de Regula Fidei; de Deo Divinisque attributis; de SS. Trinitate ; de Creatione et Peccato originali; de Incarnatione.

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS
BIBL. STUD. O. F. M. CALIFORNIA
PROV. S. BARBARAE
SIGILL. COMMISS. CALIF. PROV. SS. CORDIS JESU O. F. M.
BIBL. STUD. O. F. M. F. M. CALIFORNIA PROV. S. BARBARAE

EDITIO VIGESIMA SEXTA

LIBRAIRIE DELHOMME ET BRIGUET

J. BRIGUET, Éditeur

PARIS
83, rue de Rennes, 83

LYON
3, avenue de l'Archevêché, 3

BRUXELLES. — Société Belge de Librairie (ancienne Maison Goemare).

#430

Epistola Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX.

—

Admodum Reverende Pater Observantissime,

Sanctissimus Dominus Pius IX tua *Elementa theologiæ dogmaticæ*, tuamque *Evangeliorum expositionem per singulos dies anni festos* libentissime excepit. Gratulatur autem tibi, quod in prioribus, ita paucis omnia scitu necessaria complecti curaveris, ut qui positi sunt Magistri in Israel non modo perspicuitatem, ordinem ubertatemque lucubrationis commendaverint, sed opus præterea accommodatissimum censuerint juniori clero sacris disciplinis rite imbuendo non minus quam opportunitati maturioris.

Acceptissimumque etiam habuit quod, Ecclesiæ ministris juxta et christiano populo consulturus, commentaria in Evangelio, e Sacrorum Patrum sententiis deprompta, ita digesseris, ut aptam paratamque materiam exhibere possent homiliis per singulos festos habendis.

Et quoniam nonnisi spirituale fidelium emolumentum ex ipsa operum indole, te spectasse animadvertit; illud me tibi amplissimum ominari jussit nomine suo, simulque gratias agere de oblatis voluminibus; auspicem vero divini favoris paternæque suæ benevolentiæ pignus nuntiare Benedictionem Apostolicam, quam tibi peramanter impertit.

Quod dum ultro libenterque perficio, peculiaris observantiæ meæ æstimationisque officia tibi exhibere gaudeo, cui adprecor a Deo fausta omnia et salutaria.

Tui, Admodum Reverende Pater Observantissime,

Addictissimus Observantissimus famulus

FRANCISCUS MERCURELLI

Sanctissimi Domini Nostri ab epistolis latinis.

Romæ, die 30 Octobris 1867.

Admodum Reverendo Patri Observantissimo, Patri Francisco-Xaverio Schouppe, professori Theol. dogm. et S. Scripturæ. Leodium.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS PRIOR.

—

THEOLOGIA GENERALIS.

Facultas R. P. Provincialis.

Ego Fridericus Bossaert, Societatis Jesu in Provincia Belgica Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. Revdo P. Petro Beckx, ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus: *Elementa Theologiæ dogmaticæ, e probatis auctoribus collecta, et divini verbi ministerio accommodata, opera P. F.-X. Schouppe, S. J.*, ab aliquot ejusdem Societatis Theologis recognitum et approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 17 Julii 1861.

(L. S.) BOSSAERT.

Approbatio Ordinarii

Imprimatur.

Mechliniæ, die 22 Julii 1861

J. B. VAN HEMEL. Vic. Gen.

Epistola illustrissimi Domini DE MONTPELLIER, Episcopi Leodiensis.

Reverendo Patri F.-X. SCHOUPPE, S. J. presbytero,
S. Theologiæ Lectori.

Reverende Pater,

Opus tuum, *Elementa Theologiæ Dogmaticæ* quod mihi misisti, perlibenter accepi, multamque tibi de hoc tuo munere gratiam habeo. Illud jampridem reposui inter eos libros, quibus utor singulis fere diebus; eoque libentius idem sæpe volvo, quod numero paginarum exiguo maximam continet copiam doctrinarum. Quum scriberes hæc Elementa, cogitasti, credo, de commodis eorum, qui sacro ministerio addicti, temporis angustiis præpediuntur, quominus latos scientiæ theologicæ fluvios adeant, e rivulis tamen ejusdem sacros latices haurire coguntur. Multa sane, mea quidem sententia, ejusmodi sacerdotes ad adeundos tuos fontes hortantur: doctrinæ scilicet ubertas ac puritas, sermonis accurati et compendiosi perspicuitas, res in optimum ordinem digestæ, ita ut totius Fidei catholicæ expositionem sine ullo, ut ita dicam, negotio intelligant, et memoria teneant, atque eamdem fidelibus sibi concreditis pure ac limpide valeant propinare. Quanti tandem Elementa tua Theologiæ dogmaticæ faciam, vel ex hoc intelliges, quod, ut Enchiridion ad addiscendam hanc sacræ scientiæ præcipuam partem, eadem alumnis seminarii mei Leodiensis tradere non dubitaverim.

Persuasum habeas velim nihil mihi gratius esse, quam ut meæ existimationis et dilectionis in Christo sensus tibi significem.

Reverende Pater, etc.

† THEODORUS, Episc. Leodiensis.

Leodii, hac 30 Octobris 1882.

Epistola illustrissimi Domini DELEBECQUE, Episcopi Gandavensis.

Rev. Patri Francisco Xav. SCHOUPPE, Societatis Jesu presbytero, S. Theologiæ in Lovaniensi præfatæ Societatis collegio Lectori.

Reverende Pater,

Quod jamdiu in votis erat, quodque in scholis theologicis desiderabatur, compendium scilicet Theologiæ dogmaticæ præsentibus Ecclesiæ necessitatibus accommodatum, id studio ac opera tua perfectum est. *Elementa* hæc *Theologiæ dogmaticæ*, materiarum pondere, sanæque doctrinæ eloquiis vere conspicua, stylo brevi, claro ac facili, optima a te methodo redacta, tanta ego mentis voluptate perlegi, tamque apta judicavi ad clericos ad scientiam Theologiæ dogmaticæ præparandos ac informandos, ut librum hunc alumnis majoris mei Seminarii in schola prælegi voluerim atque decreverim. De hoc ingenii ac laboris tui fructu dum tibi ex corde congratulor, infinitam Dei bonitatem enixe deprecor, ut ad majorem suam gloriam, animarumque subsidium, ac diœcesis meæ, in qua natus es, bonum, Reverentiam tuam diu sospitem servare dignetur.

Interim peramanter subscribor,

Rev. tuæ,

humillimus in Christo servus,

† LUDOVICUS JOSEPHUS. Episc. Gand.

Gandavi, in festo S. Franc.-Xav. 1862.

Epistola illustrissimi Domini MALOU, Episcopi Brugensis.

Reverendo Patri Franc.-xav. SCHOUPPE, Lovanii.

Brugis, 25 Decembris 1862.

Reverende Pater,

Quia sacerdotibus, cura animarum onustis, plerumque, deficiente tempore, non licet latissimos sacræ theologiæ dogmaticæ campos per se ipsos perlustrare, tu *Elementa theologiæ dogmaticæ* scribendo, iisdem veluti in hortulo congestos obtulisti flosculos et fructus, quos pro te ipso, inter magnas sacræ doctrinæ segetes collegeras.

Id cum eo judicio et ea docendi peritia, quibus a Deo præditus es, faciendo, rem fecisti Ecclesiæ gratam, et clero regulari ac sæculari profecto utilissimam. Porro eventus jam probat te metam attigisse ; etenim prima editio *Elementorum* tuorum, etsi nuper impressa, jam tota distracta est, et secunda editio, ut audio, mox in publicum prodibit.

Nec miror ; siquidem, librum tuum perlegendo, ipse observavi, quanta cum sagacitate et eruditione et sobria abundantia eum composuisti ; a novitatibus abhorrendo et adamussim sequendo sacræ theologiæ immortales magistros, S. Augustinum et S. Thomam Aquinatem, nec non scholæ principes doctores, D. Petavium, F. Suarezium, ut cæteros mittam.

Tibi igitur, reverende Pater, ex corde gratulor ob editum hunc tuum librum, et insuper opto, ut ille idem liber etiam in posterum fructus proferat uberrimos.

Interea noveris me tibi in Christo addictissimum.

† J. B. Episc. Brugens.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS PRIOR.

THEOLOGIA GENERALIS.

Tractatus primus.

PROLEGOMENA

DE PRINCIPIIS THEOLOGICIS.

INTRODUCTIO.

§ 1. Tractatus argumentum.

1. Cum tractatus initialis locum introductionis teneat, ideo *Prolegomenorum* titulo inscribitur. Continet enim præambula quædam, quæ viam ad ipsam Theologiam aperiunt et sternunt.

2. Notiones scilicet ab initio traduntur præviæ, quibus Theologiæ candidatus instructus esse debet, ut facili faustoque gressu in theologicis disciplinis procedat. In omni namque opere suscipiendo, quidam veluti apparatus prærequiri solent; exempli gratia, qui ædificium construendum aggreditur, ille prius formam, locum, materiam et instrumenta comparare debet, quam ipsius ædificii jaciat fundamenta. — Quemadmodum etiam ille, qui regionem quampiam perlustrare vult et cognoscere, prævie quædam necessaria, ut libros tabulasque geographicas, optica quoque instrumenta sibi comparat, ac itinerarium sibi sequendum præstituit, ut non errabundus, sed certis viis, et cum jucunditate suum iter conficiat; ita nobis, sacræ Theologiæ campum ingressuris, notiones præviæ sunt comparandæ, ut cum luce, facilitate, profectu atque jucunditate præstantissimum hunc scientiæ cursum peragamus.

3. Idem quoque initialis tractatus inscribitur, *De principiis theologicis:* quia in eo notiones traduntur, quæ prima elementa ac veluti rudimenta sunt, a quibus exordiri sacra hæc institutio debet, simulque fundamentales veritates aperiuntur, seu principia logica, quibus tota Theologia innititur, et fundatur.

§ 2. Tractatus divisio.

4. Reduci possunt *prolegomena* hujusmodi ad quatuor capita, quibus Theologiæ notio, subsidia, historia et methodus continentur.

5. Ad Theologiæ notionem spectat, quid ipsa Theologia sit, quis finis, quodque objectum ejus. — Subsidia sunt quæcumque media, quibus ad finem consequendum Theologia utitur. — Historia ostendit qua ratione theologicæ disciplinæ ante nos fuerint tractatæ.— Methodus demum modum aperit, quo eædem disciplinæ tractari debeant a nobis.

6. Hinc præsentis tractatus divisio :

Caput I, *de theologiæ notione.*
Caput II, *de ejus subsidiis.*
Caput III, *de ejus historia.*
Caput IV, *de ejus methodo.*

CAPUT PRIMUM.

DE THEOLOGIÆ NOTIONE.

7. Ut plene et dilucide Theologiæ notio concipiatur, sequentia distinctis articulis videntur exponenda.

Articulus I, *de Theologiæ definitione et objecto.*
Articulus II, *de differentia Theologiam inter et Philosophiam.*
Articulus III, *de Theologiæ divisionibus seu speciebus.*
Articulus IV, *de Theologia positiva et scholastica.*
Articulus V, *de Theologiæ utilitate et fine.*

ARTICULUS I.

DE THEOLOGIÆ DEFINITIONE ET OBJECTO.

8. Merito sapientes admonent, teste Petavio [1], ut scientiæ de qua tractaturi sumus vocabulum ipsum præprimis interpretemur, quod eo plerumque natura illius et proprietates contineantur. Quapropter exponendum est, primo statim in limine, tum quid *nominis* Theologia sit, tum quid *rei* per illud proprie significetur.

9. *Theologiæ* vocabulum etymo græcum, e vocibus Θεός et λόγος compositum est; unde vi nominis idem sonat ac *sermo de Deo; ratio, cognitio, scientia de Deo;* λόγος enim *verbum*, tum externum tum etiam internum, id est, cogitationem et *cognitionem* significat.

10. Ex hac nominis derivatione multiplex manavit ejusdem *acceptio*.— 1° Prima quidem *latissima*, qua Theologia designat quemcumque sermonem, discursum seu tractationem de Deo, aut de quavis divinitate seu vera seu commentitia. — 2° Altera *strictissima*, qua Theologia apud SS. Patres olim solam tractationem de Deo et de divinis Personis designabat; dum *Œconomiam* vocarent tractationem de Incarnatione Verbi, de hominis reparatione ac toto salutis ordine. Tali sensu vox Theologia primum apud Christianos occurrit. Hac quoque rigidissima acceptione S. Joannes Evangelista et S. Gregorius Nazianzenus, speciali quadam excellentiæ prærogativa, *Theologi* nomen veluti per antonomasiam obtinuere; quod ille, præ reliquis Evangelistis, Verbi divinitatem luculentius expresserit, hic

[1] Tom. I, *De Deo*, proleg. c. 1. — Tull. *De offic.*, l. 1, c. 2.

vero, inter ceteros Ecclesiæ Doctores, saltem græcos anteriores, graviori sublimiorique stylo suis in scriptis eamdem vindicaverit.

11. 3° Tertia acceptio *propria* est, *generica* tamen, qua definitur Theologia, objective quidem : *Complexus veritatum Religionis demonstratarum ;* subjective vero : *Scientia Religionis, cum rationis, tum præcipue revelationis ope acquisita.*

12. Dicitur scientia *Religionis,* id est, eorum quæ ad Dei cognitionem et cultum spectant. — Hinc *objectum* Theologiæ materiale, non tantum est ipse Deus, qui tamen ejus objectum *primarium* merito dicitur : sed etiam, licet secundario, ipsæ creaturæ, quatenus speciali quodam modo conducunt ad Deum, vel clarius cognoscendum, vel impensius colendum. Cum autem tota Religio præcipue in fide objectiva seu revelatione contineatur, hinc fit, ut objectum theologiæ non raro dicatur esse Fides. Quare et Theologia ipsa pro scientia revelationis subinde accipitur.

13. Dicitur : *cum rationis, tum præcipue revelationis ope acquisita,* ut indicetur objectum formale, seu principia quibus innititur. Hæc *præcipue* sunt veritates revelatæ : imo passim auctores statuunt, Theologiæ principia esse essentialiter, saltem partim, revelata : quod in ea Theologiæ parte, quæ *specialis* ac strictiore sensu Theologia vocatur, admitti debet. At vero, quoniam principia rationis etiam adhibentur, in ea præsertim parte quæ Theologia *generalis* dicitur, ideo utraque principia conjunctim in definitione indicantur.

14. Dicitur *scientia,* non *cognitio* vulgaris, a qua differt essentialiter. Hæc enim est nuda rerum notitia et quasi memoria ; scientia vero est cognitio erudita, cujus proprium est rem in suis rationibus cognoscere. Unde scientia Religionis non tantum veritates Fidei cognoscit, sed et earum rationes et nexum percipit, notas varias ac pulchritudinem distinguit, ex iisque consectaria et conclusiones deducit, quibus, ut ait S. Augustinus, *fides gignitur, nutritur, defenditur, ac roboratur* [1].

15. Dicitur et est, ut recte S. Thomas [2] et alii communissime contra Durandum, vere et absolute *scientia ;* cum sit cognitio certa et æquivalenter evidens, per discursum virtualiter demonstrativum comparata. Auctores qui nomen scientiæ rejiciunt, illud cum Aristotele sensu accipiunt strictissimo, quatenus principia formaliter evidentia supponit. At hujusmodi evidentia formalis, non de essentia est scientiæ cujuscumque, sed solius scientiæ pure naturalis. Ad essentiam enim scientiæ, generaliter acceptæ, tantum pertinet certitudo inconcussa, quam sane Theologia in principiorum revelatorum infallibilitate summam habet.

[1] *De Trinit.* l. 14, c. 1, — [2] 1 p. q. 1, art. 2.

16. Dixi evidentiam non esse de essentia scientiæ cujuscumque, seu in genere spectatæ : hæc enim recte definitur : *Cognitio certa per causas seu principia*. Hujusmodi autem principia possunt esse, vel intrinseca et a priori, vel extrinseca ; — possunt quoque esse, vel solius rationis humanæ, vel solius revelationis, vel mixta ex utroque fonte ; quæcumque autem sint, modo inconcussa certitudine gaudeant, ad essentiam scientiæ non refert.

17. Hanc tertiam Theologiæ acceptionem, licet propria sit, diximus tamen esse genericam : cum sub se varias contineat species quæ infra explicabuntur.

ARTICULUS II.

DIFFERENTIA THEOLOGIAM INTER ET PHILOSOPHIAM [1].

18. Theologia et Philosophia ita inter se differunt, ut una alteri nequaquam adversetur.

19. 1° Dico has duas scientias differre, et quidem essentialiter : quod ex utriusque comparatione palam fiet. Philosophia namque, stricte et proprie sumpta, est *scientia veri et boni solius ordinis naturalis, et ope solius rationis acquisita*. Theologia vero est *scientia Religionis, tum rationis, tum præsertim revelationis ope acquisita*. Hinc patet Philosophiam esse undequaque naturalem, Theologiam vero esse scientiam supernaturalem.

20. Philosophia est naturalis undequaque, scilicet tam ratione objecti materialis, quam formalis seu principiorum.

21. Theologia vero supernaturalis est, sive consideretur ea pars quæ *generalis* dicitur, sive altera quæ dicitur *specialis*.

22. Theologia generalis dicta, est supernaturalis ratione objecti materialis, quod in facto consistit supernaturalis revelationis ; tota enim in eo versatur, ut veram revelationem ac religionem supernaturalem demonstret.

23. Theologia specialis et stricte dicta, supernaturalis est quantum ad principia attinet ; hæc enim ex divina revelatione desumit, quibus saltem partim insistendo, universa Fidei dogmata probat et illustrat. Dico *saltem partim*, quia ad conclusionem theologicam sufficit, ut una præmissarum sit revelata aut ex revelatis deducta, altera interim naturaliter evidente. — Quod spectat ad objecta materialia Theologiæ specialis, hæc maxima quidem parte sunt supernaturalia, ut Gratia, Sacramenta, etc. ; quædam tamen etiam naturalis ordinis pertractat, qualia sunt attributa divina, lex moralis, etc. ; in quibus Philosophia cum Theologia convenit : ita ut objectum materiale Philosophiæ et Theologiæ partim coincidant, partim se invicem

[1] Cfr. Constitutio Concilii Vaticani *Dei filius*, cap. IV ; *De fide et ratione*.

excedant, habeantque se velut duo circuli ex parte tantum superpositi.

24. 2° Differunt itaque Theologia et Philosophia inter se, tum ratione objecti, tum ratione principiorum ; ita tamen differunt, ut nequaquam una alteri adversetur. Non enim discrepant sicut lux a tenebris, verum sicut lumen a lumine ; adeo ut, nedum inter se pugnent, amico potius nexu et mutua relatione jungantur. Etenim se invicem adjuvant, ita ut Philosophia Theologiæ subserviat, eique velut ancilla famuletur ; Theologia autem vicissim Philosophiam custodiat, illustret et coronet.

25. Philosophia instructus supponitur Theologiæ discipulus, eamque ad manum habere debet. Per eam primum manuductus, ad revelationem christianam, seu ad divinam Christi missionem agnoscendam perveniet. A Christo ad Ecclesiam suam remittitur, ad quam inveniendam simul viam docetur indubiam. Hanc viam ingreditur Philosophia adjutus, donec ad Ecclesiæ oraculum perveniat. — Tunc puro Dei verbo auscultat Theologus illudque perpendit ; Philosophia interim tacente, nisi quod interdum, ad verbum Dei confirmandum aut illustrandum, rationis quoque momenta adjiciat [1].

ARTICULUS III.

DE THEOLOGIÆ DIVISIONIBUS SEU SPECIEBUS.

26. Divisio vulgaris Theologiam ratione materiæ distinguit in *dogmaticam* et *moralem ;* vel etiam, loco *dogmaticæ* ponendo partes duas quas ipsa continet, in *positivam*, *scholasticam* et *moralem*.

27. Completius autem et distinctius dividitur Theologia, 1° ratione originis, 2° ratione materiæ, 3° ratione fontium, 4° ratione methodi [2].

28. 1° Ratione originis dividitur in naturalem et supernaturalem. *Naturalis* ea est, quæ solo naturali lumine ducitur, nititurque principiis itidem mere naturalibus. Hæc metaphysicæ par-

[1] « L'homme, selon la loi ordinaire, se rapproche de Dieu par trois degrés : la « raison, qui le conduit jusqu'à la certitude de l'institution divine de l'Eglise; « l'Eglise et la raison, qui le conduisent jusqu'à la certitude de l'existence du *sur-* « *naturel ;* le surnaturel, qui le relie directement à Dieu, son premier principe « et sa dernière fin.— L'intelligence chrétienne possède en son entier cette chaîne « merveilleuse. Par la raison elle ne reste étrangère à aucune partie des connais- « sances humaines ; elle en parcourt le vaste champ avec une pleine liberté; elle « soumet au contrôle d'une logique sévère le grand fait du christianisme, les preu- « ves de sa divine origine, ses enseignements les plus élevés. Par l'Eglise et par « le *surnaturel*, c'est-à-dire par la *Révélation* préalablement démontrée, elle a un « guide sûr dans l'ordre purement naturel ; de plus un horizon sans bornes de « vérités sublimes se développe devant elle. » P. Godfroy, *de l'exég. rationaliste, Etudes théol.* etc. des PP. Daniel et Gagarin, tom. I.

[2] Cfr. Zaccaria, *Thesaur. theol.*, tom. I, diss. 1.

tem constituit, quæ de Deo disputat et *Theodicea* vocatur, ac non nisi lato sensu ad Theologiam pertinere intelligitur, sed proprie Philosophiæ accensenda est. — *Supernaturalis*, quæ jure merito venit antonomastice Theologiæ nomine, potissimum innititur principiis, per divinam revelationem supernique luminis adjutorium cognitis. — Theologia porro supernaturalis, alia dicitur *Beatorum*, qui lumine gloriæ perfusi, Deumque de facie ad faciem intuentes, de divinis ejus perfectionibus discursus, utique certissimos ac evidentissimos, efformant: alia *Viatorum*, per quam nos mortales, etiam nunc in corpore constituti, Deumque duntaxat subobscura fidei luce, aliove tenui superni fulgoris radio, velut *per speculum in ænigmate* cognoscentes, de ipso et rebus ad illum pertinentibus, ex principiis ab illo supremo lumine acceptis, recte disserimus. — Theologia Viatorum alia denuo dicitur *infusa*, alia *acquisita*, prout vel proprio labore, industria, studio acquiritur a nobis, superiori illi luci cooperantibus; vel, seclusis illis prioribus, a Deo specialiter infunditur, quemadmodum infusa fuit Apostolis, cum *repleti Spiritu sancto cœperunt loqui magnalia Dei*, et abstrusa divinitatis mysteria explicare, quos idcirco auctor libri *De divinis nominibus* Theologis in S. Petro annumerat, cum hunc velut illorum verticem, *supremum decus, et antiquissimorum Theologorum culmen appellat.*

29. 2° Ratione materiæ, dividitur in *speculativam* seu *theoreticam* et *practicam;* vel, quod idem est, in *dogmaticam* et *moralem*. — Speculativa res credendas, practica vero applicationem continet veritatum credendarum ad actiones.

30. 1) *Speculativa* vocatur *a*) vel *positiva* vel *scholastica*, prout circa substantiam dogmatum versatur, vel circa eorum illustrationem. — Dicitur *b*) *apologetica, polemica* vel *irenica*, prout dogmata a calumniis vindicat, adversus hostes defendit, vel pacifice pertractat. — Est *c*) vel *generalis* vel *specialis*. Generalis principia fidei generalia demonstrat, per principia rationis, quibus credibilitatis motiva expendit. Specialis vero, principia fidei particularia, seu dogmata singula perpendit et illustrat. Hæc, ut supra dictum est, *Theologia stricto sensu* sæpe vocatur, dum illa generalis tantum consideratur ut præambulum.

31. 2) *Practica*, seu *Moralis*, ea docet quæ ad conscientiam moresque formandos pertinent. Differt ab *Ethica*, eo quod non tantum principiis rationis, sed præcipue principiis revelatis insistit. Subdivisiones sunt: Speculativo-practica, pure practica seu Casuistica, Ascetica, Mystica, Pastoralis, Mariana.

32. a) *Speculativo-practica* circa principia moralia primaria, seu generalia versatur.

33. b) *Casuistica* vero circa principia particularia et eorum applicationem

34. c) *Ascetica* seu ascesis, media docet quibus morum sanctitudo comparari, augeri ac perfici debeat. Definiri potest: *Scientia*, vel etiam, *ars sanctificationis;* cujus objectum est hominem deducere ad perfectam sanctitatem, quæ aliud non est quam *pura charitas*, seu charitas ab omni terreno inquinamento defæcata. — Si integra consideretur ascesis, quinque partes complectitur. Prima pars, quæ negativa est, reducit hominem ex aberratione peccati, eumque in via statuit justitiæ ac sanctitatis. Secunda pars media progrediendi exponit, orationem, sacramenta, etc. Tertia pars tollit impedimenta, tum externa tum interna, quæ in sensibus et passionibus sita sunt. Quarta pars virtutes varias docet quæ ad charitatem perfectam inducunt. Quinta demum informat ad purissimam charitatem; in quo et cum Mystica convenit. — Hæ quinque partes referri possunt ad *tres*, ut aiunt, *ascelicas vias;* ita ut 1ª pars ad viam *purgativam*, 2ª, 3ª et 4ª ad *illuminativam*, 5ª *ad unitivam* pertineat [1].

35. d) Theologia *mystica* de contemplatione tractat et sublimiore commercio cum Deo in oratione, nec non de animarum in viis extraordinariis directione. — In hac excelluerunt S. Bonaventura, S. Joannes a Cruce, S. Teresia, præsertim in *Castello animæ;* S. Franciscus Salesius in tractatu *de amore divino* [2].

36. e) *Pastoralis*, ad quam refertur *Ritualis*, est scientia rituum, cæremoniarum et aliarum rerum quæ ad sacrum ministerium et animarum curam pertinent.

37. f) *Mariana* [3] vocatur theologica scientia, quæ de cultu disserit B. Mariæ Virginis, et in ejus laudibus occupatur.

38. 3° Ratione fontium, qui sunt Scriptura et Traditio, Theologia dividitur in scripturalem, patristicam, symbolicam, liturgicam et synodicam. — *Scripturalis* seu *scripturistica*, verum Scripturæ sensum investigat; complectiturque *hermeneuticam*, quæ regulas interpretationis exponit, et *exegeticam* seu *exegesin*, quæ easdem regulas practice applicat. — *Patristica* doctrinam SS. Patrum ex eorum scriptis disquirit. Hæc ne confundatur cum *Patrologia*, quæ scripta SS. Patrum genuina novit et a spuriis discernit. — *Symbolica* doctrinam fidei eruit e Symbolis. *Liturgica* eamdem colligit ex liturgiis, sicut *Synodica* et *Historica* ex synodicis et historicis monumentis.

39. 4° Ratione methodi et elocutionis, Theologia est *concionalis*,

[1] Cfr. Neumayr, *Idea Theologiæ ascelicæ;* — Scaramelli, *Directorium asceticum*, opus ad dirigendas animas per vias ordinarias utilissimum,

[2] Opera in hoc genere utilissima quoque sunt. Schram, *Theologia myst.;* — Scaramelli, *Directorium mysticum;* Amort, *De revelationibus regulæ tutæ;* — Alvarez de Paz, *De perfectione spirit.*, tom III; — S. Bernardus, *in Cantica Canticorum.*

[3] Quæ tamen ad Asceticam reduci potest, ut nobilissima ejus species.

cujusmodi apud multos Patres ; vel *homilitica*, vel *parænetica*, vel *catechetica* et *popularis*, prout dicendi formam induit illis nominibus congruam.

ARTICULUS IV.

DE THEOLOGIA POSITIVA ET SCHOLASTICA.

40. Theologia speculativa seu *dogmatica*, ut supra vidimus, complectitur *positivam* et *scholasticam ;* quæ divisio recta videtur et tenenda. Nonnulli quidem auctores positivam a dogmatica distinguunt, non tanquam speciem a genere, sed tanquam speciem a specie, partem a parte. Ex eorum mente, positiva ea est, quæ expositionem dogmatum seu veritatum revelatarum tradit, earumque probationem, præcipue e sacra Scriptura deductam, methodo analytica, ad morem SS. Patrum. — Dogmatica vero juxta ipsos ea est, quæ Fidei veritates complectitur earumque probationem, tum ex Scriptura tum ex Patribus, Conciliis, etc. desumptam, methodo magis synthetica, ad morem modernorum Theologorum. — At satius visum est dogmaticam tanquam genus considerare, positivam vero et scholasticam ut ejusdem species.

41. Atqui *positiva*, ut contra *scholasticam* distincta ponitur, in solis dogmatibus versatur exponendis, iisdemque per Scripturam et Traditionem adversus fidei hostes vindicandis. Idcirco autem *positiva* seu *fundamentalis* videtur appellari, quod in ponendis ac stabiliendis primis ac immediatis fidei principiis et fundamentis occupatur ; vel quod ea demonstrat, quæ in fide catholica certo et inconcusse atque extra controversiam posita sunt.

42. Theologia *scholastica* [1], si nomen spectetur, ita vocatur a *Scholasticis*. — Scholastici jam ante sæculum XI vocabantur quicumque in scholis artem vel scientiam qualemcumque methodo ordinata docebant vel addiscebant. Postea vero, cum theologica disciplina in ordinem redacta, atque in scholis publicis ordinata methodo ac scientifica, intermixtis etiam domesticis concertationibus, tradi cœpta fuisset, illius professoribus *scholasticorum* nomen velut per antonomasiam adhæsit, et illi ipsi Theologiæ nomen *scholasticæ*, ductum proinde, vel ab ipsis scholis, vel ab illa subtiliori methodo scholastica. Hoc sensu Petavius : *Scholastici*, inquit, *nominantur : hoc est, ingeniosi quidam divinarum rerum disputatores et acuti* [2]. Atque hæc quidem de nomine Theologiæ scholasticæ.

43. Ad rem ipsam quod attinet, Theologia scholastica, quæ et

[1] Cfr. egregiam *de Theol. schol.* dissertationem P. Ramiere, in collectione periodica PP. Daniel et Gagarin, vol. 3. — [2] In *Proleg.*, c. 3, n. 1.

speculativa quandoque quasi antonomastice vocatur, si consideretur pure talis, *ea est quæ ex dogmatibus fidei, discurrendo methodo subtiliori et more dialectico, deducit conclusiones, quibus easdem veritates explanet, suadeat, confirmet ac tueatur.* Scilicet ea est, ut a P. Perrone recte describitur [1], quæ speculatione se attollit ad penitiorem dogmatum investigationem, nexus exponit, et consecutiones deducit quæ in illis delitescunt, ac etiam attingit erectionem fidei ad intelligentiam, seu intimam qualis obtineri mysteriorum potest cognitionem, et scientificam, ut ita dicam, dogmatum enuntiationem.

44. Definitio Scholasticæ, modo tradita, attente distinguenda est a definitione mendaci, qua a suis adversariis dicitur esse *mera quædam, iners ac obscura logomachia, quæ in abstrusis solum ac metaphysicis quæstionibus, nihil vel parum utilibus, per rixas scholasticas utramque in partem ventilandis potius quam enodandis aut dirimendis, desudat.* Qui ita definiunt, veram scholasticam cum ejus abusu permiscent; perindeque faciunt, ac si quis sophisticam cum sana philosophia confunderet.

45. Duo sunt Theologiæ scholasticæ propria: materia tractanda et methodus. — Materia non tam sunt ipsa dogmata, quam quæstiones connexæ et consectariæ. — Methodus, si spectetur qua generalis est, synthetice et systematice procedit; qua vero particularis, nitida valde est, et ad severam dialecticam ac syllogisticam exacta. De hoc infra uberius.

46. Si de scholasticæ origine inquiras, prima ejus lineamenta merito S. Joanni Damasceno tribuuntur, qui sæculo VIII floruit; scripsitque inter alia plura, libros quatuor *De fide orthodoxa*, in quibus, teste Bellarmino [2], ipse primus universam Theologiam recto ordine comprehendit; imo certas etiam voces, seu, ut loquimur, terminos huic disciplinæ proprios invenit. At vero sæc. XI, valida incrementa sumpsit occasione Berengarii, cui acriter imprimis obstitit Lanfrancus, Cantuariensis Episcopus, scripto libro *De corpore et sanguine Salvatoris*. Hujus discipulus simul et successor S. Anselmus fuit [† 1109], qui in plurimis suis scriptis, ut Breviarii romani verbis utar, factus est norma omnium Theologorum qui sacras litteras scholastica methodo tradiderunt. — Post S. Anselmum Petrus Lombardus apparuit, Episcopus Parisiensis [† 1146], a *quatuor libris Sententiarum* Magister Sententiarum cognominatus. Hic vulgo ut Scholasticorum parens perhibetur; cujus quoque ætate Theologiæ scholasticæ nomen sensim invaluit, et ejus professores appellari cœpti sunt *Scholastici*.

47. Hostes acerrimi contra scholasticam insurrexerunt, quo-

[1] *Historiæ theol. synopsis, n.* 2. — [2] *De Script. Eccl.*

rum duplex genus distinguitur. Primum genus constituunt *hæretici* præcipue primipili ; alterum *complures Catholici*, quorum aliqui splendida hæreticorum garrulitate seducti, alii acrioris æmulationis studio concitati, alii ex nimia quævis carpendi prurigine irritati, alii demum innoxii ex abusuum quorumdam intuitu fuere decepti. Etenim non diffitebor Scholasticos nonnullos, in abusum dialecticæ prolapsos, quæstionibus otiosis ac subtilitatibus nimium indulsisse ; at, etiam sub illo respectu, nimium fuerunt insimulati. Plurimæ namque quæstiones, quæ otiosæ videri possint, non sine emolumento intellectuali, ad exercitationem rationis et ad majorem scientiæ expansionem, agitatæ in scholis fuerunt. Sic ipse Angelicus Doctor D. Thomas, in eximia sua *Summa*, non paucas adhibet quæstiones, quæ, licet aliquando levi intuitu ut redundantes fuerint spectatæ, tamen, si seria meditatione perpenduntur, ad completam evolutionem doctrinæ et scientiæ theologicæ cernuntur pertinere.

48. De cetero, ab omnibus, quibus fuit impugnata, criminibus atque calumniis Scholasticam vindicant, 1° viri qui eam coluerunt eorumque opera ; inter quos nominasse sufficiat *Petrum Lombardum*, cujus quatuor Sententiarum libros non indignos æstimarunt Theologi quos infinitis fere commentariis illustrarent ; *S. Thomam Aquinatem*, cujus summa Theologica in Concilio Tridentino juxta S. Scripturam fuit collocata ; *Suaresium*, a Paulo V *Doctoris eximii* titulo condecoratum, qui tomis 23 universam Theologiam copiosissime miraque eruditione complexus est. Alia nomina huc conferri possunt, quæ sequenti capite, ubi de Theologiæ historia agetur, recensebimus.

49. 2° Scholasticam vindicant plurima Romanorum Pontificum præconia, cujusmodi sunt verba Sixti V, in Bulla qua S. Bonaventuram Ecclesiæ Doctoribus annumeravit : *Quanto magis illi* [hæretici] *hanc munitissimam scholasticæ Theologiæ arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis*, ait, *nos decere, hoc invictum fidei propugnaculum defendere, et hæreditatem patrum nostrorum conservare et tueri.*

50. 3° Demum Scholasticam vindicant proprietates ejus eximiæ et maxima emolumenta, quæ S. Ignatius in celeberrimo Exercitiorum libro ita exponit : « Scholasticorum, inquit, pecu-
« liare est, ut S. Thomæ, Bonaventuræ, Magistri Sententia-
« rum, etc., dogmata ad salutem necessaria exactius tradere,
« atque definire, prout convenit suis temporibus et posteris, ad
« errores hæresum confutandos. Siquidem Doctores hujusmodi,
« ut sunt tempore posteriores, non solum Scripturæ S. intelli-
« gentia præditi sunt, et veterum auctorum juvantur scriptis,
« sed etiam cum influxu divini luminis, Conciliorum sanctio-

« nibus, decretis et variis Ecclesiæ Constitutionibus, ad salu-
« tis nostræ subsidium feliciter utuntur [1]. »

51. Ex hactenus expositis de Theologia dogmatica notionibus concludere licet, eam fore optimam et maxime completam dogmaticam, quæ positivam simul et scholasticam conjunget; qualis fere illa est quæ a Theologis Wirceburgensibus S.J. exstat adornata. Hujusmodi Theologia *positivo-scholastica* vocari potest et definiri : *Institutio theologica, quæ methodo scholastica versatur, tum circa fidei dogmata, tum circa eorumdem scientificam evolutionem.*

ARTICULUS V.

THEOLOGIÆ UTILITAS ET FINIS.

52. *Inter omnes hominum curas, studium divinæ sapientiæ est perfectius, jucundius et utilius* [2]. Tanta laus non immerito ab Angelico Doctore tribuitur Theologiæ, quippe quæ ipso suo nomine *de Deo sermonem* enuntians, divinum aliquid spiret, atque ad sui amorem alliciat.

53. At inventi sunt qui dixerint, impossibilem esse juxta Catholicorum principia scientiam theologicam, imo illicitam, cum ipsa requirat examen dogmatum; examinare autem non liceat, sed absque examine cæca fide credendum sit. — Hæc autem est heterodoxorum et incredulorum calumnia, rationabile obsequium [3] fidei non intelligentium. Non licet quidem homini post susceptam catholicam fidem, in qua summa certitudo obtinetur, eamdem ad examen *dubitativum* revocare, quod perperam Hermesius aggressus est [4]; omnino autem theologo permittitur dogmata perpendere examine *confirmativo*, quo scilicet fidei investigat fundamenta totumque ædificium, ut videat, non quidem *an* solidum sit quod novit esse super infallibili veritate fundatum; sed *quomodo* super hac eadem veritate fundatum, et in omnibus suis partibus compactum atque connexum sit.

54. Hoc itaque examen omnino licitum, imo maxime utile est et necessarium ac laude dignissimum. Utile sane est scire, et, quantum fieri potest, intelligere verbum Dei, et res omnes ad æternam hominum salutem pertinentes; utile, inquam, homini christiano et pro se et pro aliis : pro se quidem, ut fidem melius cognitam firmius teneat, efficacius operibus exprimat; pro aliis vero, ut eos docere et in fide confirmare possit.

55. Sed et necessarium idem est ad defendendam Fidem contra omnigenos adversarios ejus: *Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui et seductores quos oportet redargui.* Tit. I, 10.

[1] *Exercit. spirit.* Reg. XI ad sentiendum vere cum Eccl. — [2] D. Thom. *Contra gent.*, l. 2, c. 2. — [3] Rom. XII, 1; — 2 Cor. X, 5. — [4] *Introductio philosophica.* Cf. Perrone, tom. IX, *De locis theol.*, part. 3, sect. 1, c. 1, § 3.

Quoniam multi pseudo-prophetæ exierunt in mundum. I Joan. IV, 1. *Ideo Christus ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas... alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi... Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ.* Eph. IV, 11 seq. Quamobrem commendat S. Petrus, ut simus *parati semper ad satisfactionem, omni poscenti nos rationem de ea quæ in nobis est spe.* I. Pet. III, 15 ; et S. Paulus, ut sacerdos præcipue *potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Tit. I, 9 ; scriptum est enim : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus ; quia angelus Domini exercituum est.* Malach. II, 7. — Hæc autem *scientia* sacerdotalis non sane alia quam *Theologia* est, qua, ut Augustinus loquitur, *non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ non nisi æterna est ; aliud autem, scire quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur et contra impios defendatur* [1].

56. Ut recte tantæ excellentiæ opus aggrediamur, ab initio applicanda est prima hæc humanæ prudentiæ regula : *Respice finem ;* et altera quæ prioris complementum est : *Ordina media ad finem.* Quare jam hoc loco breviter finem Theologiæ indicemus, de mediis in sequenti capite fusius acturi.

57. Jam vero, quis Theologiæ sit finis, tum remotus tum proximus, ex iis quæ de ejus excellentia et necessitate modo diximus perspicuum est. Remotus scilicet est ædificatio et defensio Ecclesiæ Dei ; proximus vero, et, ut aiunt, ipsius operis finis, scientifica religionis notitia est : nimirum ut religionem sanctam, quam rationabili fidei lumine jam novimus et suscepimus, eamdem etiam scientifice cognoscamus. Hoc autem objectum duabus quæstionibus continetur ; 1° *Quænam est vera religio ?* — 2° *Quænam est veræ religionis doctrina ?* — Ad 1^am^ Theologia respondet : Vera religio est religio christiana, quæ in Scriptura et Traditione continetur, juxta interpretationem Ecclesiæ Romanæ. Ad 2^am^ respondet exponendo, probando et illustrando omnia dogmata, quæ in vera Christi Ecclesia docentur.

58. Perspecto fine, inquirendum est de mediis. Media sunt alia objectiva, de quibus in capite sequenti ; alia subjectiva, quæ ipsum subjectum afficiunt, suntque dispositiones in Theologiæ discipulo requisitæ.

59. Hujusmodi dispositiones aliæ sunt naturales, aliæ supernaturales seu spirituales. *Naturales* sunt, 1° judicium sanum et philosophiæ studio excultum. Quo refertur recta Theologiæ principiorum æstimatio : quæ quidem principia in se pollent

[1] *De Trin.*, l. 14, c. 1.

metaphysica, imo excellentiori certitudine : nobis autem tantum morali certitudine innotescunt, via scilicet auctoritatis, non evidentiæ metaphysicæ sicut principia mathematica [1]. — 2° Judicio comitari debet memoriæ adjumentum, et 3° sedulus ac diligens in studendo labor.

60. *Spirituales* dispositiones sunt fides et pietas. 1° *Fides* scilicet docilis menti insidere debet. Theologiæ enim objectum est revelatio, seu Dei verbum ; tale est autem Dei verbum, ut nisi credatur intelligi nequeat. Cordi docili atque humili Deus lumen infundit et intelligentiam : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater : quoniam sic fuit placitum ante te :* Matth. XI, 25. Perperam dicebat Abailardus : *Intelligere quæro ut credam ;* recte vero S. Anselmus : *Credo ut intelligam* [2]. Imo juxta Septuaginta Interpretes [3], ipsa Scriptura diserte ait : *Nisi credideritis, non intelligetis.* Isai. VII, 9. — 2° *Pietas*, ad quam tria referuntur : puritas, humilitas et oratio. *Puritas* hic, cum cordis, tum intentionis intelligitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. V, 8. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit... et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Luc XI, 36. — Humilitas : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Rom. XII, 3 ; superbia enim temeritatis, pertinaciæ, novitatum et omnium errorum mater est. — Oratio : *Deus scientiarum Dominus est.* I Reg. II, 3. Unde S. Jacobus monet : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.... et dabitur ei... Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Jac. I, 5, 17. Doctissimus P. Suarez, cum primum esset obtusæ mentis, illud per orationem accepit acumen, quod in ejus 23 voluminibus miramur [4]. Narrat F. Reginaldus, S. Thomam dicere fuisse solitum, amplius se profecisse ad pedes Crucifixi et sancta oratione, quam libris et studiis. S. Bonaventura ipsi Aquinati interroganti, quanam ex bibliotheca suam hauriret scientiam, ostendens Crucifixi imaginem, *Ecce*, respondit, *bibliotheca mea.*

[1] Huc quoque pertinet ut probe theologus intelligat munus suum, quod non est aliud quam verbum Dei dilucidare, non vero idem perficere aut augere. Hoc egregie Vincentius Lirinensis docet *Commonit.* c. 22 : *O Timothee, o sacerdos o tractator, o doctor, si te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritualis tabernaculi Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas, exsculpe, fideliter coopta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quæ didicisti doce ; ut cum dicas* NOVE *non dicas* NOVA. — [2] *Cur Deus homo*, cap. 2. — Quæ verba ab Augustino, Chrysostomo, Cypriano, aliisque Patribus frequenter citantur. In nostra autem vulgata sic legimus : *Si non credideritis, non permanebitis.* — [4] Patrignani, *Menologio della C. di G.* 25 Sept.

CAPUT SECUNDUM.

DE THEOLOGIÆ APPARATU.

Articulus I, *de apparatu theologico in genere.*
Articulus II, *de locis theologicis singillatim.*
Articulus III, *de propositionibus et conclusionibus theologicis.*

ARTICULUS I.

DE APPARATU THEOLOGICO IN GENERE.

61. Apparatum theologicum vocamus media omnia quibus theologus ad scientiæ suæ ædificium construendum utitur. Sunt autem hæc quadruplicis generis, nimirum: *principia*, *fontes*, *instrumenta*, *subsidia*.

62. *Principium* vario sensu sumitur: in genere *omne a quo aliquid procedit quomodocumque, dicimus esse principium* [1]. Speciatim vero, principia logica seu scientifica, de quibus hic sermo, sunt *veritates inconcussæ ex quibus conclusiones ducuntur*. Veritates hujusmodi, respectu propositionis, si qua præfixa est ex iis comprobanda, solent argumenta vel probationes vocari, sicut respectu conclusionis sunt principia.

63. *Fontes*, seu *loci theologici*, sunt promptuaria quædam vel sedes, et quasi fodinæ, e quibus principia aut argumenta, imo et instrumenta theologica eruuntur. Hujusmodi fontes sunt S. Scriptura, SS. Patres, etc.

64. *Instrumenta* sunt scripta, monumenta ac documenta varia, quibus authentice continentur principia: v. gr. Symbolum Nicænum, Epistolæ S. Ignatii, antiquæ liturgiæ, etc.

65. *Subsidia*, seu adjumenta, sunt linguæ ac scientiæ variæ, quæ juvant ad instrumenta genuina facilius secernenda, intelligenda, et ad principia ex iis eruenda: talia sunt philologia, hermeneutica, archæologia sacra.

66. *Dividuntur principia* theologica dupliciter: 1° alia sunt generalia, alia particularia. *Generalia* sunt hæc duo: *Christianam religionem esse divinam*, et *eam esse depromendam ex Scriptura et Traditione sub magisterio Ecclesiæ Romano-*

[1] S. Thom. I p. q. 33, a. 1.

Catholicæ. — *Particularia* sunt proprie omnia et sola dogmata fidei, aut ex his deductæ conclusiones, quatenus et ipsæ tanquam præmissæ adhibentur. — 2° Dividuntur principia in constitutiva, directiva, adjuvantia. *Constitutiva* sunt ipsæ veritates revelatæ, quæ objectum fidei et scientiæ theologicæ constituunt, et in Scriptura ac Traditione continentur. — *Directiva* sunt veritates, quæ theologum in inquisitione dogmatum tanquam regula dirigunt : hæc continentur in doctrina Ecclesiæ, Conciliorum et Romani Pontificis. — *Adjuvantia* sunt veritates quæ theologum in illustranda vel confirmanda fidei doctrina adjuvant : hæc in SS. Patribus continentur, nec non in Scholis theologicis, Jurisscientia, Historia et Ratione humana.

67. *Dividuntur Fontes, seu Loci theologici,* in generales et particulares. *Generales* sunt duo : Auctoritas et Ratio. — *Particulares* sunt omnino decem, quorum septem ab auctoritate profluunt, tres a ratione.

68. Qui ab auctoritate profluunt loci theologici, sunt sequentes: 1° Scriptura, 2° Traditio, 3° Ecclesia catholica, 4° Concilia, 5° SS. Patres, 6° Theologi et Canonistæ, 7° Romani Pontifices. — Qui vero manant a ratione, sunt : 8° Sana Philosophia, ad quam etiam variæ scientiæ naturales referuntur, 9° Jurisperitia, 10° Historia, tum ecclesiastica tum profana, ad quam refertur ars critica [1].

69. Septem priores loci proprie sunt theologici, tres reliqui sunt peregrini, et ministerialiter tantum theologici. — Septem priores ad tria referuntur capita, quæ integram fidei regulam constituunt, et sunt: Scriptura, Traditio et Ecclesiæ auctoritas.

ARTICULUS II.

DE LOCIS THEOLOGICIS SINGILLATIM.

§ 1. Scriptura.

70. Scriptura sacra, quæ verbum Dei scriptum continet sicut Traditio verbum Dei traditum, est fons Theologiæ primarius, et proprius *theologi liber* dici potest.

71. Scriptura sacra sive Biblia [2], est collectio librorum tum Veteris tum Novi Testamenti, qui a viris antiquis, inde a Moyse usque ad Apostolos, conscripti, jure merito sacri nominantur,

[1] Ex hujusce theologici apparatus conspectu facile cernitur, quam recta sit hæc S. Thomæ sententia : *Theologia,* inquit, *debet omnibus scientiis imperare... et ideo est sicut caput, et principalis, et ordinatrix omnium scientiarum,* Prolog. in I Sentent. art. 1 et 3. — [2] Cf. Schouppe, *Cursus Scripturæ Sacræ,* tom. I, part. I.

Hi enim libri, uti postea demonstrabitur, non solum humana, sed etiam divina auctoritate gaudent; nec tantum sunt veri, sed infallibiles, quippe qui a scriptoribus non tantum veracibus, sed divinitus inspiratis emanaverint.

72. Hinc patet, Scripturam posse bifariam sumi. Etenim, prout ejus divinitas vel mente præscinditur vel consideratur, Scriptura spectari poterit, 1° ut liber mere humanus, historicus scilicet et moralis, humanam auctoritatem habens; vel 2° ut liber divinitus inspiratus, habens auctoritatem divinam. — Si consideratur ut liber humanus, argumentum omnino certum desumitur ex factis historicis quæ memorat. Si vero consideratur ut divinus, argumenta omnino infallibilia ducuntur imprimis ex sensu litterali; deinde etiam ex sensu mystico, quando nempe sensus hujusmodi in certo loco Scripturæ inesse, ab ipso Spiritu S. in alio loco, vel per Traditionem declaratur. Ut autem Scripturæ interpretatio recta sit et legitima, fieri debet sub magisterio Ecclesiæ, quæ hanc in Concilio Tridentino regulam ponit, ut *nemo contra eum sensum quem ipsa tenet Ecclesia, aut contra unanimen consensum Patrum, Scripturam sacram interpretari audeat* [1].

§ 2. Traditio.

73. Traditio, verbum Dei traditum continens, est alter fons ejusdem dignitatis ac Scriptura; nec huic secunda est, nisi numero veritatum, quæ plures in Scriptura depositæ sunt quam in Traditione. Imo, ratione quadam, Scripturæ præstat Traditio, ratione scilicet necessitatis; quandoquidem sine Scriptura quidem absolute fides esse possit, nequaquam vero sine Traditione, qua sublata, neque ipsam Scripturam divinam certo habere possemus [2].

74. Traditio generatim est notitia qualiscumque, oretenus primum aliis communicata. — Quatenus spectat ad præsens argumentum, distinguitur duplex: *divina*, a Deo revelata; et *humana*, quæ ab hominibus originem habet. Hic tantum de divina agitur.

75. Traditio divina sumitur triplici præcipue sensu: primo, pro veritate divinitus revelata, nec contenta, saltem expressis verbis, in Scriptura, sed viva voce primitus ab auctore suo proposita, ac deinceps quasi de aure in aurem ad posteros successive perducta: sive postmodum aut in Conciliorum actis, aut in Patrum scriptis, aut in historicorum libris, fuerit authentice consignata, sive non.

76. Secundo sensu, Traditio sumitur pro variis mediis, per quæ hujusmodi veritates ad nos pervenerunt; atque ita scripta

[1] Trid. Sess. 4. — [2] Cf. infra Tract. 4. *De regula fidei*, cap. 2, prop. 1, argum. 4, n. 163.

Patrum, aliaque ecclesiastica monumenta, nomine Traditionis frequenter veniunt.

77. Tertio sensu, Traditio est omnium illarum veritatum collectio seu complexus; quo sensu hic Traditionem accipimus, eamque ut alteram Revelationis partem juxta Scripturam collocamus. — Loco *Traditionis* in singulari, adhibetur quandoque, et quidem proprie, numerus pluralis; uti in Tridentino, ubi verbum Dei non scriptum dicitur contineri *Traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt* [1].

78. Argumentum e Traditione ducitur infallibile. Etenim Traditionem hujusmodi, seu revelationum non scriptarum, depositum existere, infra demonstrabitur. Qua demonstratione supposita patet, omnes et singulas in hoc deposito contentas veritates, cum sint ab ipso Deo primitus prolatæ, totidem esse divinæ ac infallibilis auctoritatis principia. Quotiescumque ergo hujusmodi principium profertur, sine controversia admittendum est, dummodo illud in deposito Traditionis contineri constet. Constare autem id variis argumentis potest; præsertim vero, fide et doctrina *Ecclesiæ Catholicæ*, quæ Traditionis custos est constituta; declaratione *Romanorum Pontificum*, qui ejusdem sunt interpretes, et demum *SS. Patrum* suffragio, qui ejus Traditionis testes existunt.

§ 3. Ecclesia.

79. Ecclesia, generali et latiore sensu, est *cœtus Christianorum*. Potest intelligi, 1° partialis vel universalis, 2° catholica vel acatholica.

80. 1° *Partialis* seu particularis Ecclesia, ad partem Christianorum, ratione regionis, temporis vel confessionis, restringitur. Præcipuæ Ecclesiæ partiales sunt: Ecclesia Orientalis, Occidentalis, Græca, Latina, Romana, Africana, Alexandrina, Hierosolymitana, Gallicana, Primæva, Moderna, Nestoriana, Jacobitica, Anglicana, etc.— *Universalis* quandoque sumitur pro omnibus gentibus christianis, pro toto christiano nomine in universa sua extensione; frequentius autem et communiter accipitur pro Ecclesia catholica.

81. 2° Ecclesia *catholica* est *societas Christi fidelium*, seu *cœtus baptizatorum, ejusdem fidei christianæ professione et eorumdem sacramentorum communione, sub uno Christi in terris Vicario, Romano nempe Pontifice, adunatus*. Ecclesia *acatholica*, seu potius Ecclesiæ acatholicæ, sunt varii cœtus christiani, variæque sectæ, sive hæreticæ, sive schismaticæ, a centro

[1] Sess. 4, *Decret. de Canon. Script.*

unitatis, quæ est Romana Sedes, separatæ. Hæ quoque, licet immerito, vocari solent ecclesiæ, juxta illud Tertulliani : *Faciunt favos et vespæ, faciunt Ecclesias et Marcionitæ* [1].

82. Ecclesia autem de qua sola hic agimus, est Ecclesia catholica, quæ proprie et stricte Ecclesia dicitur, vera nimirum societas fidelium a Christo in perpetuum fundata; quæque demonstrabitur esse infallibilis fidei custos, ac magistra, nec alia esse quam Ecclesia Romana cum subjecta sibi ditione universa.

83. Hæc itaque Ecclesia, cum in materia fidei et morum errare non possit, infallibile suppeditat theologo argumentum. — Quod si quis adversarius hanc infallibilitatem Ecclesiæ catholicæ non admitteret, ille saltem auctoritatem ejus humanam admittere deberet. Dupliciter enim Ecclesia spectari potest : ut habet auctoritatem divinam, vel ut habet tantum auctoritatem humanam. Hæc autem posterior tanta est, ut quoniam societas humana venerabilior est nulla, nulla quoque major in humanis auctoritas inveniri possit. Quare qui Ecclesiæ auctoritatem divinam respuunt, hi humanam ejus auctoritatem, nisi testimonium prorsus omne rejicere, ac proin principia rationis abdicare velint, admittant necesse est.

84. Porro Ecclesia catholica considerari potest triplici sub respectu : ut est *credens*, ut est *docens in Conciliis* congregata, et ut est *docens per orbem* dispersa. In triplici casu infallibilis est, quatenus est ipsa Christi Ecclesia quæ credit et docet. In sequentibus paragraphis, Ecclesia docens in Conciliis sub titulo *Concilia*, et Ecclesia docens per orbem, sub titulo *SS. Patres aliique Doctores*, distincte spectabitur.

85. In præsenti paragrapho, ut locus theologicus particularis sola ponitur Ecclesia credens. Cujus ut fides innotescat multa juvant argumenta, quæ vocantur : *Ecclesiæ praxis et usus, liturgia, acta Martyrum, epigraphia et vetera monumenta reliqua, hæresum damnationes, Ecclesiarum etiam acatholicarum consensus.*

§ 4. Concilia.

86. Concilium ecclesiasticum vel Synodus, est quasi Senatus Ecclesiæ, et definiri potest : *Legitimus conventus prælatorum Ecclesiæ, ad ordinandas rationes Ecclesiæ publicas institutus.* — Distinguuntur Concilia *universalia seu œcumenica, generalia*, et *particularia*.

87. Concilium *œcumenicum* illud est, quod repræsentat Ecclesiam catholicam universam ; ad quod constituendum sufficit convenire partem Ecclesiæ notabiliorem, quæ cum Romano Pontifice consentiat [2].

[1] *Adversus Marcion.*, c. 4. — [2] Cf. Infra tract. *De regula fidei*, cap. 3, art. 4, prop. 3 et 4, n. 239 et seqq.

88. Concilium *generale* dicitur illud, quod numero quidem prælatorum conspicuum est, sed, vel auctoritate R. Pontificis caruit, vel aliunde inter œcumenica numerari non solet.

89. Concilium *particulare* illud est, quod partem tantum Ecclesiæ repræsentat. Distinguitur triplex : *nationale* seu primatiale, *provinciale* seu metropolitanum, *diœcesanum*, quod simpliciter *synodus* vocari solet.

90. Jam ut intelligatur qualia e Conciliis argumenta duci possint, varia Conciliorum auctoritas discernenda est ; quare duæ statuuntur regulæ :

91. 1° *Concilii œcumenici definitiones in materia fidei vel morum, a R. Pontifice approbatæ, certæ et infallibiles sunt.* — Dicitur *definitiones*, hoc est, ipsæ definitiones substantialiter sumptæ ; quia non præambulis, clausulis, motivis, etc., neque conclusionibus theologicis inde deductis, eadem auctoritas tribuenda est. Porro definitionum nomine intelliguntur non tantum *canones* anathema continentes ; sed etiam expositiones doctrinales sine anathemata, ut sunt multa capita doctrinalia in Tridentino.— Dicitur *in materia fidei et morum ;* quo intelliguntur sola *decreta dogmatica*, non autem *disciplinaria,* quæ reformabilia sunt et mutabilia.— Dicitur *a R. Pontifice approbatæ ;* quia hæc approbatio seu confirmatio vim ac auctoritatem supremam Conciliis tribuit.

92. Practice ergo-1) secernenda est ipsa substantia definitionis, ab iis quæ obiter solum, et præter institutum præcipuum ab ipso Concilio interseruntur.-2) Pensanda diligenter et attente verba ipsius definitionis ; item -3) sub quo certitudinis gradu aliquid definiatur inspiciendum.

93. Notæ, ex quibus Conciliorum de fide judicia internosci queant, sunt sequentes : a) si expressis terminis pronuntient aliquid a fidelibus esse firmiter credendum ; b) si contrarium expresse declarent fidei refragari; c) si contradicentes pro hæreticis habendos esse decernant ; d) si aliter sentientibus sive asserentibus anathema dicant, vel excommunicationem ipso facto incurrendam infligant. At hæc nota interdum ambigua est ; nec semper quidquid in Conciliis sub anathemata prohibetur, ratione sui proprie hæresis est : nonnunquam enim propositiones in cumulo, diverso censuræ gradu notantur, et tamen omnes sub excommunicationis pœna doceri prohibentur.

94. 2° Altera regula ad *Concilia generalia et particularia* spectat : hæc *tantam habent auctoritatem, quantam Ecclesiæ quas repræsentant.* Ergo magnam quidem auctoritatem habere possunt, non vero infallibilem : nisi vel Ecclesiæ universalis consensu, vel auctoritate Romani Pontificis fuerint solemniter confirmata : ut Arausicanum secundum, quod confirmavit Bonifacius II anno 529.

95. Exstant collectiones Conciliorum accurate confectæ a Binio, Sirmondo, card. de Aguirre, Parisiensibus Theologis; postea vero a Labbeo et Cossartio, atque ab Harduino, quorum deinde collectionem Mansius et Colletus amplificarunt.

96. Quoniam autem Conciliorum notitia theologo necessaria est, elenchum subjungimus, quo tum Concilia œcumenica, tum etiam particularia quædam e præcipuis, sub uno conspectu exhibentur.

97. *Concilia œcumenica.*

CONCILIA.	ANNO.	PONTIFICE.	IMPERATORE.	CAUSA.
(ORIENTALIA.)				
1. Nicœnum I,	325	S. Sylvestro,	Constantino,	adversus Arianos.
2. Constantin. I,	381	S. Damaso,	Theodosio Sen.,	adv. Macedonianos.
3. Ephesinum,	431	S. Cœlestino,	Theodosio Jun.,	adv. Nestorianos.
4. Chalcedonense	451	S. Leone,	Marciano,	adv. Eutychianos.
5. Constantin. II,	553	Vigilio,	Justiniano,	propt. tria Capitula.
6. Constantin. III,	680	Agathone,	Constant. Pog.,	adv. Monothelitas.
7. Nicœnum II,	787	Adriano I,	Constant. et Iren.,	adv. Iconoclastas.
8. Constantin. IV,	870	Adriano II,	Basilio,	adv. Photium.
(OCCIDENTALIA.)				
9. Lateranense I,	1123	Callixto II,	. . . . .	propt. investituras et expedit. Hieros.
10. Lateran. II,	1139	Innocent. II,	Conrado III, præsente,	propter schisma antipapæ.
11. Lateran. III,	1179	Alex. III,	. . . . .	adv. Waldenses et Alb.
12. Lateran. IV,	1215	Innocent. III,	. . . . .	propter exped. Hieros. et err. Joachim.
13. Lugdun. I,	1245	Innocent. IV,	Balduino II et S. Ludov. IX præs.	contra Frideric. II.
14. Lugdun. II,	1174	Gregorio X,	. . . . .	propt. union. Græc. et disciplinam restaur.
15. Viennense,	1312	Clement. V,	tribus regib. præs. Gall. Angl. et Arrag.,	propt. causam Templar. et expedit. Hieros.
16. Florentin.,	1439-45	Eugen. IV.	Joan. Palæol. præs.,	propt. union. Græc.
17. Lateran. V,	1512	Julio II et Leone X,	Maximil. I præs.	propter schisma ortum ex conciliab. Pisano.
18. Tridentin. I,	1545 63	Paul III incho. Pio IV concl.	Carolo V adjuvante,	adv. Protestantes et ad reform. discipl.
19. Vatican.,	1869	Pio IX incho.,	. . . . .	contra errores modernos.

98. *Concilia generalia.*

1. Sardicense, 347, Julio Pontifice, Constantino et Constante Imperatt., contra Arianos.

[1] Quo facilius memoria teneantur concilia 13 œcumenica, en trita formula mnemotechnica: Nic. Con. Eph., Chal. Co. Co. Nic. Co. La. La. La. La. Lu. Lu. Vi. Flo. La. Tri.

2. Pisanum, 1409, propter schisma Occid. ; deponit Gregor. XII et Bened. XIII, eligit Alexandrum V.
3. Constantiense, 1414-18, Joan. XXIII Pontifice, Sigismundo Imper., propter idem schisma; eligit Mart. V. damnat Wicleff. et Huss.
4. [Basilcense, 1431-43, Martino V convocante, Eugen. IV claudente, propter grassantes hæreses, Græcor. union., et cleri reform.]

99. *Concilia particularia notabiliora.*

An. 49, *Apostolicum Hierosolimitanum.*
170, *Hierapolitanum*, damnat Montanum.
253, [*Carthaginiense*, sub Cypriano, de lapsis et rebaptiz. hæreticis.]
270, *Antiochenum*, contra Paul. Samosat.
313, *Eliberitanum*, canones edit. 81 pœnitentiales.
349, *Sirmiense I*, damnat Photinum.
380, *Cæsaraugustanum*, damnat Priscillianistas.
373, *Hipponense*, } canonem edant SS. Scripturarum.
397, *Carthag. III* }
412-425, *Carthaginiensia*, contra Cœlestium et Pelag.
440, *Arelatense*, sub Leone Magno.
475, *Arelatense*, contra Prædestinatianos.
494, *Romanum*, unde decretum Gelasii de Libris sacris.
529, *Arausicanum II*, contra Semipelag.
633, *Toletanum IV*, processio Spir.S. ex Patre *Filioque*, can. 1.
634, *Hierosolymit.*, unde epist.Sophronii de 2 voluntatib.
649, *Lateranense*, sub Martino, damnat Monothelitas.
692, [*Trullanum* seu *Quinisextum*, canones 102.]
794, *Francofordiense*, contra Adoptianos.
848, *Moguntinum*, et *Carisiacum*, damn.Gotteschalcum.
879, *Romanum*, pro restituendo Photio.
1050, *Romanum*, damnat doctrinam Berengarii.
1060, *Hispana* plura, pro mutatione ritus gothici.
1095, *Claromontanum*, pro expedit. Hierosolym.
1097, *Barense*, pro reconcil. Græcis et Latinis.
1116, *Lateranense*, dat Indulgentias.
1121, *Suessionense*, damnat Abailardum.
1149, *Parisiense*, } contra Gilbertum Porretanum.
1148, *Rhemense*, }
1195, *Monspeliense*, contra Albigenses.
1242, *Tarraconense*, contra Waldenses.
1277, [*Constantinop.*, agnoscit primatum Rom.Pontificis.]
1302, *Parisiense*, de lite inter Bonif. VIII et Philippum.

1382, *Londinense*, damnat Wicleff.
1412, *Romanum*, contra Hussitas.
1457, *Avenionense* confirmat opinionem piam de Immac. Con.
1565, et seqq. *Mediolanensia*, sub. S. Carolo Borromeo.
1607, *Mechliniense*, decr. et canon. Tit. 26.
1612, *Senonense*, damnat librum Richerii.
1638, et 1642. [*Constantinopolitana*, contra Protestantium dogmata.]
1672, [*Hierosolymitanum*, contra eadem].

§ 5. Sancti Patres.

100. Sancti Patres *latiore sensu* dici possunt quicumque primarii Ecclesiæ pastores ac doctores, qui speciali lumine a Deo perfusi, ac insigni sanctitate conspicui, Ecclesiæ plantandæ et sua doctrina excolendæ sedulo magis allaborarunt; quo sensu et ipsos imprimis Apostolos vocaveris Patres. — *Restrictiore* et *communiore sensu*, ii sunt SS. Patres, qui post Apostolorum tempora, his tamen paulo saltem viciniores, doctrina ac sanctitate celebriores, Ecclesiam, qua voce, qua libris ad posteros transmissis, illustrarunt. — Ratione antiquitatis solent in *tres veluti ætates* distribui; quarum *prima* tria priora complectitur sæcula; *secunda*, tria insequentia; *tertia*, a sæc. VII usque ad XII^m^ protenditur, nempe usque ad ætatem S. Bernardi, qui novissimus Patrum vocari consuevit.

101. Licet multi Patres etiam, tum Doctores tum Scriptores Ecclesiastici nominentur, hæc tamen tria nomina suo distinguuntur discrimine. *Ecclesiastici Scriptores* generatim vocantur ii omnes, qui Ecclesiam aliquomodo scriptis suis ædificarunt, etiamsi, ut Tertullianus et Eusebius, sanctitate non fulserint. — *Doctores*, qui insigni doctrina, scriptis præsertim pervulgata, in Ecclesia floruerunt. Horum alii sunt Doctores *in Ecclesia* seu privati, alii Doctores *Ecclesiæ* seu publici. *Doctores in Ecclesia* sunt omnes Catholici ab Academia seu Universitate qualibet catholica Doctoris gradu insigniti; *Doctores Ecclesiæ* sunt viri eminentis simul doctrinæ et sanctitatis, qui speciali honoris titulo Ecclesiæ Doctores nuncupantur, eo quod publico ipsius Ecclesiæ testimonio pro talibus agniti ac declarati fuerint. Hujusmodi ex *Græcis* sunt SS. Basilius, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chrysostomus; e *Latinis* vero quatuor præcipui sunt: SS. Gregorius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus; deinde SS. Hilarius, Leo, Petrus Chrysologus, Isidorus, Petrus Damianus, Anselmus; quibus postremo accesserunt S. Bernardus, Doctor mellifluus, — S. Thomas, Doctor Angelicus, — S. Bonaventura, Doctor Seraphicus, — et nuperrime S. Franciscus Salesius et S. Alphonsus de Ligorio.

102. Ut auctoritas Patrum quanta sit intelligatur, animadvertendum est, ipsos esse Ecclesiæ per orbem docentis repræsentantes, et sacræ Traditionis testes. Verumtamen non semper ut tales, sed sæpe ut doctores et theologi, privata sua auctoritate loquuntur; unde apprime curandum est, ut in Patribus qualitas testis a qualitate doctoris secernatur. Si loquuntur ut doctores, tanta est eorum auctoritas quanta doctrina et sanctitas; sin ut testes Traditionis, auctoritas eorum est irrefragabilis, quia cum Traditione, imo cum ipsa auctoritate Ecclesiæ, tanquam una eademque res confunditur.

103. At illud dignoscere nos oportet, quandonam Patres ut Traditionis testes, et quidem ut testes irrefragabiles, loquantur; quando vero, ut privatæ auctoritatis doctores. Quædam in hunc finem statui solent regulæ, quas cognoscere juvabit. Sunt autem sequentes :

104. 1° *In rebus naturali lumine cognitis*, auctoritas Patrum tantum valet quantum eorum ratio.

105. 2° *In quæstionibus facti, ad fidem et mores non spectantibus*, ipse etiam Patrum consensus non semper certam fidem facit.

106. 3° *In materia fidei vel morum*, unanimis SS. Patrum consensus est infallibilis. Ratio est, quod doctrina omnium Patrum est ipsius doctrina Ecclesiæ, cui, ex divino promisso, in rebus fidei vel morum, error subesse nequit. — Porro hujusmodi materia et consensus obtinet, quotiescumque Patres aliquam doctrinam aperte constanterque proferunt, tanquam communem Ecclesiæ fidem, ab Apostolis descendentem; aut contrariam velut hæreticam impugnant.

107. 4° Auctoritas etiam paucorum Patrum magna est, dum ut testes veritatis, de praxi vel disciplina suis temporibus usitata loquuntur; imo gravis est auctoritas vel unius Patris, cui ceteri non contradicunt.

108. 5° Auctoritas unius vel alterius Patris non facit sententiam certam, maxime dum alii Patres dissentiunt. — Si tamen in certa fidei materia, singulariter aliquis Pater ab Ecclesia tanquam rectam exponens doctrinam agnoscatur et proponatur, hujusmodi solius auctoritas sententiam facit certam. Talis est auctoritas S. Augustini in materia de Gratia et prædestinatione; Hilarii et Athanasii, in mysterio SS. Trinitatis; Leonis Magni et Cyrilli Alexandrini, in mysterio Incarnationis, etc.

109. Hic tamen opportune notabitur S. Thomæ sententia, tanto Doctore sane dignissima : *Quia*, inquit[1], *et ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet,*

[1] 2. 2, q. 10, a. 12 in corp.

ideo magis standum est auctoritati Ecclesiæ quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi vel cujuscumque Doctoris. Quæ sententia, per se solide fundata, confirmata etiam fuit damnatione propositionis 30ª inter damnatas ab Alexandro VIII, quæ ita sonabat : « Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino « clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non « respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. » — Hinc patet quam labile sit Jansenianorum systema, quod non alio nititur fundamento, cum scilicet S. Augustinum, vel ipsius quam dicunt doctrinam, in materia de Gratia, tanquam normam fidei statuant, neglecta Ecclesiæ auctoritate.

110. Scripta Patrum variis collectionibus ediderunt plures eruditi viri, Petavius nimirum, Sirmondus, Cotelerius, Corderius, Gretzerus, Chiffletius, Combefisius, Fronto Ducæus, Le Quien, Garnerius, editores Maurini; quibus accesserunt *Bibliothecæ Patrum* magno numero, cum *Apparatu* Nourryi, Gallandi, aliorumque, ac *Patrologia* completissima Mignii; præter *Historiam criticam Patrum* Halloixii, Dupinii, Ceilierii, Lumper.

111. CATALOGUS

Patrum Doctorum et Scriptorum ecclesiasticorum præcipui nominis [1].

Sæculo I. Barnabas. — Clemens Romanus. — Dionysius Areopagita. — Hermas.

Sæculo II. Ignatius 107 [2]. — Polycarpus 166. — Justinus 167. — Irenæus 202. — Clemens Alexandrinus 217. — Minutius Felix 209.

Sæc. III. Hippolytus Portuensis 225. — Tertullianus 245. — Origenes 254. — Cornelius Papa 252 — Cyprianus 258. — Dionysius Alexandrinus 265. — Gregorius Thaumaturgus 270 — Lactantius 310.

Sæc. IV. Athanasius 373. — Hilarius Pictaviensis 368. — Cyrillus Hierosololymitanus 386. — Basilius 379, Gregor. Nazianzenus 392, et Greg. Nyssenus 403, Cappadoces. — Eusebius 340. — Ephrem Syrus 373. — Ambrosius 397. — Pacianus 390. — Optatus Milevitanus 400. Epiphanius 402.

Sæc. V. Joannes Chrysostomus 407. — Hieronymus 420. — Augustinus 430. — Cyrillus Alexandrinus 444. — Leo Magnus 461. — Theodoretus 458. — Prosper 463. — Vincentius Lirinensis 450. — Petrus Chrysologus 451. — Socrates et Sozomenus 440. — Cassianus 448. — Vigilius Tapsensis 484.

[1] Cf. Theol. Wirceb. tom. *I*, *De principiis theol.*, disput. 3, art. 3. — [2] Numerus indicat annum obitus, quod etiam in sequentibus intelligendum est.

Sæc. VI. Fulgentus Ruspensis 533. — Gregorius Magnus 604. Boëtius 530. — Cæsarius Arelatensis 542. — Joannes Climacus 570. — Gregorius Turonensis 595. — Anastasius Sinaïta 599. — Venantius Fortunatus 600. — Dionysius exiguus 555.

Sæc. VII. Isidorus Hispalensis 636. — Sophronius et Joannes Moschus 630. — Maximus Martyr 662. — Ildefonsus Toletanus 667.

Sæc. VIII. Beda 735. — Joan. Damascenus 760. — Alcuinus 804.

Sæc. IX. Isidorus mercator 814. — Theodorus Studita 826. — Nicephorus Constantinop. 828. — Paschasius Radbertus 851. — Rabanus Maurus 856. — Ratramnus 870. — Hincmarus 882. — Photius 891. — Anastasius Bibliothecarius 887. — Walafridus Strabo 849.

Sæc. X. Regino Prumnensis 908. — Simeon Metaphrastes 942. — Odo Cluniacensis 942. — Flodoardus 966. — Luitprandus 970. — Œcumenius 960. — Gerbertus seu Sylvester II 1003.

Sæc. XI. Petrus Damianus 1072. — Lanfrancus 1089. — Odilo Cluniacensis 1048. — Durandus 1070. — Theophilactus 1077. — Anselmus Lucensis 1088. — Bruno Carthus. 1101.

Sæc. XII. Anselmus Cantuariensis 1109. — Bernardus 1153. Sigebertus Gemblacensis 1113. — Rupertus abbas Tuitiensis 1135. — Gratianus Bononiensis 1151. — Hugo 1140, et Richardus 1173, a S. Victore. — Petrus Lombardus 1164. — Theodorus Balsamon 1200.

Sæc. XIII. Innocentius III 1216. — Alexander Halensis, *Doctor irrefragabilis*, 1245. — Albertus Magnus 1280. — S. Thomas, *Doctor Angelicus*, 1274. — S. Bonaventura, *Doctor Seraphicus*, 1274. — Ægidius Romanus, *Doctor fundatissimus*, 1290. — Henricus Gandavensis, *Doctor solemnis*, 1283. — Alanus ab Insulis, *Doctor universalis*, 1203. — Richardus de Middleton, *Doctor solidus*, 1304. Rogerius Baco, *Doctor mirabilis*, 1300. — Raymundus de Pennafort, 1275. — Jacobus a Vitriaco 1240. — Hugo de S. Caro 1264. — Vincentius Bellovacensis 1264. — Nicephorus Calixtus 1305.

Sæc. XIV. Duns Scotus, *Doctor subtilis*, 1308. Joannes Baco, Carmel., *Doctor resolutus*, 1346. — Petrus Aureolus Vermeriensis, *Doctor facundus*, 1308. — Franciscus de Mayrone, *Doctor illuminatus et acutus*, 1320. — Guilielmus Occam, *Doctor singularis*, 1325. — Guilielmus Durandus a S. Porciano, *Doctor resolutissimus*, 1333. — Gualterus Burlæus, *Doctor planus et perspicuus*, 1337. — Paludanus 1350. — Taulerus 1350.

Sæc. XV. Joannes Gerson 1429 — Thomas Waldensis 1430. — S. Bernardinus Senensis 1443. — S. Laurentius Justinianus 1465. — S. Antoninus 1459. — Æneas Sylvius 1464. — Dionysius Carthusianus 1471. — Thomas a Kempis 1471. — Bessario 1472. — Georgius Trapezuntius 1486.

Sæc. XVI. Eckius 1543. — Cajetanus card. 1534. — Trithemius Trevirensis 1516. — Catharinus 1553. — Dominicus Soto 1560. — Petrus Soto 1563. — Melchior Canus 1560. Martinus Navarrus 1586. — Bannesius 1604. — Arias Montanus 1598. — Sixtus Senensis 1569. — Cornel. Jansenius Gandavensis 1577. — Surius Carthus. 1578. — Ruardus Tapperus 1559. — Maldonatus 1583. — Salmeron 1585. — Molanus 1585. — Toletus 1596. — Emmanuel Sa 1596. — Canisius 1597. — Molina 1600. — Valentia 1603. — Lessius 1623. — Bellarminus 1621. — Baronius 1607. — Estius 1613. — Vasquez 1604. — Suarez, *Doctor eximius et pius.* 1607.

Sæc. XVII. Franciscus Lucas Brugensis 1619. — S. Franciscus Salesius 1622. — Thomas Sanchez 1610. — Gaspar Sanchez 1628. — Tirinus 1636. — Cornel. a Lapide 1637. — Menochius 1655. — Martinus Becanus 1624. — Petavius 1652. — Lugo 1660. — Diana 1663. — Rosweydus et Bollandus 1665. — Pallavicinus 1667. — Labbeus 1667. — Emmanuel Schelstrate 1692. — Sylvius 1649.

Sæc. XVIII. Benedictus XIV 1758. — Bossuet 1704. — Fenelon 1715. — Mabillon 1707. — Huetius 1721. — Natalis Alexander 1724. — Harduinus 1729. — Scheffmacher 1733. — Gotti 1742. — Berthier 1782. — Bergier 1790. — Zaccaria 1795. — Feller 1802. — Gerdil 1802. — Muzzarelli 1813. — S. Alphonsus de Liguorio 1787.

§ 6. Theologi et Canonistæ.

112. Quemadmodum Apostolis successere SS. Patres tanquam Ecclesiæ Doctores, ita Sanctos Patres, inferiori tamen auctoritatis gradu, Theologi scholastici, aliive majoris nominis Doctores catholici [1] exceperunt, qui, dum ea docent quæ a Patribus acceperunt, eorum veluti in cathedram sunt subrogati.

113. Theologorum placita alia sunt singulis aut paucis, alia integræ scholæ propria, alia omnibus passim scholis ac Theologis catholicis communia. Hinc Theologorum auctoritas distinguenda ut sequitur:

[1] Cf. catalog. paragraphi præc. et infra cap. 3, n. 176, seqq

114. 1° Cujuslibet singularis Theologi sententia, vel unius scholæ, contradicentibus aliis, nequaquam est irrefragabilis; sed tanti valet quanti rationum fundamentum cui innititur.

115. 2° Auctoritas Theologorum in unam sententiam, quamvis ab Ecclesia non definitam, conspirantium est tanta, ut illi refragari sit temerarium.

116. 3° In iis quæ ad fidei dogmata morumve principia pertinent, indeque indubie deducuntur, unanimis Theologorum sententia auctoritatem tantam habet, ut eidem contradicere saltem hæresi aut errori proximum videatur.

117. Ad Theologos proxime accedunt Juris Canonici seu Pontificii periti; quorum tamen commentationes ab ipso jure sunt secernendæ, haud secus ac commentaria interpretum S. Scripturæ ab hac ipsa Scriptura distinguuntur.

118. Jus Pontificium, sic dictum quod a Pontificibus, vel eorum jussu, compilatum aut confirmatum fuit, illo continetur volumine, quod *Corpus Juris Canonici* appellatur. Hoc autem sex partes complectitur sive collectiones, quæ sunt: 1° Decretum Gratiani; 2° Decretales; 3° Sextus; 4° Clementinæ; 5° Extravagantes Joannis XXII; 6° Extravagantes communes.

119. Quod ad auctoritatem attinet, *Jus canonicum* in suis decretis vel responsis tantam habet auctoritatem, quantam habent fontes, ex quibus illa liquido profluxerunt.

120. *Canonistarum* auctoritate, in rebus ad fidem spectantibus, theologus non utitur; imo in his theologus canonistæ succurrit. Quando vero agitur de moribus Ecclesiæ et institutis, per leges pontificias determinandis, vel quando pœnæ in Jure statuuntur, tunc communis canonistarum consensus theologo optimam fidem facere debet.

§ 7. Romani pontifices, seu Sedes Apostolica.

121. Licet ratione dignitatis Sedes Apostolica immediate post Ecclesiam nominanda fuisse videatur, de ea tamen huc dilatus est sermo, ut Concilia, Patres ac Doctores, qui totidem loci sunt Ecclesiæ explicativi, eidem Ecclesiæ appositi conjungerentur.

122. Sedes Apostolica vocatur Romanæ Ecclesiæ cathedra, in qua Apostolorum princeps S. Petrus sedit primus, et post eum legitimi ejus successores sedere continuant. — Hoc autem loco, nomine *Sedis*, ut ex titulo patet, ipsi sedentes intelliguntur, Romani nempe Pontifices. Hos infra demonstrabimus fuisse a Christo, in persona S. Petri, ut summos Ecclesiæ Pastores constitutos, qui potestatis et doctrinæ auctoritate, universum Christi gregem in vera fide custodiant.

123. Romanus ergo Pontifex indita sibi divinitus gaudet dote

infallibilitatis, ita ut in materia fidei vel morum, si loquatur qua summus Ecclesiæ doctor, et,ut aiunt *ex Cathedra definiat*, sit infallibilis. Argumentum itaque ex tali definitione certum omnino et infallibile deducitur [1]. — Dixi,qua summus *Ecclesiæ* doctor ; si enim aliquid pronuntiet tanquam *privatus* doctor, illud non majoris auctoritatis erit quam alterius theologi vel doctoris, et ita ad locum præcedentem pertinebit.

124. Romanus Pontifex loquitur *ex Cathedra* Petri, i. e. velut successor Petri, tenens ejus Cathedram, scilicet fidem, doctrinam et auctoritatem, quotiescumque *omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit* [2]. Hujusmodi decreta continentur Bullis, seu Constitutionibus apostolicis, quales sunt Constitutio Pii VII *Auctorem fidei*, Pii IX *Ineffabilis Deus* [3].

125. Omnes summorum Pontificum Bullæ, Brevia, Decreta quælibet, collecta sunt in Bullario magno, quod 47 constans voluminibus, adornatum fuit cura Caroli Coquelines, et continuatum ab Andrea Barberi.

126. Propositiones damnatas, et decreta doctrinalia præcipua Pontificum, una cum aliis documentis, collegit Denzinger [4].

Notitia Summorum Pontificum.

127. Pontifices a S. Petro in Sedem Apostolicam successerunt circiter 258, quorum insigniores sunt sequentes:

SÆCULO I.

S. Petrus, Christi Vicarius an. 29, Romanus Pontifex an. 42, mortuus 29 jun. an. 67. Scripsit duas epistolas canonicas.

Linus Petro succedit an. 67, moritur an. eodem. Damnat Menandrianos.

1 Præter definitiones ex Cathedra solemnes, quæ ad universam Ecclesiam solemniter diriguntur, dantur et responsa doctrinalia ac documenta, a Rom. Pontifice ad Episcopos aut Ecclesias particulares missa : qualis ex. gr. est celebris epistola Pii VI ad Episcopum Motulensem data 16 Sept. 1788. In hujusmodi documentis minus solemnibus Rom. Pontifex, quatenus etiam ut supremus Pastor, ex officio loquitur, irrefragabilis quoque auctoritatis esse censendus est. — A fortiori illud erit dicendum, si documenta hujusmodi, forma minus solemni, *a Summo Pastore ad Ecclesiam universam dentur*. Essentia enim rei, seu conditio infallibilitatis, non in forma accidentali et mutabili consistit ; sed in eo quod Pontifex pro munere suo, ut supremus Doctor Ecclesiam doceat. Cf. infra, Tract. 4, *de Regula fidei*, cap. 3. n. 253 seqq. — 2 Concil. Vatican , Constitut. *Pastor æternus*, cap. 4. — 3 Cfr. Muzzarelli, *De auctoritate summi Pontif.* Tom. I, cap. I. — 4 In *Enchiridio symbolor. et definit.* —Cf. Theol. Wirceb. *De principiis theol.*, disput.3, cap.3, append.

Clemens I, succedit an 67, pontificatum abdicat 77. Scrib. 2 epist. ad Corinthios.
Cletus 90 [1]. Instituit Romæ 25 presbyteros.

SÆC. II.

Evaristus 119. Titulos seu ædes in Urbe presbyteris distribuit.
Alexander 130. Liber Pontificalis eum auctorem facit aquæ benedicendæ; at probabilius est, morem hunc ex apostolica ortum traditione, Alexandri decreto tantum confirmatum fuisse.
Sixtus I 140. Decrevit ut nullus Episcopus Roma ad Ecclesiam suam rediens susciperetur, nisi Apostolicæ Sedis litteras, veluti communionis tesseram exhiberet. [*Lib. Pontif.*]
Hyginus 155. Excommunicat Cerdonem.
Anicetus 173. Urget celebrationem Paschæ die Dominica, refragante S. Polycarpo.
Eleutherius 185. Convenitur a S. Irenæo ob quasdam Ecclesiæ quæstiones.
Victor I 197. Damnat Sabellium, Noëtum et Valentinum. Decidit controversiam de Paschate.

SÆC. III.

Zephyrinus 217. Damnat Proclum cum Montanistis.
Cornelius 252. Damnat Novatianum. Scribit epist. ad Fabium Antioch.
Stephanus 257. Controv. de rebapt. cum Cypriano.
Dionysius 269. Absolvit Dionysium Alexandrinum.
Felix I 247. Damnat Paulum Samosat.
Marcellinus I 304. Lapsus ejus fictitius.

SÆC. IV.

Melchiades II 314. Absolvit Cæcilianum.
Sylvester I 335. Confirmat Concil. Arelatense, præsidet per legatos Œcumenico I.
Julius I 352. Judicat Orientalium causas. Scribit epist. ad Eusebianos et Ecclesiam Alexand.
Liberius 366. Sirmiensi formulæ nulli subscribit. Damnat Concil. Ariminense.
Damasus I 384. Damnat Apollinarem, resistit Macedonio, confirmat Œcum. II, scrib. epist. et carmina.
Siricius I 398. Damn. Jovinianum, Manichæos, Priscillianistas; scrib. epist. ad Himerium et Episcopos Afros.

[1] Numerus indicat annum obitus, quod etiam in seqq. intelligendum est.

SÆC. V.

Innocentius I 417. Absolvit Chrysostomum, damn. Pelagium et Cœlestium : confirmat conc. Africana ; scribit epist. ad Decentium, Victricium et alios.
Zozimus 418. Detecta fraude damnat iterum Pelag. et Cœlest. Scribit præter alias epist. Tractatoriam.
Bonifacius I 422. Urget Constitut. Imperat. contra Pelagianos subscriptionem Tractatoriæ et jus appellationum. Scribit epist. ad Illyric. et Gallos.
Cælestinus I 432. Resistit Semipelagianis ; prædamn. Nestorium ; præsidet per legat. Œcumenico III ; scribit epist.
Leo I 461. Damn. Eutychen, et Latrocinium Ephes. ; præsidet per legatos Œcumenico IV ; scribit epist., serm. etc.
Simplicius 483. Damn. Petrum Fullonem ; scrib. epist.
Felix III 492. Rejicit Zenonis *Henoticon ;* damnat Acacium, Petrum Fullonem et Mongum ; scrib. epist.
Gelasius I 496. Resistit Manichæis ; edit decretum de libris; scribit epist.

SÆC. VI.

Symmachus 514. Damn. Anastasium; sponte se subjicit Synodo Palmari: scribit epist.
Hormisdas 523. Compon. Schisma Constantinop.; suppr. Scytharum novitates.
Bonifacius II 532. Confirm. Concil. Araus. Contra Semipelag.
Vigilius 555. Resistit Acephalis ; utitur œconomia circa tria Capitula ; confirm. Œcumen. V.
Pelagius II 590. Rescindit synodum Joannis Jejunatoris.

SÆC. VII.

Gregorius I 604. Reprobat titulum *Œcumenici* a Patriarcha CPtano, Joanne IV, usurpatum : urget damn. trium Capitulorum.
Honorius I 638. Non favet Monothelitis scripto aut facto.
Severinus 640. Damn. *Ecthesin.*
Joannes IV 642. Defendit Honorium. Damn. Monothel.
Theodorus 649. Damn. Pyrrhum et *Typum.*
Martinus I 655. Facit eadem in Syn. Lateran. Exuli surrogatur et dein mortuo succedit Eugenius I.
Agatho 682. Damn. Monothelitas ; mittit legatos et litteras ad Conc. Œcum. VI.
Leo II 683. Confirmat OEcum. VI.
Sergius II 701. Non probat Canon. Trullanos.

SÆC. VIII.

Gregorius II 731. Exting, schisma Anglor. circa celebrationem Paschatis : resistit Leoni Iconomacho.
Gregorius III 741. Scriptis et factis obstat Iconomachis ; respondet ad quæst. Bonifacii.
Zacharias 752. Eadem quæ prædecessor facit.
Stephanus II 757. Dat responsa Gallis.
Adrianus I 795. Præsidet per legat. et confirmationem dat Œcumenico VII.

SÆC. IX.

Leo III 816. Damn. errorem Felicis et Elipandi. Nondum approbandam censet additionem *Filioque* in Symbolo, quæ postea mutatis circumstantiis inserta fuit.
Nicolaus I 867. Reprimit Theopaschitas, Photium et Pneumatomachos ; respondet consultis Bulgarorum.
Adrianus II 872. Damn. Photium ; præs. per leg. Œcumenico VIII, controversatur cum Hincmaro.
Stephanus VI 897. Furit contra Formosum prædecessorem defunctum.
Joannes IX 900. Agit pro Formoso : respondet consultationibus.

SÆC. X.

Joannes X 928. Componit controv. de quartis nuptiis.
Benedictus V 965. Cui succedit qui prius erat intrusus Leo VIII 965.

SÆC. XI.

Joannes XVIII 1009. Conciliat Ecclesiam Orient. et Occid.
Benedictus IX abdicat 1044.
Leo IX 1054. Damn. Berengarium et Scoti Erigenæ librum, confutat Michaëlem Cerularium.
Gregorius VII 1085. Insectatur simoniam, conjugia clericorum et investituras.
Urbanus II 1099. Persequitur priora.

SÆC. XII.

Calixtus II 1123. Præsidet Œcumenico IX ; componit controv. de investituris.
Innocentius II. 1143. Præs. Œcumenico X.
Eugenius III 1153. Damn. Eonem et Gilberti errores.
Alexander III 1181. Præs. Œcumenico XI.

SÆC. XIII.

Innocentius III 1216. Præs. Œcumenico XII.
Honorius III 1227. Bellum sacrum, missiones ad infideles promovet.
Gregorius IX 1241. Promulgat libros quinque Decretalium.
Innocentius IV 1254. Præsidet Œcumenico XIII.
Alexander IV 1261. Damn. libr. Guilielmi de S. Amore.
Gregorius X 1276. Præs. Œcumenico XIV.
Bonifacius VIII 1303. Edit. libr. Sextum Decretalium.

SÆC. XIV.

Benedictus XI 1304. Componit simultates, inter prædecessorem et Galliam, inter clerum et religiosos ortas.
Clemens V 1314. *Sedet Avenione*. Præs. Œcumenico XV ; edit Clementinas.
Joannes XXII 1334. *Aven.* Dirimit quæstiones de paupertate ; damn. errores Fratricellorum, asserta Marsilii Patavini et Joannis de Poliaco ; publicat Clementinas et Extravagantes ; nihil statuit de visione Dei.
Benedictus XII 1342. *Aven.* Decidit quæst. de visione beatifica.
Clemens VI 1352. *Aven.* Damn. Flagellantes.
Gregorius XI 1378. *Redit Romam.*
Urbanus VI 1389. *Sedet Romæ, Schisma.*
[Antipap. Clemens VII 1374. Sedet Aven.]

SÆC. XV

Bonifacius IX 1404. *Sedet Romæ.*
[Antipap. Benedictus XIII, moritur 1424.]
Innocentius VII 1406. *Sedet Romæ.*
Gregorius XII *Sedet Romæ.* Deponitur Pisis 1409 ; abdicat Constantiæ 1415 ; moritur 1417.
Alexander V post depositionem Pontificum Pisanam, 1409, eligitur ; *sedet Romæ*, moritur 1410.
Joannis XXIII deponitur Constantiæ 1415, moritur 1419. *Sedet Romæ.*
Martinus V 1431. Præsidet postremis Conc. Constantiensis sessionibus ; *sedet Romæ, uti deinceps sequentes.*
Eugenius IV 1447. Transfert Concilium Basilea Florentiam, ibique præsidet Œcumenico XVI.
Nicolaus V 1455. Schisma cedente *Felice V* exstinguitur 1446.
Pius II 1464. Damn. appellationes a Pontifice ad Concilium.
Sixtus IV 1484. Indulgentias attrib. officio Immac. Conceptionis.
Innocentius VIII 1492. Oppr. hæres. Hussitarum.

SÆC. XVI.

Julius II 1513. Inchoat Œcumenicum XVII.
Leo X 1521. Præses absolvit hoc Concil.; damnat Lutheri articulos.
Paulus III 1549. Inchoat Œcum. XVIII. Approbat Soc. Jesu.
Paulus IV 1559. Edit Indicem librorum prohibitorum.
Pius IV 1565. Absolvit et confirmat Œcum. XVIII.
Pius V 1572. Curat promulgationem Tridentini; damnat propp. Baii.
Gregorius XIII 1585. Corrigit Calendarium.
Sixtus V 1590. Expurgat sacra Biblia.

SÆC. XVII.

Clemens VIII 1605. Damn. propp. de absolutione absentis; repetit emendatam Bibliorum editionem; habet congreg. de Auxiliis div. gratiæ.
Paulus V 1621. Finit controversiam de Auxiliis indicto utrinque silentio; damnat lib. Richerii.
Urbanus VIII 1644. Damn. iterum propp. Baii; edit Breviarium et Martyrologium Rom. expurgatum.
Innocentius X 1655. Damn. librum *Augustinus*, et 5 propp. Jansenii.
Alexander VII 1667. Præscribit formulam damnationis Jansenianæ; damn. lib. de Præadamitis, et 45 propp. variorum; vetat censuras circa doloris sacramentalis sufficientiam; piæ de Immac. B. M. V. Conceptione sententiæ plurimum favet.
Innocentius XI 1689. Damn. scripta et 68 propp. Molinosi, necnon 65 propp. variorum.
Alexander VIII 1691. Damn. propp. de peccato philos. et 31 alias; irritat Declarationem cleri Gallicani.
Innocentius XII 1700. Damn. librum *Placita sanctorum*, et 23 propp. Fenelonii.

SÆC. XVIII.

Clemens XI 1721. Damn. effugia Jansenistarum, necnon *Reflexiones morales* et propp. 101 Quesnelli; reprobat cultum Confucii; indicit festum Immac. Conceptionis ab omnibus celebrari de præcepto.
Benedictus XIII 1730. Sancit discipl. Ecclesiasticam celebrato Romæ concilio; munit SS. Augustini et Thomæ doctrinam contra Jansenistarum calumnias; laudat Scholam Thomisticam.
Clemens XII. 1740. Declarat Pontificis prioris laudibus nihil detractum esse ceteris Scholis catholicis.
Benedictus XIV 1758. Decidit causam Sinensem, controversias

de matrimoniis in ditione Protestantium, de usuris, de jejunio, de absolutione complicis, etc. Damnat propp. de duello ; præscribit regulas circa neganda Constit. *Unigenitus* refractariis sacramenta.

Pius VI 1799. Damn. statuta *synodi Pistoriensis*, necnon constitut. civilem cleri in Gallia.

SÆC. XIX.

Pius VII 1823. Dat rescriptum ad Vicar. Apostol. Trevirensem de matrimoniis mixtis.

Pius VIII 1831. Edit breve ad Episc. Rhenanos de iisdem matrim.

Gregorius XVI 1846. Damn. errores Lamennais ; novam instructionem edit de matrim. mixtis ; prohibet opera Hermesii : reprimit sententias Bautain.

Pius IX 1878. Definit dogma Immac. Conceptionis B. M.V.; edit instructiones tum circa fidem et rationem, tum circa matrim. civilia ; item, syllab. errorum. Inchoat Œcum. XIX.

§ 8. Sana philosophia.

128. A fontibus ad auctoritatem spectantibus ad illos facimus gradum, qui ad humanam rationem pertinent. Humana scilicet ratio dupliciter accipitur : 1° *subjective*, pro facultate naturali ratiocinandi; quo sensu est conditio, ac veluti instrumentum, in Theologia sicut in omni scientia humana necessarium. — 2° *Objective*, pro principiis ac veritatibus quæ naturali rationis lumine cognosci possunt ; adeoque pro omni scientia quæ sit humanæ rationis fœtus, quales Philosophia, Jurisprudentia et Historia esse intelliguntur.

129. Philosophia humana, ut supra dictum est [1], Theologiæ tanquam principali deservit et utilis est. Imo, ut ait Bened. XIV, non utilis tantum, sed necessaria est prævia veræ philosophiæ institutio, quæ viam ad Theologiam aperiat ; sed ita quidem, ut eidem semper obsequium præstet quod Agar Saræ præstare debuit, ex imperio Abrahami.

130. Philosophia quatenus est argumentorum locus theologo, sumitur objective, pro complexu scilicet *veritatum* quas sana ratio demonstrat, et *sententiarum* quæ optimis quibusque philosophis probantur.

131. Argumenta hujusmodi vocari solent *argumenta ex ratione ;* aut si misceantur principiis revelatis, *argumenta rationis theologicæ.*

132. Argumenta porro rationis juvant ad edocendos gentiles, convincendos rationalistas, instruendos fideles, et quoscumque hostes debellandos qui ex ratione fidem catholicam evertere

1 Cap. I, art. 2, n. 24.

conantur. Hunc in finem et SS. Patres plerique et scholastici passim hujusmodi argumentis utuntur, præcipue vero S. Thomas, qui, dum auctoritatem non negligit, rationum momenta nunquam omittit.

133. Regula hic theologo observanda, est, ut philosophia in sacræ disciplinæ adjutorium admissa, sit 1° vera ac certa in principiis, 2° sana in doctrinis, 3° cauta in delectu opinionum, 4° sobria in usu ; ideoque non præsumat naturali ratione evincere ea quæ, ut ex. gr. mysterium SS. Trinitatis, sola revelatione certo cognosci possunt.

§ 9. Jurisprudentia.

134. Jus aliud est *naturale*, aliud *civile* : hoc posterius vero aliud est Romanum seu Commune, aliud novum.

135. *Juris naturalis scientia* theologo utilis est valde. Nam cum jus naturæ, Moysis et Christi promulgatione evaserit positivo-divinum, hinc fit ut ratio et naturalis jurisperitia, ad revelationem in hac parte dilucidandam, conferre plurimum possit. In dubiis tamen standum est responsis Ecclesiæ, quæ juris naturalis interpres est infallibilis [1].

136. *Jurisprudentia civilis*, quamvis plurimum de libera imperantis voluntate habeat, æquitatem tamen naturalem ubique sectatur aut supponit. Unde patet, et ipsam ad jus naturale declarandum nonnunquam juvare posse.

§ 10. Historia.

137. Historia quæ merito a Cicerone vocatur *lux veritatis et magistra vitæ* [2], dividitur in *sacram* et *profanam*, prout gesta quæ perscribuntur, ad unam alteramve rerum classem pertinent. Hic nobis præcipue de historia sacra, et quidem de ea parte quæ *Ecclesiastica* dicitur, sermo esse debet.

138. Ut autem historia vere sit lux veritatis et magistra vitæ, duas comites *Geographiam* et *Chronologiam* habere debet, ducem vero artem *Criticam*.— Geographia et Chronologia ad cognoscenda, distinguenda facta, eaque memoriter retinenda inserviunt.

139. Ars critica in libros quoscumque, eorum auctores, textus, horumque sensum, ac res ipsas de quibus scribunt, judicium exercet ; adeoque ipsa historiæ fundamenta examinat. — Nititur autem, præter testimonium seu auctoritatem testium, tanquam propriis suis principiis, 1° conjectura, 2° traditione, 3° sensu et observantia Ecclesiæ sive universalis sive particularis, quæ vel ex Martyrologiis, Missalibus, Breviariis, Calendariis aliisque monumentis, vel ex solemnitatibus, moribus aliisque institutionibus colligi possunt.

[1] Cf. Tract. 5, *De reg., fidei*, propos. de objecto infallibilitatis Ecclesiæ, n. 210 seqq. — [2] *De Oratore*, lib. 2, c. 9, n. 36.

140. Circa conjecturam notanda sunt hæc duo : 1° non sufficere si ea rationi non adversetur, sed requiri præterea ut argumento positivo nitatur ; 2° communius acceptata vel antiquitus indubia, nequaquam vel ex conjecturis levissimis, vel ex argumento *mere* negativo abjicienda esse ; sed ad hoc requiri argumenta vere convincentia, hoc est, quæ vel positiva sint vel positivis æquivaleant [1].

141 His præmissis dicendum est, Historiam Ecclesiasticam plurimum subsidii scientiæ sacræ præstare, imo ipsam Historiam profanam, quatenus ad res ecclesiasticas dilucidandas confert, necessariam esse. Cujus rei ratio est tum quod religio per historiam primis mundi ætatibus tradita, a Moyse ad Christum usque conservata, post Christum iterum per historica facta et documenta in omnem terram ætatemque propagata fuit : tum quia Theologia per historiam præcipua sua principia, maxime directiva, accipit ; doctrinæ, disciplinæ ac rituum antiquitatem vel novitatem intelligit ; dogmatum fidei ac principiorum moralium occasionem, certitudinem ac sensum discit ; rerum ecclesiasticarum originem, usum, constantiamque aut varietatem cognoscit : denique quia per historiam sæpe facilius quam per ratiocinationem docetur et discitur fides, solidius confirmantur dogmata, efficacius refelluntur errores, illustrius expomuntur mysteria.

142. Quod ad soliditatem spectat nujusce generis argumentorum, Historia Ecclesiastica et profana non solum probabilem rationem theologo suppeditat ; verum etiam, si omnes historici in idem consentiant, dummodo sanæ criticæ sustineant censuram, argumentum omnino certum præbent ; cum in tali casu moralis evidentia habeatur.

143. Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ, præter S. Lucam historiographum canonicum, et Flavium Josephum ac Philonem Judæos, præcipue citari possunt sequentes : Hegesippus, Eusebius Cæsariensis in Palæstina Episcopus, qui Historiæ Ecclesiasticæ pater merito nuncupatur ; Ruffinus, Socrates et Sozomenus, Theodoretus, Cyri in Syria Episc., Gelasius Cizicenus, Philostorgius, Sulpitius Severus, Paulus Orosius, Evagrius Syrus, Gregorius Turonensis, Cassiodorus, Venerab. Beda, Anastasius Bibliothecarius, Luitprandus, Sigebertus Gemblacensis, Nicephorus Callistus ; — recentiore autem ævo principem locum tenet Card. Baronius : hic annales Ecclesiasticos perduxit ad annum 1198, quos alii dein continuarunt usque ad 1572, imo Spondanus usque ad 1640 prosecutus est.

[1] Cfr. Mabillon *De studiis monasticis*, et Honorat. a S. Maria, *Animadv. ad regulas ad usum critice*

Post Baronium accedunt Mabillon, Bossuet, Natalis Alexander, Card. Orsi, Berti, Saccarelli, Berault-Bercastel; nec omittendi Bollandiani Agiographi, qui *Actis Sanctorum*, tum rerum tractandarum copia, tum eximia critica, mirifica Ecclesiasticæ Historiæ subsidia contulerunt. — Hæc de Historia generatim.

144. Speciatim vero, quoniam utilissima est, imo necessaria, historica notitia de hæresibus quæ per sæculorum seriem in Ecclesia subortæ sunt, earum idcirco syllabum hoc loco apponimus.

145. *Syllabus hæreticorum:*

Sæculo I.

Simoniani.
Cerinthiani.
Ebionitæ.

Sæculo II.

Saturniani, a Saturnino.
Gnostici seu Carpocratiani.
Valentiniani.
Marcionitæ.
Encratitæ.
Montanistæ.
Millenarii.

Sæculo III.

Sabelliani.
Praxeani et Noëtiani,
Pauliani.
Novatiani.
Manichæi.
Docetæ et Phantasiastæ.

Sæculo IV.

Donatistæ.
Ariani.
Photiniani.
Aeriani.
Macedoniani.
Appollinaristæ.
Priscillianistæ.
Jovinianistæ.
Massaliani seu Euchitæ.

Sæculo V.

Pelagiani et Semipelagiani.
Nestoriani.
Eutychiani seu Monophysitæ.
Prædestinatiani.

Sæculo VI.

Jacobitæ.
Tritheitæ.
Origenistæ.

Sæculo VII.

Monothelitæ.
Pauliciani.
[Mahumetani.]

Sæculo VIII.

Iconomachi.
Adoptiani.

Sæculo IX.

Photiani.
Scotus Erigena.

Sæculo X. Vacat.

Sæculo XI.

Manichæi novi,
Berengariani,
Tritheismus Roscellini.

Sæculo XII.

Petrobrusiani, aut
Henriciani.
Albigenses.
Waldenses seu
Pauperes Lugdun., Cathari.
Tancheliani.
[Abailardus, Gilbertus Porretanus, Almaricus, et Joachim Abbas.]

Sæculo XIII.

Flagellantes.
Fraticelli,

Sæculo XIV.

Dulcinistæ.
Beguardi et Beguinæ.
Lollhardi.
Palamitæ seu Quietistæ orient
Turlupini.
Wicleffitæ.
[Raymundus Lullus.]

Sæculo XV.

Hussitæ, qui et Thaboritæ et Callixtini dicti.
Petrus de Osma.

Sæculo XVI.

Lutherani seu Protestantes.
Anabaptistæ.
Sociniani seu Unitarii.
Zwingliani seu Sacramentarii.
Calviniani seu Hugonotti.
Anglicani seu Episcopales.
Baiani.
[Erasmus [1].]

Sæculo XVII.

Jansenistæ, Arnaldus et Quesnel.
Quietistæ et Molinos.
Arminiani seu Remonstrantes.
Pietistæ.
Præadamitæ.

Sæculo XVIII.

Quesnellistæ seu Appellantes.
Franco Murarii.
Deistæ.
Naturalistæ et pseudophilosophi.

Sæculo XIX.

Rationalistæ et Indifferentistæ.

ARTICULUS III.

DE PROPOSITIONIBUS ET CONCLUSIONIBUS THEOLOGICIS.

146. Cum hactenus de Theologiæ principiis egerimus, consentaneum videtur, uti jam de *propositionibus et conclusionibus* theologicis agamus. Hæc autem duo merito conjunguntur : quia quæ respectu principiorum conclusio est, eadem, præcisione facta a principiis, simpliciter propositio vocatur. Quanquam vox *propositio* latius patet quam *conclusio*, ut ex sequentibus palam fiet.

§ 1. De propositione theologica.

147. Propositio theologica universim sumpta, est affirmatio vel negatio quælibet in materia theologica. Alia est *orthodoxa*, alia *heterodoxa*.

148. 1° *Orthodoxæ* propositiones distinguuntur bifariam : ratione scilicet *declarationis* et ratione *obligationis* per Ecclesiam factæ.

149. 1) Ratione *declarationis*, propositio dicitur vel *de fide*, vel *de fide catholica*, vel *de fide theologica*, vel *fidei proxima* aut *fide certa*, vel, *simpliciter certa*, vel *sententia communis*, vel *sententia probabilis* aut *probabilior*.

150. Propositio *de fide*, scilicet quoad se, seu fidei dogma, vocatur generatim id omne, quod in deposito fidei, hoc est in Scriptura et Traditione continetur : abstrahendo ab explicita declaratione seu propositione Ecclesiæ. — Porro alia dicuntur dogmata *fidei*, strictiore sensu, alia dogmata morum.

[1] Erasmus Roterodamiensis, turbarum hujus sæculi se ipso judice auctor, dubiæ fidei homo, de quo Germani dixerunt : « Erasmus innuit, Lutherus irruit : Erasmus dubitat, Lutherus asseverat ; vel Erasmus Lutherizat, vel Lutherus Erasmizat. » — Verbis magis categoricis Danes : Erasmus, inquit, in nonnullis damnatus, in multis suspectus, in omnibus est caute legendus : attamen in communione catholica mortuus 1536. » *Generalis temp. notio.*

151. *De fide catholica*, seu de fide quoad nos, est illa propositio, quæ ab Ecclesia aperte declarata est, proposita ac definita, et cujus contradictoria est hæretica ; seu, ut verbis utar Veronii, *de fide catholica est illud omne et solum, quod est revelatum in verbo Dei, et propositum omnibus ab Ecclesia catholica, fide divina credendum* [1]. — Illud autem omne censendum est ita propositum,-1) quod in Scripturis immediate apparet contentum, ut ex. gr. Christi nativitas in Bethlehem, ejus agonia, ejus flagellatio, etc. -2) Quod in Scripturis obscurius continetur, sed ab Ecclesia ibidem contineri declaratum fuit. -3) Quod ab Ecclesia tanquam de fide definitum est, aut cujus contradictorium tanquam hæreticum fuit damnatum. -4) Quod Ecclesiæ communi doctrina et usu omnibus manifestum est; nimirum quod tam aperte ac notorie ab Ecclesia ut objectum fidei indicatur v. g. in cultu et orationibus publicis, ut nulla id tergiversatione negari possit. Exemplum est in dogmate Angelorum custodum, quos Ecclesia ad nostram custodiam mitti in suis orationibus clare pronuntiat [2]. Veritas de fide catholica vocatur quoque *de fide definita*, *dogma* simpliciter dictum, *articulus fidei*. — *Articuli* tamen fidei stricte dici solent ea dogmata, quæ inter fidei veritates primarium quemdam locum obtinent,et sunt veluti quædam fidei capita, in quibus alia dogmata continentur ; quales sunt articuli Symboli ; dum reliqua dogmata potius *puncta* fidei dici solent.

152. *De fide theologica* generatim ea omnia vocantur, quæ quocumque modo a Deo revelata sunt, sive private sive publice, adeoque fide divina credi possunt; speciatim autem et *proprie*, ea quæ in Scriptura aut Traditione contineri certo demonstrantur, seclusa tamen Ecclesiæ definitione. Hujusmodi enuntiatio dicitur quoque *de fide definibili*, ejusque contradictoria est error in fide, et peccatum infidelitatis inducit.

153. *Fidei proxima* est quælibet propositio connexa cum dogmate, aut tanquam conclusio ex eo fluens ; et dicitur quoque *ad fidem pertinens*, *fide certa*. Specialius tamen fide certæ illæ dicuntur propositiones, quæ, sive a synode Œcumenica, sive a Rom. Pontifice declaratæ sunt ut veræ quidem, at non explicite ut fidei veritates sub anathematis pœna credendæ. Hujusmodi sunt multarum propositionum damnatarum contradictoriæ ; quæ etiam simpliciter veritates catholicæ vocari possunt, quasque sine infidelitatis peccato negare nemo potest.

154. *Simpliciter certa* est ea, cujus veritas rationabili dubio

[1] Cf. Veron. *Regula fidei cathol.* — [2] Exemplum a contrario datur in Assumptione B. M. V., quam Ecclesia fuisse *in carne* assumptam, non formaliter pronuntiat. Quare B. Virginis assumptio corporalis non pro fidei articulo habetur. Quanquam, misso hoc theologico rigore, ita Ecclesiæ mens perspecta est, ut nemo fidelis sit qui hujus mysterii veritatem non agnoscat et credat.

subjici nequit : licet ad gradum, in quo *fidei proxima* collocata est, non pertingat.

155. *Sententia communis* illa dicitur, quæ, licet obscurius in revelatione contenta, ita communiter tamen a Theologis docetur, ut sit certitudini proxima, nec sine temeritatis nota respui possit.

156. *Sententia probabilis* vel *probabilior* illa est, quæ ab aliqua magnæ auctoritatis schola recepta est, et cum Ecclesiæ pace docetur.

157. -2) Ratione *obligationis*, propositio theologica est vel *necessaria*, vel *libera*, vel *tolerata*.

158. *Necessaria* est illa propositio vel doctrina, quam Ecclesia catholica sic profitetur, ut cunctis eam fidelibus proponat, cum obligatione illam credendi vel in praxi tenendi : hujusmodi sunt definitiones Conciliorum. — Hæc illa necessaria sunt, in quibus omnes fideles consentientes esse debent juxta hoc Augustini effatum : *In necessariis unitas.* — Quanquam omnis propositio fidei proxima et ipsa est, licet minus rigoroso sensu, necessaria.

159. *Libera* est ea, quæ neque de fide est, neque fidei bonisve moribus contraria, ac in scholis catholicis innoxie palam traditur a multis. — Exempla doctrinæ liberæ sunt, diversæ de æterna hominum prædestinatione, *ante* vel *post* prævisa absolute merita, sententiæ ; item de scientia media, nec non de gratia per se *ab intrinseco efficaci*, in sensu scholarum catholicarum, etc.

160. *Tolerata* est ea opinio, quæ, licet communius orthodoxis Theologis videatur fidei vel bonis moribus repugnare, nondum tamen aperto Ecclesiæ judicio damnata vel proscripta est. Ex. gr. opinio de *millenario* Christi in terris regno, post corporum nostrorum resurrectionem, quæ tolerata fuit usque ad Damasi Papæ tempora [380] : item de *invalido* hæreticorum baptismo, ante apertam Ecclesiæ definitionem in contrarium [1] ; de dilata justorum *visione beatifica* usque ad extremum judicii diem, quæ sententia fuit tolerata usque ad tempora Benedicti XII (1340), et Concilii Florentini, a quo damnata fuit ut hæretica.

161. 2° *Heterodoxa* propositio, seu erronea, est quæcumque veritatibus theologicis adversatur. — Aliæ sunt erroneæ in fide, aliæ in moribus.— Iterum, aliæ sunt vel *hæreticæ* vel *erroneæ* (specifice tales), vel *hæresi proximæ*, vel *hæresin sapientes*, *de hæresi suspectæ*, *schismaticæ*, *temerariæ*, aliæ demum dicuntur *seditiosæ*, *blasphemæ*, *impiæ*, *injuriosæ*, *male sonantes*, *piarum aurium offensivæ*.

162. Propositio *hæretica* est ea, quæ certo, directe et imme-

[1] Trid. Sess. 7, *de Bapt.*, can. 4.

diate, adversatur veritati catholicæ, certo revelatæ in verbo Dei scripto vel tradito, sive expresso, sive per Ecclesiæ definitionem declarato vel exposito : ut v. g. *Verbum Dei non est incarnatum ; Christus non est Filius Dei consubstantialis Patri*, etc.

163. Propositio *erronea*, specifice talis et prout distincta ab hæretica, quæque etiam *error in fide* dici potest, illa est, quæ directe propositioni *de fide theologica* opponitur, et omnes conditiones habet, ut ab Ecclesia declarari hæretica possit.

164. *Hæresi proxima* ea est, quæ cum hæretica connectitur aut ex ea fluit, et propositioni *fidei proximæ* opponitur.

165 *Hæresin sapiens* ea est, quæ de se quidem est capax duplicis sensus proprii, orthodoxi videlicet et hæretici ; attamen sensu hæretico censetur prævalere : sive ratione sui, eo quod verba ex se nata sint, majore cum proprietate exprimere sensum hæreticum quam catholicum ; sive propter externas circumstantias loci, temporis, personarum, in quibus, aut a quibus profertur ; unde fundamentum præbet probabiliter judicandi, hæresin sub illa, aut in ejus auctore delitescere : v. g. *fides justificat*, propositio est orthodoxa in ore Catholici, hæresim sapit in ore Lutherani.

166. *De hæresi suspecta* est talis propositio, quæ fundamentum ad judicandum hæresim subesse non suppeditet ; sed duntaxat ad id prudenter suspicandum aut formidandum, inducat.

167. Propositio *schismatica*, prout contra hæreticam distinguitur, illa est, quæ schismati sive scissioni ecclesiasticæ unitatis, per separationem a capite vel a membris reliquis, viam aperit ; retrahendo scilicet ab obedientia, superioribus ecclesiasticis, ac præcipue Summo Pontifici totius ecclesiasticæ unitatis centro, debita ; vel a spirituali communicatione cum ceteris fidelibus disjungendo.

168. *Temeraria* propositio ea est, quæ in materia theologica seu dogmatica fidei vel morum, aut aliquo modo cum hac connexa, arbitrarie, imprudenter, ac temere sine rationis regula, vel contra hanc, asseritur. Hujusmodi solet esse ea, quæ contra se habet communem SS. Patrum doctrinam, constantem Theologorum sententiam, rationesve gravissimas, quibus absque gravi auctoritatis vel rationis fundamento contradicit [1].

169. Quæ sint porro propositiones, *seditiosæ*, *blasphemæ*, etc., ipsa denominatione intelligitur.

170. Præfati propositionum heterodoxarum characteres vocantur quoque *notæ* theologicæ, seu *censuræ*, scilicet doctrinales, quæ a *pœnalibus* censuris omnino distinguuntur. Hujusmodi doctrinalis censura definiri potest : *Sententia per quam*

1 Cf. *Prodrom. ad Theol. dogm.* auctore Gautier, S. J., apud Zaccariam, t. I.

nota prava et maligna, doctrinæ alicui theologice erroneæ, vel quocumque modo vitiosæ, inuritur.

171. Sententia theologicam ferens censuram, distingui potest et debet duplex : una quæ *simpliciter doctrinalis* dicitur, et est eorum qui, licet nulla fruantur auctoritate cœlitus sibi commissa ad servandam fidei integritatem ; nihilominus tamen varias notant propositiones, quarum virus discernunt eo facilius, quo peritiores habentur et sunt. Talis sententia doctrinalis a Doctoribus theologis profertur, et a sacris Universitatum Facultatibus. Altera *judicialis* appellatur, quæ ab Episcopis ertur, pro jure ac munere sibi divinitus collato ; et quidem infallibilis hæc sententia est, si feratur ab Episcoporum principe, Rom. Pontifice, ex Cathedra ; vel ipsius, aut Concilii Œcumenici sanctione confirmetur.

§ 2. De conclusione theologica

172. *Conclusio theologica* in genere, est deductio quælibet ex principiis fidei, sive revelationis, derivata. — In specie distinguitur duplex : prima ex præmissis duabus revelatis deducitur, secunda ex una præmissa revelata et altera naturali infertur. Conclusio, si dogma enuntiat seu materiam fidei, ac proinde revelata est dicenda, vocatur *dogmatica ;* secus, *mere scholastica* dici solet.

173. Jam vero, quandonam conclusio pro revelata et *de fide* habenda est ? Resp. Regula generalis est hæc : Si conclusio formaliter et immediate contineatur in præmissis, vel in præmissa, de fide, tanquam pars in toto, vel singulare in collectivo ; et deductio se tantum habeat per modum proponentis et explicantis : conclusio erit de fide. Si vero conclusio non contineatur formaliter in præmissis, sed tantum virtualiter, tunc non est formaliter revelata ; solummodo occasione revelationis a ratione deprehenditur, adeoque fœtus rationis censenda. Quare hujusmodi conclusio non est per se materia fidei ; cum in illa admittenda, assensus non immediate primæ veritati innitatur, sed naturali discursui, quo connexionem conclusionis cum præmissis deprehendimus.

174. Hinc 1° quæ conclusio deducitur liquido ex duplici præmissa revelata, ea, de consensu omnium, etiam revelata censetur.

175. 2° Illa quæ deducitur ex una revelata et altera naturali, potest esse vel non esse revelata. Si fuerit mere *explicativa*, erit immediate revelata ; sin vero *illativa*, non erit sic revelata. — Quod ut intelligatur, notandum est cum Tournely et Billuart, conclusionem in præmissis contineri vel *virtualiter* vel *formaliter*. Virtualiter, nempe ratione connexionis naturalis, ut proprietas in essentia, effectus in causa : v. g. Omnis homo est

risibilis : atqui Christus est homo ; ergo Christus est risibilis.— Formaliter, nempe ratione significationis, ut pars in toto continetur, singulare in collectivo, implicitum in explicito, terminis æquivalentibus expressum ; ut si dicas, *Christus est unus substantia cum Patre; ergo est Patri consubstantialis.* Vel : *Christus mortuus est pro omnibus; ergo est mortuus et pro Petro.* — In illo quidem priori conclusionis genere datur vera deductio, vera proinde conclusio, quæ a notioribus ad minus nota incedere debet ; in posteriori vero, non stricta conclusio, sed mera terminorum præmissarum explicatio, et expositio sub forma syllogistica. — Jam vero in secundo casu , conclusio est immediate revelata, in priori autem, ubi conclusio proprie strictequc dicta est, cum plerisque theologis tenemus, eam non esse pro revelata habendam [1].

176. Notandum tamen est, sæpe hujusmodi conclusionem, quæ solum virtualiter continetur in præmissis, dici de fide indirecte, in quantum negata conclusione, hoc ipso præmissa de fide negaretur. Ex. gr. si quis propositionem ad mores mere spectantem, postquam ab Ecclesia damnata fuerit propugnaret, ille indirecte aliam propositionem quæ contra fidem est defenderet : nimirum, Ecclesiam in condemnanda propositione morali errare posse ; quod est hæreticum. Et e converso, qui hujusmodi conclusioni assentitur, indirecte assentitur propositioni revelatæ quæ in præmissis continetur.

[1] Cf. Theol. Wirceb. *De virtutib. theol.*, disp. 2, cap. I, art. 2 et 3. — *Item* Lugo, tom. III, *De fide*, disp. 1, sect. 13, § 1-4. — *Item*, hujus operis tom. II, *Tract de Virtutibus*, cap. 2, art. 2, sect. 2.

CAPUT TERTIUM.

DE THEOLOGIÆ HISTORIA.

ARTICULUS UNICUS.

177. Licet Theologiæ exordium ab ipsis humani generis incunabulis repeti possit ; ejusque existentia ac progressus primum in Patriarcharum familiis, deinde in Judæorum synagogis usque ad Christi adventum, ad plenam Theologiæ historiam pertinere videatur : illa tamen parte omissa quæ Christi adventum præcessit, de ea tantum quæ subsecuta est, pro instituto nostro, tractabimus. Postquam enim Verbum Dei incarnatum in terris apparuit erudiens nos, nova ac divinior quædam Theologia, nempe Christiana, exorta est ; cujus nos institutiones tradere intendimus,cujusque proin solius historiam, breviter contextam, præmittere debemus.

178. Ut itaque a rei partitione exordiamur, christianæ Theologiæ historia commode potest in sex epochas, seu periodos, dividi : 1ª ab ætate apostolica se porrigit usque ad controversiam Arianam ; — 2ª ab hac, usque ad S. Augustinum ; — 3ª ab Augustino, usque ad S. Anselmum ; — 4ª a S. Anselmo, usque ad Concil. Tridentinum ; — 5ª a Tridentino, usque ad Kantianam Philosophiam ; — 6ª a Philosophia Kantiana ad nos usque descendit [1]. — Hæ variæ epochæ, si character prædominans spectetur, ita distinguuntur, ut 1ª dici possit fuisse apologetica, 2ª polemica, 3ª dogmatico-polemica, 4ª scholastica, 5ª positivo-scholastica, 6ª positiva.

EPOCHA 1ª.

179. In 1ª epocha, SS. Patres adversus idololatriam et philosophiam ethnicam frequentes edunt apologias ; quibus, dum christianam tuentur fidem, ejusdem expositionem philosophice ac scientifice complectuntur. Hac itaque christianæ veritatis defensione, mythologiæ vanitas ac idololatriæ impietas detegitur ; mundi quoque origo, hominis libertas, ejus casus, ejusque per Verbum divinum reparatio, adstruitur. Quandoque etiam primævi illi Patres, adversus Judæos et hæreticos Gnosticos, veritatem et puritatem fidei defendunt. — Hanc epocham præcipue

[1] Cf. Perrone, *Synopsis hist. theol.*

repræsentant Justinus, philosophus et Martyr; Athenagoras, Clemens Alex., Origenes, Theophilus Antioch., Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, et Eusebius Cæsariensis, in *Præparatione* et *Demonstratione Evangelica*.

EPOCHA 2ª.

180. In 2ª epocha. luctandum in Oriente fuit adversus hæresim Arianam, ejusque infinitas subtilitates et transformationes; deinde vero, adversus Nestorianismum, Euthychianismum; et non multo post, adversus Monothelismum bellum exarsit. — In aciem prodierunt veritatis propugnatores, inter alios multos insignes, S. Athanasius, Cyrillus Alexandrinus, Leo, Maximus Martyr; qui totam substantiam Christi, tum qua Deus, tum qua homo est, ita dilucidarunt, ut circa christologiam seu Incarnationis mysterium, maximum Theologiæ attulerint scientificum incrementum.

EPOCHA 3ª.

181. In 3ª epocha eminent, S. Augustinus, quasi princeps in Occidente; et non mediocri quoque laude, S. Joannes Damascenus in Oriente.— Ingenii vi et acumine S. Augustinus, communi consensu, primas obtinuit. Cum ex bonis artibus ad philosophicas excolendas disciplinas totum se contulisset, Philosophiæ Platonicæ ac Neoplatonicæ maxime fuit addictus; qua non modice adjutus est, ut a Manichæorum laqueis, in quos Carthagine inciderat, se eriperet. Ad fidem catholicam ex animo conversus, scripta edidit copiosissima: moralia, dogmatica, polemica. Cumque in polemicis tres potissimum sectas aggressus fuerit, Manichæorum, Donatistarum et Pelagianorum; mirum in modum scientiam theologicam easdem impugnando provexit, in quæstionibus, quæ, tum circa mundi originem ac finem, tum circa bonum ac malum, hominisque libertatem ac ejus abusum versantur. Theoriam præterea exponit Ecclesiæ; ejusque unitatem, et infallibilitatem in rebus quæ fidem attingunt ita dilucidat, ut auctoritatem Ecclesiæ ipsis sacris Bibliis anteponendam esse demonstret: quandoquidem Biblia admittamus Ecclesiæ auctoritate permoti [1], ac proin ipsa Biblia, adeoque et vera fides, per Ecclesiam nobis innotescant. Denique S. Doctor actionem Dei in voluntatem nostram mirifice adstruxit per doctrinam de Gratia, quam adversus Pelagianos propugnavit. — Doctrinam S. Augustini summatim thesaurum ac promptuarium vere vocaveris; ex quo deinceps divitias theologicæ, imo philosophicæ scientiæ, compararunt sibi omnes; vel saltem, si eidem impense studerent, comparare possent.

1 Lib. *contra Epist. fundam.* c. 4 et alibi.

182. Alter egregie de Theologia meritus est S. Joannes Damascenus, qui sæc. VIII, tractatum scripsit *De hæresibus*, et quatuor libros *De fide orthodoxa*. Hoc posterius opus, in quo præcipua fidei dogmata ex Scripturis et Patribus adstruuntur, veluti summa theologica spectari potest; et primum hujus generis scriptum est quod in Ecclesia prodierit; idemque normam Scholasticis præbuit, qui doctrinæ catholicæ systema in unum corpus redegerunt.

183. Interim, per hanc tertiam epocham, theologica disciplina pedetentim ab altitudine illa, ad quam a Doctoribus IV et V sæculi fuerat evecta, declinavit. Verumtamen, quamvis hæc periodus ab anterioribus distet, non omni prorsus progressu caruit; verum in progrediendo impedita fuit et languens. Non aliud quippe miseranda temporum conditio ferebat.

EPOCHA 4a.

184. In 4ª epocha germinare incipit Theologia Scholastica, et continuis incrementis penitus evolvitur. Luctæ S. Anselmi adversus Roscellinum et Nominalistas, item S. Bernardi adversus Abailardum, ac paulo post, labores utriusque Victorini, Scholasticorum primordia ostenderunt. Scholasticæ tamen Theologiæ presse sumptæ, ut alibi dictum est, parens salutatur Petrus Lombardus, Magister Sententiarum nuncupatus, propter celeberrimum, quod an. 1160 edidit opus, inscriptum: *Sententiarum libri quatuor*. Commentaria in hos libros edidisse perhibentur innumeri fere theologi; quos inter celebriores occurrunt: Alexander Alensis, Albertus M., S. Bonaventura et S. Thomas Aquinas. Hic vero præ omnibus adeo excelluit, ut *Angelicus Doctor* fuerit nuncupatus; et id quidem optimo jure, sive miram ingenii felicitatem spectes, sive scriptorum copiam et perspicuitatem. Præcipua S. Thomæ opera, præter commentarium in Magistrum Sententiarum, recensentur *Summa contra gentiles*, opus vere absolutissimum, quod philosophi non minus quam theologi semper suspexerunt; et *Summa theologica*, quæ aliorum ipsius librorum veluti compendium est, ex quibus et *supplementum* partis 3æ, quam auctor morte præventus imperfectam reliquit, est desumptum. Mirus in *Summa* elucet ordo, quo omnia apprime connectuntur ac evolvuntur; adeo ut aptissime arbori comparata fuerit, quæ crescit in fustum, se dilatat in ramos, et frondibus ac foliis convestitur. Innumeros et hæc enarratores habuit.

185. Post S. Thomam, exeunte sæc. XIII, Theologorum natio scissa est in tres sectas, seu ut aiunt, vias; quarum 1ª *Thomistica* complectitur illos, qui D. Thomæ placita sectantur; 2ª *Ægidiana*, eos qui Ægidii Romani, familia Columnensis, sententias amplectuntur; 3ª *Scotistica*, hos qui Joannis Duns, vulgo Scoti,

sensus tuentur. — Succedente tempore, 4ª schola emersit, Recentiorum dicta, qui scilicet nullius magistri in verba jurare patientes, systema eclecticum aut novum constituerunt; quamvis ordinem, vel Librorum Sententiarum, vel Summæ S. Thomæ, non respuerint.

EPOCHA 5ª.

186. In 5ª epocha, ab ætate nempe Protestantismi et Concilii Tridentini inchoanda, Theologia apparet positivo-scholastica. Theologi scilicet a scholæ speculationibus ad positivam defensionem dogmatum, quæ adversus modernos hæreticos Tridentina Synodus definierat, fuere devocati. Unde multo magis quam antea invaluit Theologia presse dogmatica, quam *positivam* dicunt. — Nequaquam tamen ideo Scholastica fuit plane obliterata; quin, potius eo se detergens squalore, quem pseudo-scholasticorum ac temporum vitio contraxerat, opera Francisci Victoria et Melchioris Cano, iterum viguit, et suum visa est splendorem recuperare. Quod præclare testantur opera atque elucubrationes Salmanticensium, Maldonati, card. Joan. de Aguirre, utriusque Soti, Sylvii, Gammachæi, Isamberti, Duvalli, Goneti, Valentiæ, Toleti, De Lugo, Lessii, Vasquezii, Suarezii, etc. — Ex altera autem parte, in dogmatibus positive propugnandis præcelluit card. Bellarminus, cujus *Controversiarum* opus adhuc tanquam validissimum fidei armamentarium consistit, nec unquam deficiet. Hunc secuti sunt card. alter, David Du Perron, Gretzerus, fratres Walenburgici, Becanus, Thomassinus, Bossuetius, et Petavius qui, inter theologos positivos, merito princeps censetur. Alia nomina fere innumera hic citari possent, cum epocha de qua disserimus, præstantissimis viris fuerit uberrima; nec ulla sit scientiæ sacræ pars, quæ cultores suos eximios nacta non fuerit.

187. Etenim ex hoc potissimum tempore Scriptura sacra nobilissimos habuit interpretes atque expositores: inter quos excelluerunt Salmeron, Toletus, Sanctius, Maldonatus, Estius, Lorinus, Bonfrerius, Pineda, Corn. a Lapide, Tirinus, Menochius, Calmet, aliique pene innumeri.—Collectiones Conciliorum adornarunt Sirmondus, Labbeus, Harduinus, etc. — Scripta Patrum ediderunt Petavius, Sirmondus, Cotelerius, etc. — Liturgias Orientalium et Occidentalium Ecclesiarum collegerunt et vulgarunt Renaudotius, Martenius, Mabillonius, card. Bona, Muratorius, atque uterque Assemanus. — Historia Ecclesiastica illustrata est per Baronium, Bollandianos, etc. — Christianas antiquitates investigarunt archæologi eruditissimi, Bosius, Arringhius, Boldettus, Maffeius, Muratorius, Scheelstrate, Zaccaria, etc.; quibus subsidiis mirum in modum Theologia profecit.

EPOCHA 6ª.

188. In 6ª epocha, ab exordio scilicet philosophiæ Kantianæ, Theologia fere tota *positiva* evasit. Cum enim undequaque dogmata, et quidem novis artibus, oppugnarentur ; undequaque etiam novis adaptatis defensionibus, eadem tueri theologi debuerunt. Impetita præsertim fuerunt ipsa fidei fundamenta, per pseudo-philosophiam, quæ in Germania sub forma rationalismi theologici, in Gallia vero sub forma neo-eclectismi, prodiit. Eadem Fidei fundamenta subruta fuere alio modo, per temerarios ipsius Fidei defensores, qui, ut Lamennais et Hermesius, ipsa rationis principia, seu Fidei præambula, subverterunt. — Impetita fuere Ecclesiæ, Pontificisque Romani jura et potestas ; — impetita particularia et fere singula dogmata, et quidem nomine scientiæ, sive historicæ sive physicæ, quam adversarii constanter Fidei opponere nitebantur : ut specie hujusmodi confictæ antithesis, Fidem, tanquam rationis lumini oppositam, exploderent. — Quare catholici theologi, sanæ philosophiæ ac veræ scientiæ arma compararunt, quibus arma mendacii perfringerent. Viri plurimi hoc genere notabilitati citari possent, ut card. Gotti, Houtteville, Nonnotte, Bergier, Gauchat, Guénée, Feller, card. Gerdill, Zallinger, Baldinotti, Gallupi, Balmès, in philosophicis ; — Zaccaria, Bolgeni, Ballerini, Marchetti, Muzzarelli, Milner, Roskovany, Wiseman, Kenrick, Klee, in controversiis dogmaticis ; — Zaccaria iterum, Bianchi, Devoti, Zallinger, in Jure Canonico. — Præterea Ecclesiastica historia, patristica, scripturistica, archæologia sacra ; singulæ demum sacrarum disciplinarum provinciæ, a viris clarissimis ita porro excoluntur, ut indies uberiore luce, adversus renascentes usque errores, veritas catholica invalescat.

CAPUT QUARTUM.

DE THEOLOGIÆ METHODO.

Articulus I, *de methodo generatim*.
Articulus II, *de Theologiæ systemate, ac methodo sequenda.*

ARTICULUS I.

DE METHODO GENERATIM.

189. Methodus est ordinata ratio inquirendi veritatem, eamque, postquam inventa est, aliis communicandi. — Distinguitur 1° methodus *generalis* et *particularis*; 2° methodus *analytica* et *synthetica*.

190. *Generalis methodus*, seu dispositio generalis, ea est, quæ totius operis ordinat processum; *particularis* vero, est modus tractandi particulares quæstiones, et processum in singulis operis articulis dirigit.

191. Methodus *analytica*, id est, resolutionis [1], a complexu seu toto, ad simpliciora seu partes, a particulari ad universalia tendit, ab effectibus ad causam; soletque incipiendo a notis ad ignota devenire. Exempli gratia, si e S. Scriptura eruo varia fidei dogmata; si contra hæreticos polemice agens, ex eo quod admittunt ascendo ad reliqua quæ rejiciunt; sequor processum analyticum. Hæc dicitur quoque methodus discendi vel *inventionis*.

192. Methodus *synthetica*, id est, compositionis [2], a simplicioribus ad complexiora, ab universali ad particularia, a causa ad effectus progreditur. Per hanc veritas jam nota manifestari aliis solet, estque methodus docendi seu *demonstrationis*. — Differentia characteristica inter hanc methodum et præcedentem

[1] Resolvit analysis, eo quod principia universalia et elementa ad quæ devenit, iis conditionibus liberat, quibus antea coarctabantur; sic ex notione singulari *Petri*, notas individuantes et particulares detrahendo, devenit ad notionem universalem ac simplicem *hominis*. Cf. Liberatore, *Institutiones philos.* Logic. part. 2, n. 255. — [2] Componit synthesis, quia, dum ad particularia descendit, notiones generales novis conceptibus vestit et determinat, elementa simul jungit, ut compositum inde conflетur: sic, ex notione *Dei* et *hominis* Christo applicata, ad omnes proprietates divinæ et humanæ naturæ Verbo incarnato tribuendas deducitur. Cf. Liberatore, ibid.

existit, quod per analyticam quo perventuri simus ignoramus ; per syntheticam vero, clare ab initio terminum quo tendimus perspectum habemus, neque ambulamus in incerto.

193. Methodus synthetica spectari potest ut est *generalis*, seu ut applicata universo scientiæ alicujus objecto ; vel ut est *particularis*, seu applicata quæstionibus singulis.

194. Methodus *synthetica generalis*, primo totum scientificum opus, quod construendum est, quasi ædificii formam sub oculis ponit illudque dein per partes, a generalioribus ad particularia procedendo, reconstruit. Ex. gr. si docens Theologiam, ab initio statuo, *veram religionem esse illam, quæ continetur fide catholica Romana ;* si deinde ad probandam hanc thesim, considero primo, quomodo *vera religio sit religio Christiana*, dein *quomodo verus Christianismus sit in Ecclesia Catholica*, demum *quæ et qualia sint catholica dogmatica singula ;* hac procedendi via sequor methodum syntheticam generalem.

195. Methodus synthetica *particularibus* quæstionibus applicata, hanc habet indolem, ut ab initio ponat thesim seu *propositionem*, dein argumenta subjungat, donec perveniat ad concludendum *id quod demonstrandum* erat positum in thesi.

ARTICULUS II.

DE THEOLOGIÆ SYSTEMATE ET METHODO SEQUENDA.

§ 1. De theologiæ systemate.

196. Methodus synthetica, complete et adæquate sumpta, systema supponit et includit. Etenim illa divisio totius in suas partes, non fit sine ratione connexionis et dependentiæ partium inter se, quæ ipsius systematis ratio est. Systema namque est quoddam totum, per modum corporis organici constitutum. Porro corpus organicum est compositum quodpiam unum, ex capite et membris constans inter se conjunctis et subordinatis, quale in animalibus et plantis videre est. Hinc systematis notio facile concipitur, cujus etiam exempla intueri licet in corpore humano, ubi datur systema membrorum ; in horologio, ubi est systema rotularum ; in bello, ubi est systema oppugnationis aut defensionis ; in cœlo, ubi est systema astrorum ; in organo musico, ubi systema chordarum : similiter in religione datur systema doctrinæ, et in Theologia systema ejusdem doctrinæ scientificum.

197. Scientificum porro systema definiri potest : Multitudo cognitionum, juxta leges logicas, in totum unum ceu corpus conjunctarum ; unde *systema theologicum* recte dicetur : *Tota doctrina religionis in unum corpus ordinata atque composita.* — Jam vero hujusmodi systema methodus synthetica, si

perfecta fuerit, supponit : quippe quæcomplexum doctrinæ proponere debeat, non tantum ut compositum quodpiam seu aggregatum ; sed tanquam aliquod totum, quod ex partibus connexis constituatur in corpus.

198. Ut autem systema theologicum conficiatur, vario quidem modo componi partes possunt, sicut vario modo possunt partes ædificii construi ; sed curandum est, ut fiat structura solida, intregra atque commoda ; ne forte opus labile, incompletum, incommodum aut obscurum evadat. Quare statui possunt sequentes regulæ.

199. 1° Systema sit completum, i.e. integrum Theologiæ objectum complectatur. — 2° Sit distinctum ac subdistinctum in partes. — 3° Partes omnes ita subordinatæ sint inter se et connexæ, et unum quoddam corpus firmamque compaginem constituant.

200. Hinc opportunum visum est, scholasticam methodum breviter oculis subjicere ; tum exempli causa, tum etiam ut cernatur, quam immerito hæc methodus fuerit ab acatholicis explosa ; quamque recte sanæ doctrinæ ac præstantioris ingenii viri, cum Turnelio asserant, eam esse tradendis ac discendis disciplinis aptissimam.

Methodus scholastica.

201. Scholastica institutio, posterioribus præsertim sæculis magis exculta, suamque perfectionem assecuta, hac methodo tum generali tum particulari incedit.

202. 1° *Methodus generalis*. Quæstiones tum dogmaticas, hic illic in SS. Patrum voluminibus disseminatas ; tum alias deinceps exortas controversias, in brevem quamdam summam contrahit, atque unum veluti in corpus redigit. — Corpus hoc in sua membra distincte partitur, certoque ordine recte disponit : ac universim quidem in partes quasdam præcipuas, quos *libros* vel *tractatus* vulgo dicimus ; tractatus vero ipsos subdividit in plures *disputationes* aut *dissertationes ;* has vel illas iterum in plura *capita* ; ista denuo in varios *articulos, paragraphos* aut *sectiones* dispertit, prout exigit disputationis argumentum : ita tamen ut una, eaque posterior quæstio, naturaliter ac veluti sponte subnascatur ex alia priore, vel ad hanc dilucidandam ordinetur, prout Angelicus Doctor in sua Summa exacte observavit.

Summæ D. Thomæ conspectus.

203. D. Thomas in sua Summa hanc procedendi rationem sequitur, ut primo consideret Deum in se ; secundo in creaturis, quarum est principium et finis ; tertio ipsarum creaturarum motum in Deum per Christum et sacramenta. — Universam hanc mate-

riam dividit in tres partes, quæ, quoniam secunda duplex est, quatuor partibus æquivalent.

1ª PARS, De Deo, Trinitate, mundo, angelis et hominibus. Continet quæstiones 119.

1ª 2æ De beatitudine, actibus humanis, passionibus, habitibus, virtutibus. peccatis et vitiis, legibus, gratia et merito. Quæstiones 114.

2ª 2æ De virtutibus theologicis et cardinalibus, oppositisque vitiis; de gratiis gratis datis; de diversis officiis, vita, statuque hominum. Quæstiones 189.

3ª PARS. De Incarnatione, Christi vita et mysteriis, tribus primis sacramentis, et Pœnitentia in genere. Quæstiones 90.

SUPPLEMENTUM PARTIS 3æ. De Pœnitentiæ partibus, Extrema-Unctione, Ordine, Matrimonio, resurrectione, extremo judicio, beatis et damnatis. Quæstiones 99.

204. 2º *Methodus scholastica particularis*, quæ inservit tractandis quæstionibus singulis, considerari potest 1) quoad dispositionem, 2) quoad stylum.

205. 1) Quoad *dispositionem* septem puncta comprehendit, quæ sequuntur :

a) *Introductio*. Terminos scilicet quæstionis, detersa, si qua fuerit, omni ambiguitate vel æquivocatione, dilucide exponit; necessariasque definitiones ac divisiones præmittit.

b) *Quæstionis distincta expositio*. Certa ab incertis et adhuc controversis, accurate secernit; ac, indicatis iis in quibus consentiunt omnes, genuinum præsentis controversiæ statum dilucide aperit; et ubi res poscit, in plura membra distribuit, singulaque figit, ne alio dilabatur disputatio.

c) *Opiniones diversæ*. Diversas Doctorum in ea quæstione sententias, opiniones vel errores, ex propriis ac fere primis aut præcipuis auctoribus, sincere fideliterque refert.

d) *Positio, seu vera quæstionis solutio*. Quæstionem resolvit per conclusionem, sive dogmaticam sive scholasticam ; eamque primum, si opus sit, exponit aut limitat.

e) *Ejusdem probatio*. E locis theologicis argumenta elicit, probat, stabilit : momentis pariter, quoad fieri potest, eo ordine distributis, quem isti loci inter se tenent.

f) *Objectionum confutatio*. Pari ordine ac ratione, adversariorum impugnationes clare proponit ac dissolvit.

g) *Corollaria*, si quæ occurrunt, subjungit.

206. 2) *Quoad stylum*, scholastica sermone magis conciso, presso, simplici et aperto utitur, qui, præcisis rhetorum ambagibus ac figuris, multa paucis complectitur ; quique ad severas dialecticæ leges, strictamque syllogisticen passim exactus, veri-

tatem nitidius menti objicit ac suavius instillat, et errorem apertius detegit.

§ 2. De methodo sequenda.

207. Jam *methodus sequenda* ea nobis videtur, qua primum statuatur synthesis *generalis;* ac deinde in *particularibus* quæstionibus, quin excludatur analysis ubi opportunum fuerit, synthetice quoque procedatur. Quæ methodus præter alia emolumenta, et hoc habet pretii, quod illi doctrinæ, quæ non invenienda, sed nota jam et a Deo revelata est, maxime convenire videatur [1]. — Jam distincte proponamus 1° methodum particularem, 2° synthesim generalem seu totius Theologiæ synopsin.

1° *Methodus particularis.*

208. Quatuor puncta sunt: 1) *Status quæstionis.* Definitio terminorum, circumscriptio quæstionis.

209. 2) *Positio* seu *propositio.* Hæc ab erroribus, et quacumque opinione diversa, separatur et clare distinguitur.

210. 3) *Argumenta.* Hæc juxta ordinem plerumque dignitatis proponi solent; quandoque juxta ordinem efficaciæ disponi possunt.

211. 4) *Objectiones.* Ordine item fontium afferuntur objectiones, et solvuntur: sive hæ negativæ sint sive positivæ; sive directe impetant propositionem, sive indirecte, allata nimirum argumenta evertendo.

2° *Synthesis generalis seu totius Theologiæ synopsis.*

212. Theologia, seu scientia Religionis, dividitur in duas partes, unam generalem [2] alteram specialem; prior agit *de vera Religione,* altera de *veræ Religionis doctrina,* circa Deum, circa mundum, et circa hominem ad Deum, ceu finem ipsius ultimum deducendum.

213. PARS PRIOR.

THEOLOGIA GENERALIS.

[Continet tractatus quatuor.]

Tractatus I, *de principiis theologicis,* seu prolegomena.
Tractatus II, *de Religione Christiana,* seu de vera Religione contra Gentiles et Judæos.
Tractatus IIII, *de Christi Ecclesia,* seu de vera Religione contra hæreticos.
Tractatus IV, *de Regula fidei,* seu de Scriptura, Traditione et Magisterio Ecclesiæ, quæ sunt veræ Religionis regula pro ipsis Catholicis.

1 Ex non intellecto hoc principio erravit Hermesius in sua Methodologia.
2 Theologia *generalis* fere cum ea parte convenit quæ a nonnullis *Apologetica* dici solet; paulo latius tamen *Theologia generalis* extenditur.

PARS ALTERA.

THEOLOGIA SPECIALIS.

[Continet tractatus quindecim, qui præcedentibus continuata serie connectuntur.]

THEOLOGIA.	Tractatus	V, de Deo et divinis attributis, seu	De Deo uno.
	Tractatus	VI, de SS. Trinitate. . .	De Deo Trino.
COSMOLOGIA.	Tractatus	VII, de creatione et peccato originali . . .	De Deo Creatore.
CHRISTOLOGIA.	Tractatus	VIII, de Incarnatione. . .	De Deo Redemptore.
ANTHROPOLOGIA.	Tractatus	IX, de Gratia.	De Deo Sanctificatore.
	Tractatus	X, de Sacram. in genere.	
	Tractatus	XI, de Baptismo. . . .	
	Tractatus	XII, de Confirmatione . .	
	Tractatus	XIII, de Eucharistia . . .	
	Tractatus	XIV, de Pœnitentia . . .	
	Tractatus	XV, de Extrema Unctione.	
	Tractatus	XVI, de Ordine	
	Tractatus	XVII, de Matrimonio . . .	
		de actibus humanis. .	De Deo Legislatore.
		de legibus.	
		de peccatis	
	Tractatus	XVIII, de virtutibus . . .	
ESCHATOLOGIA.	Tractatus	XIX, de novissimis . . .	De Deo Remuneratore

Tractatus II.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum, seu veritas in Tractatus decursu demonstranda.* — § II. *Errores contrarii.* — § III. *Principia quæ supponuntur.* — § IV. *Procedendi modus ac divisio Tractatus.*

§ 1. Argumentum.

1. Tractatus hujusce argumentum est demonstrare christianæ Religionis divinitatem, divinamve originem; seu, quod idem est, divinam missionem[1] auctoris ejus, qui Jesus Christus est; atque hoc totius Religionis ædificii, cui studemus, est fundamentum.

2. Scilicet Religio sacra, integre et adæquate spectata, quasi divinum ædificium est, ad laudem divinæ Majestatis in conspectu totius mundi constitutum; cujus figura fuit templum illud Hierosolymitanum, quod olim rex Salomon ex divino impulsu ædificaverat in monte Sion. Templum Salomonis, ex lignis cedrinis et lapidibus exquisitis constructum, auro mundissimo ornatum, mirabile et divinum structura sua, divinum quoque erat sacris quæ continebat mysteriis[2]; eratque solum veri Dei templum, inter omnia per orbem idolorum delubra, sanctitate fulgens in vertice montium: et ita figuram referebat Religionis Christiano-Catholicæ, quæ velut mysticum quoddam ædificium ac templum, divinitus ad Dei laudem hominumque salutem exstructum apparet in medio terræ.

3. Jam vero, hoc Religionis ædificium totum cognoscere et perscrutari, *universæ Theologiæ* objectum est. Quemadmodum autem in templo distinguitur ipsum ædificium a sacris quæ intus continentur; ita etiam in Religione examinanda, generalis Religionis veritas distinguitur a doctrina particulari, et dogmatibus singulis, quæ in ipsa continentur. Hæc dogmata singillatim spectata, argumentum sunt *Theologiæ specialis*.

[1] Ne confundatur divinitas Christianismi, ac divinitas *missionis* Christi, cum divinitate *personæ* Christi, de qua in tract. *De Incarnat.*, ut in proprio loco erit agendum. — [2] Templum exstructum fuit et adornatum secundum exemplar Tabernaculi, cujus ipse Deus formam delineaverat. Cfr. Exod. XXV, 40, et XXVI, 30; item I Paralip. XXVIII, 19.

4. Generaliter autem spectatæ Religionis veritas demonstranda, *Theologiæ generalis* argumentum est, quod hac propositione continetur : *Vera ac divina Religio repeti debet a sacra Scriptura et Traditione, sub magisterio Ecclesiæ Romano-Catholicæ.* Hujus autem propositionis demonstratio, adeoque totus Theologiæ generalis processus, ad hanc reduci potest formam : *Vera ac divina Religio repeti debet a sacra Scriptura et Traditione, sub magisterio Ecclesiæ Romanæ : si Deus religionem Christianam, eamque solam, hominibus constituit, eamque Ecclesiæ Romanæ commisit custodiendam, ac depositam in Scripturis et Traditione eidem dedit interpretandam ; atqui* 1° *Deus hominibus Religionem Christianam, eamque solam constituit ;* 2° *hanc Religionem Christianam Deus Ecclesiæ Romanæ commisit custodiendam;* ac 3° *depositam in Scripturis et Traditione, eidem dedit interpretandam : ergo vera ac divina Religio repeti debet a sacra Scriptura et Traditione, sub magisterio Ecclesiæ Romano-Catholicæ.*

5. Hinc animadvertere licet, ipsam Theologiam generalem in tres tractatus subdividi : 1° *de Religione Christiana*, quæ demonstratio christiana quoque vocari solet ; — 2° *de Christi Ecclesia*, seu *de Religione Catholica ;* — et 3° *de theologica Regula*, seu *de Regula fidei catholicæ :* quæ duæ ultimæ tractationes demonstrationem catholicam constituunt. — Distinguitur autem demonstratio christiana a demonstratione catholica, seu, quod idem est, demonstratio divinæ Christi missionis a demonstratione veræ Christi Ecclesiæ ac genuinæ fidei, sicut ædificii fundamentum ab ipso distinguitur ædificio, Quemadmodum enim in templo spectari potest et fundamentum, et superædificata structura ; ita in vera religione, distingui potest Ecclesia Christi a fundamento suo, quod ipse Christus est, ejusque divina missio et auctoritas : *Fundamentum enim aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* ICor. III, 11.

6. Hæc ergo fundamentalis veritas, divinus scilicet christianæ religionis character, hujusce tractatus argumentum est, quod his verbis enuntiari potest : *Demonstrare, inter omnes totius mundi religiones, unam Religionem Christianam esse divinitus datam et impositam hominibus.* Qua propositione continentur duo : 1° Religionem Christianam esse divinitus revelatam, 2° nullam aliam Deo placere. Hæc autem duo simultanee demonstrabuntur : pars enim negativa ipsa parte positiva continebitur ; ita enim Christiana Religio divinitus data ostendetur, ut simul exclusiva esse appareat.

Catholica de divina revelatione doctrina a sacrosancto Concilio Vaticano ita proponitur [1] : *Sancta Mater Ecclesia tenet et*

[1] Constitutione *Dei Filius*, cap. 2.

docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: attamen placuisse ejus sapientiæ et bonitati, alia, eaque supernaturali via seipsum ac æternæ voluntatis suæ decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio. — Huic divinæ revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quæ humanæ mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.

§ II. Errores contrarii.

7. Demonstratio christiana sectis *antichristianis* opponitur; quemadmodum sectis *anticatholicis* opponetur subsecutura demonstratio catholica.

8. Porro sectæ antichristianæ duplicis sunt generis: aliæ fidem Christi non habent, licet aliquam forte revelationem admittant: hujusmodi sectatores vocantur *infideles;* — aliæ fidem nullam habent, omnemque revelationem respuunt: et hi vocantur *increduli* [1].

9. *Infideles* sunt: Judæi, Mahumetani et Gentiles reliqui.

10. *Increduli*, quo nomine veniunt quoque Naturalistæ seu Rationalistæ, et Indifferentistæ, varie distinguuntur, nimirum: 1° ratione systematis philosophici, 2° ratione opinionis de Deo, 3° ratione ætatis et nationis.

11. 1° Ratione systematis philosophici, sunt vel *idealistæ*, vel *materialistæ*, vel *sceptici*.

12. 2° Ratione opinionis de Deo, sunt vel *athei*, vel *pantheistæ*, vel *deistæ*, vel *progressistæ et autotheistæ*.

13. 3° Ratione ætatis, sunt vel *antiqui* vel *recentiores*. Inter quatuor celebriores in antiquitate philosophicas sectas, seu scholas, quæ sunt Platonica, Epicurea, Aristotelica seu Peripateticorum, Zenonis seu Stoicorum; secunda et quarta, Epicurei nempe et Stoici, magis in impietatem ferebantur [2]. Præcipuum impietatis nomen nacti sunt: Anaximander, Leucippus, Democritus, Epicurus, Strato, Lucretius.

[1] Cfr. Constitutio Concilii Vaticani *Dei Filius*. Procœmium. — [2] Cf. Josephi Gautier, opuscul. *De hæresibus*, apud Migne, *Cursus theol.*, tom. V.

14. Recentiores, qui commode dividi possunt ex quatuor nationibus, sunt : Itali, Angli, Germani et Galli.

15. *Itali :* Machiavellus 1527 [1]. — Jordanus Bruno 1600. — Vanini 1619. — Spinoza, Lusitanus 1677.

16. *Angli :* Herbertus, comes de Cherbury, coryphæus, 1648. — Hobbes 1625. — Locke 1704. — Schaftesbury 1713. — Toland 1722. — Tindal 1733. — Craig 1700. — Collins 1729. — Woolston 1731. — Bollingbroke 1751. — Hume 1776.

17. *Germani :* Kant 1804. — Fichte 1814. — Schelling 1854. — Hegel 1831. — Strauss.

18. *Galli* : Bayle 1706. — Voltaire 1778. — D'Alembert 1783. — Montesquieu 1755. — D'Argens 1771. — Marmontel 1799. — Maupertuis 1759. — Condorcet 1794. — Toussaint 1772. — J. J. Rousseau 1778. — De Volney 1820. — De Tracy 1836. — Materialistæ : La Mettrie 1751, d'Holbac 1789, Helvetius 1772, Diderot 1784, Cabanis 1808, et horum continuator Broussais 1838. — Franco-Muratorum secta, postquam in Anglia cum incredulitate adoleverat, in Galliam introducta fuit a Derwentwater, qui primam, ut aiunt, Officinam erexit Parisiis 1725 [2].

19. De impietate *Kantiana* in Germania, et *neo-eclectica* in Gallia, aliquid magis peculiare indicandum videtur. Idealismus kantianus, cum omne fundamentum Religionis christianæ, metaphysicum, physicum atque historicum plane convelleret, novum religionis genus peperit, rationis humanæ delirantis fœtum. Huic quidem prælusit ipse Kantius opere inscripto : *De religione intra limites rationis ;* sed viam audacter calcavit Schelling, a quo omnia christianæ theologiæ mysteria ita ratione explicata fuere, ut omnimode potius pervertantur ; ac nil aliud doceantur esse, quam doctrina paganorum mysteriorum, evoluta ac publice manifestata [3]. Rem tandem complevit Hegelius, qui religiones omnes veluti necessarias *ideæ* evolutiones in humanitate spectans, earum omnium complementum in sua collocat philosophia, quam solam homine Deoque dignam religionem esse delirat [4].

20. Neo-eclectismi gallici origo manifeste germanica est, tum ob apertam doctrinarum consensionem, potius dixeris identitatem, tum ob ipsam historicam factorum evidentiam. Sub novis scilicet verborum formulis, sub elegantiore quadam veste, eadem ponuntur principia, eædem consecutiones deducuntur. Pantheismus ac rationalismus, æque ac in philosophicis systematibus Germaniæ, neo-eclectismi hujus cardines sunt. Deus

[1] Annus obitus. — [2] Cf. Wouters, *Hist. Eccl.* ad an. 1735.
[3] Cf. J. Steininger, *Examen critique de la philosophie allemande depuis Kant jusqu'à nos jours.* Trèves, 1841, p. 80. — [4] Ibid., p. 103 seqq.

est ἓν καὶ πᾶν seu universum ; creatio est necessaria mundi emanatio a Deo ; historia est inflexibilis geometria. Christiana vero mysteria omnia pervertuntur : Trinitas consistit in infinito, finito, ac utriusque nexu ; Incarnatio est ratio divina in unoquoque homine se manifestans ; uno verbo, hoc intendit neo-eclectismus, ut rationis ope evolvat sensum philosophicum, sub *mythis*, quos vocat, christianismi delitescentem, atque ita integrum christianismum reficiat, aut potius, penitus destruat [1].

21. His duabus sectis sive scholis, plus minus accedit aut adnectitur, omnis moderna incredulitas, quæ, utut multiformis, in hoc tamen conspirat universim, ut quidquid revelatum et supernaturale est rejiciat, totamque religionem ad naturalis legis, qualem sibi fingit, observationem reducat.

§ III. Principia quæ supponuntur.

22. Ut contra has impietates et aberrationes veritatem adstruamus, nonnulla principia præsupponimus, quæ sana philosophia demonstrat [2].

23. Adversarios scilicet eo censemus adductos, ut admittant 1° certitudinem et certitudinis criteria varia, ergo non esse scepticos ; 2° existentiam objectivam corporum, ergo non esse idealistas ; 3° existentiam personalem Dei, ergo non esse atheos aut pantheistas ; 4° Dei infinitam perfectionem, providentiam, hominisque libertatem, ergo non esse fatalistas ; 5° animæ humanæ spiritualitatem et immortalitatem, ergo non esse materialistas ; 6° existentiam legis naturalis, qua homo vere et absolute obligatur, ergo non esse autonomistas. Quibus suppositis, demonstrationem christianam ordinamus ac delineamus sequenti forma.

§ IV. Processus ac divisio Tractatus.

24. Propositio generalis : *Religio Christiana, eaque sola, divinitus est hominibus constituta.*

25. *Prob.* Religio christiana, eaque sola, divinitus est hominibus constituta, si 1° Deus Religionem Christianam hominibus revelavit, et 2° nulla alia ipsi placet ; atqui Religionem Christianam Deus revelavit, et nulla alia ipsi placet ; ergo.

26. *Probatur minoris pars prior :* Deus Religionem Christianam revelavit, si potuit et voluit : atqui *potuit*, quod ex ipsa Religionis et revelationis notione ostenditur ; *voluit*, quia eamdem in Testamento Vetere præparavit, et in Testamento Novo per Christum consummavit.

[1] Perrone, *Synopsis hist. theol.* — [2] Cf. tamen infra *Tract.* 5 *de Deo et div. attrib.*

27. *Probatur minoris pars altera*, tum ex præcedenti, cujus est corollarium; tum directe, ostendendo præter Religionem Christianam nullam esse, quæ vel abrogata, vel falsa et impia non sit.

28. Hinc Tractatus divisio deducitur in quatuor capita, cum appendice, hoc modo:

Caput I, *de Religione in genere.*
Caput II, *de Religione revelata.*
Caput III, *de revelatione Mosaica.*
Caput IV, *de revelatione Christiana.*
Appendix *de ceterarum religionum inanitate.*

CAPUT PRIMUM

DE RELIGIONE IN GENERE.

29. Tria in hoc capite dilucidare et stabilire debemus : quid sit Religio, an aliqua Religio sit necessaria, an de Religione sit inquirendum. Hinc tres articuli :

Articulus I, *de Religionis notione.*
Articulus II, *de Religionis necessitate.*
Articulus III, *de Religionis inquisitione.*

ARTICULUS I.

DE RELIGIONIS NOTIONE.

QUÆSTIONES.

30. QUÆRITUR : 1° *Quomodo Religio definitur et distinguitur?* — R. 1° *Religio,* vi nominis, quod a *religando* derivatur, est, juxta mentem Augustini, quasi vinculum unionis Deum inter et homines, atque obligatio qua Deo Creatori nostro adstringimur. — Quoad sensum, Religio sumitur metaphorice et proprie : *metaphorice*,pro *statu* vel *societate hominum*, *Deum peculiari modo colentium ; proprie*, pro *officio hominis erga Deum.* — Porro Religio sensu proprio potest accipi vel *subjective*, vel *objective*. Subjective definitur : *Virtus qua Deo debitum obsequium et honorem præstamus;* objective vero : *Complexus omnium officiorum,quibus homo Deo obsequium et honorem exhibere tenetur.*

31. *Divisio*. Religio distinguitur tripliciter : -1) est *vera* vel *falsa*;-2) *naturalis* vel *supernaturalis* seu *revelata*,-3) *speculativa* vel *practica*. — 1) *Vera* Religio ea est, quæ veram de Deo existimationem et fidem habet, verumque ac legitimum cultum ipsi exhibet, et definiri potest : *Certa ratio ac modus colendi Deum, vi cujus ipsi in hac vita placere, et in altera æternam felicitatem consequi possumus.* Religio *falsa* ea dicenda est, quæ falsa de Deo docet, et adulterinum ipsi cultum rependit.

32. — 2) *Naturalis* religio ea est, quam ratio, sola sibi relicta, nata est dictare, et ad quam natura inclinat; seu est collectio principiorum ad Deum colendum spectantium, quatenus naturali lumine innotescere possunt. Religio *supernaturalis* ea est, quæ extraordinaria et supernaturali revelatione Deique manifestatione nititur et innotescit. Deus itaque omnis

veræ religionis objectum est : naturalis quidem, ut auctor naturæ ; supernaturalis, ut auctor gratiæ.

33. — 3) Distinguitur quoque religio *speculativa et practica*, quia obsequium religiosum pertinere, tum ad intellectum, tum ad voluntatem potest. Quare religio *speculativa* dicitur, quatenus imponit officia theoretica, quæ præstantur ab intellectu : nimirum, ut de natura et proprietatibus naturæ divinæ recte sentiamus ; dicitur *practica*, quatenus imponit officia practica, quæ a voluntate exhibentur : nimirum, ut Deum diligamus, invocemus, metuamus, eique cultum signis etiam externis exhibeamus.

34. Q. 2° *Quid et quotuplex est cultus ?* — Cultus, generaliter sumptus, est ipsa religio exercita, seu in concreto : adeo ut ipsis constituatur actibus, quibus religio exercetur.

35. *Divisio.* Cultus distinguitur tripliciter : est enim *internus* vel *externus ; privatus* vel *publicus ; naturalis* vel *revelatus*. — 1) Cultus *internus* ille est, qui exercetur actibus internis, intellectus scilicet et voluntatis, per fidem rectosque sensus, et amorem ; *externus* qui exercetur actibus externis et corporis ministerio. Utrumque religio complecti debet. — Cultus *privatus* est, qui præstatur ab homine qua persona individua est ; *publicus*, qui præstatur ab homine qua membrum vel caput societatis est. — 3) Cultus demum dicitur *naturalis* vel *revelatus*, prout a natura dictatur, vel ab ipso Deo supernaturali modo præscribitur.

ARTICULUS II.

DE RELIGIONIS NECESSITATE.

36. De necessitate agitur ethica, seu de obligatione, quæ homini circa religionem incumbit. Necessitas ethica distinguitur contra necessitatem physicam ; cum hæc referatur ad rei existentiam, ethica vero respiciat jus, et ad rei obligationem pertineat. Quæritur itaque, 1° utrum religio sit obligatoria ? 2° qualis cultus Deo exhiberi debeat, internusne an externus ? 3° num qualiscumque religio sit homini indifferens ? Unde tres propositiones sequentes :

Propositio I, *de religionis obligatione.*
Propositio II, *de cultu præstando.*
Propositio III *de indifferentismo.*

PROPOSITIO I.

Religio est homini absolute obligatoria.

37. EXPLICATUR. *Religio* intelligitur *aliqua* conveniens, quin determinetur *qualis ;* revelatane scilicet esse debeat, an naturalis esse possit. — Dicitur *homini*, hoc est, *omni homini*, sensu

universali. — Dicitur obligatoria *absolute*, hoc est, *non relative* ad certa adjuncta, a quibus obligatio dependeat ; sed essentialiter, ita ut nulla causa obligationem hanc solvere possit, utpote quæ insita hominis naturæ inhæreat.

38. PROBATUR. Religio, seu obsequium hominis erga Deum obligatorium est, si ex parte hominis illud obsequium debetur, et ex parte Dei illud idem requiritur ; atqui hæc duo constant ; ergo.

39. I. *Debetur ex parte hominis*, quod patet 1° *ex natura rei. Superiori* seu domino debetur ab inferiore obsequium ; atqui nullus magis quam Deus est hominis dominus, quum dominium in hominem obtineat sicut Creator in creaturam, sicut opifex in opus manuum suarum ; ergo. — *Benefactori* debetur gratitudo ; atqui Deus summus homini benefactor. — *Patri* debetur reverentia et amor ; atqui Deus est eminentissime hominis pater [1]. — *Regi* debetur honor ; atqui Deus Rex supremus est, *Rex regum et Dominus dominantium* [2], *Rex sæculorum immortalis* [3], cui honor, virtus et gloria debetur.

40. — 2° Patet *ex communi naturæ sensu*. Homo naturaliter inclinatur ad religionis officia : quod in instinctu illo cernitur, quo, dum imminent pericula, ad orandum Deum impelli solet : quodque vocare possumus cum Tertulliano, *testimonium animæ naturaliter christianæ* [4], vel saltem naturaliter religiosæ. — Plutarchus ait : *Si terram obeas, invenire possis urbes muris, litteris, legibus, domibus, opibus, numismate carentes ; urbem vero templis diisque destitutam, quæ precibus, jurejurando, oraculis non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit* [5]. — Cicero : *Sua cuique civitati religio est, Deum quippe natura venerari novit: nec quisquam est homo, qui lege, quæ hoc præcipiat, careat* [6].

41. — 3° Patet *ex humanæ societatis conditione*, quæ sine religione prorsus stare nequit. Unde Plato : *Omnis humanæ societatis fundamentum convellit, qui religionem convellit* [7].

42. II. *Requiritur ex parte Dei*. Etenim Deus non potest concedere, ut inferior non præstet superiori obsequium, aut officia a natura imposita non impleat ; cum legis naturalis præcepta formalia, vel tollere, vel mutare, nequaquam possit.

43. *Corollarium* I. Homo tenetur Deum eo modo honorare, vel eo cultu, quo Deus voluerit ; nam homo obsequium Deo debet absolutissime, ergo illud debet etiam quoad modum qui Deo placuerit.

[1] Agitur hic de paternitate quæ Deo competit ut Creatori, non de ea quæ illi convenit ut Sanctificatori, per regenerationem baptismalem. — [2] Apoc. XIX, 16, — [3] I Tim. I, 17. — [4] *Apolog.* cap. 17. — [5] *Contra. Collot. Epicur.* — [6] In *Orat. pro Flacco.* — [7] *De legibus*, lib. 10.

44. *Coroll.* II. Ergo, si Deus aliquam religionem voluerit revelare, hanc homo accipere et servare tenebitur.

45. OBJIC. 1° Deus cultu nostro non eget; ergo nec illum exigit. — R. *Conc. antec. nego conseq. et suppositum.* Non enim propterea exigit quia eget; sed propterea exigit, quia quales nos creavit et esse destinavit, tales necessario vult nos esse.

46. *Inst.* 1° Si vellet nos tales esse, deberet grassantem impietatem impedire; atqui hanc nequaquam impedit; ergo. — R. *Neg. illat. et conc. min. neg. cons.* Liberum enim ab homine libero exigit obsequium; cum impiis autem, qui libere non faciunt ea quæ vult, faciet ipse quæ vult.

47. *Inst.* 2° Cultus noster est imperfectus; ergo Deo indignus, — R. *Dist. antec.* Est imperfectus sensu negativo, *conc.*; sensu positivo, *subdist:* Per se et objective spectatus, *neg.*; per accidens, ratione actus humani in individuo spectati, *transeat.* Et *neg. conseq.* Id enim Deo non est indignum quod, posita creatione hominis liberi, ab eo non requirere nequit: imo si indignum non fuit Deo creare hominem, an indignum erit ut ab homine, tanquam Deus et Creator, agnoscatur et honoretur?

PROPOSITIO II.

Homo tenetur præstare Deo cultum internum et externum.

48. PROB. 1° *Quoad cultum internum.* Homo tenetur Deo exhibere gratitudinem, amorem, etc.; atqui hæc sine cultu interno præstari non possunt.

49. 2° *Quoad utrumque.* Homo totus, ratione corporis æque ac animæ, multis auctus beneficiis a Deo pendet; ergo homo totus, hoc est, anima et corpore, Deum colere tenetur: anima quidem per cultum internum; corpore vero per externa quædam interioris obsequii signa, quæ cultum externum constituunt.

50. 3° Naturæ humanæ consentaneum est, internos sensus exterioribus significationibus prodere. Ergo.

51. 4° Accedit omnium populorum unanimis consensus, inde a sacrificio Abelis, usque ad oblationes et cantus religiosos barbarorum, in hodierna Americo et Oceania.

PROPOSITIO III.

Indifferentismus in materia religionis damnandus est.

52. *Indifferentismus* generatim, est principium vel doctrina statuens indifferentiam in materia religionis. — Distinguitur duplex: primus est illorum qui religionem ut rem prorsus indifferentem, et nequaquam necessariam negligunt; hoc indifferen-

tismi genus in *Propos. I* confutatum est. — Alter est eorum, qui necessitatem quidem alicujus erga Deum cultus fatentur, docent tamen cuivis licere religionem quam libuerit, pro vario loco, tempore, statu, ætate etc., profiteri. In hoc secundo sensu propositio intelligenda est.

53. Indifferentismus, secundo modo intellectus, parum differt a *Tolerantismo;* quem etiam supponit et includit. Tolerantismus enim est doctrina statuens omnes religiones, quamvis oppositas, esse bonas. — Distinguitur autem tolerantismus in *laxiorem*, qui omnes in orbe existentes religiones æque bonas ac sanctas dicit, utpote quæ *solis formulis* differant; et in *minus laxum* seu *protestanticum*, qui omnes et solas sectas christianas affirmat esse bonas, et ad Ecclesiam Christi pertinere, modo vagum quemdam christianismum retineant, seu, ut aiunt, *articulos fundamentales* admittant [1].

54. Tolerantismus iste dicitur etiam *tolerantia religiosa*, vel *dogmatica* aut *theologica;* ut distinguatur a civili et politica; quæ alia non est, quam legum dispositio, qua publicum cultus exercitium permittitur, aut etiam æqualis protectio promittitur externæ professioni tam erroris quam veritatis.

55. Indifferentismus itaque, quem impugnamus, tolerantiam religiosam istam, et quidem latiorem, includit; et hac formula enuntiari potest: *Licet homini indifferenter pro arbitrio quamcumque religionem sequi.* Hanc autem doctrinam damnandam asserimus.

56. PROBATUR. Istiusmodi doctrina est in se falsa, Deo blasphema, homini injuriosa et perniciosa, religioni, et hinc societati exitiosa; ergo damnanda est.

57. 1° *Falsa;* nam supponit, -1) hominem habere jus religionis modum pro arbitrio suo determinandi; atqui hoc falsum est. Etenim hoc jus non habet, neque ex natura rei, neque ex Dei concessione: non ex natura rei, nam summe atque unice ad Deum pertinet determinare quomodo ipse coli voluerit; neque ex concessione: non enim potest Deus illud homini concedere, ut quovis cultu, etiam erroribus, vitiis, impietatibus immixto, divinam Majestatem honoret. — Supponit -2) omnes religiones, etiam inter se oppositas in dogmatibus et morali, esse æque veras et bonas.

58. 2° *Deo blasphema.* Id blasphemum est in Deum quod negat ipsius attributa; atqui indifferentismus negat ipsius et veracitatem et sanctitatem, etc.; cum, sectas sibi contrarias æque bonas proclamans, supponat Deo æque placere veritatem et mendacium, bonum et malum; ergo.

59. 3° *Homini injuriosa et perniciosa.* — 1) *Injuriosa.* Vel enim homo credit *omnes* religiones esse veras: et est insanus,

[1] Infra Tract. 3, *De Ecclesia*, introd. n. 28.

dum credit contradictoria simul esse vera ; atqui tamen id credere tenetur, quicumque dicit omnes sectas esse æque bonas. Admittere enim debet hæc et similia : Christum esse *merum hominem,* et Christum esse *Deum ;* Romanum Pontificem esse *Christi vicarium*, et eumdem esse *Antichristum*, etc. — Vel credit *unam* esse veram : et est hypocrita, reliquas omnes æque approbando.— Vel demum credit *nullam* esse veram, sed omnes falsas : et est impius in Deum, noxius in societatem, et hypocrita si aliquam exerceat. — 2) *Perniciosa.* Nam si vel probabile tantum sit, existere religionem unam ex obligatione suscipiendam, qua sola Deus coli et homo finem suum consequi possit ; perniciosa sane res est hanc unam religionem non amplecti, nec eidem ut soli bonæ adhærere ; atqui religionem tantum unam veram esse et ex obligatione suscipiendam, non solum probabile sed certum est ; ergo.

60. 4° *Religioni, et hinc societati exitialis.* Nam-1) sine notione Dei nulla concipi potest religio ; atqui indifferentismus tollit notionem Dei, cujus attributa inficiatur ; ergo. -2) Sine obligatione officiorum quæ religionem constituunt, nulla concipi potest religio ; atqui indifferentismus omnem obligationem officiorum tollit, dum omnia reddit arbritraria ; ergo. -3) Tandem sine religione subsistere nequit societas ; sed indifferentismus religionem subvertit ; ergo et societatem.

ARTICULUS III.

DE RELIGIONIS INQUISITIONE.

Propositio I, *de obligatione inquirendi.*
Propositio II, *de non excludenda ab examine religione revelata.*
Propositio III, *de inquirenda revelatione.*
Propositio IV, *de ratione indagandi revelationem.*

PROPOSITIO I.

Homo tenetur de vera religione inquirere, et docentes audire.

61. Inquirere tenetur *homo* ille scilicet, qui non in tranquilla veritatis possessione conquiescit : hoc est, qui vel ignorat quomodo Deum colere debeat, vel de legitimitate sui cultus rationabiliter dubitat.— Debet *inquirere et docentes audire ;* quæ duo connexa sunt, et simultanee demonstrantur.

62. PROB. 1° Homo tenetur Deum colere quomodo Deus voluerit ; ergo tenetur de religione inquirere. *Prob. cons.* Tenetur inquirere : nam qui obligatur ad finem, obligatur ad medium, quod hic est inquisitio religionis.

63. 2° Si non teneretur inquirere, hoc ideo foret, quia vel immediate evidens est vera religio, vel quia in materia reli-

gionis licet esse indifferentem ; atqui neutrum dici potest. Etenim vera religio non est immediate evidens, saltem in sensu thesis, quæ supponit incertitudinem : neque in religione, utpote in re tanti momenti, licet esse indifferentem ; quod supra uberius ostensum est.

PROPOSITIO II.

Non licet homini ab inquisitione sua excludere religionem revelatam.

64. PROB. Potuit Deus aliquam religionem revelare, et quidem mediate, per alios homines; ergo obligatio est et de ea inquirendi et audiendi docentes. — *Prob. antec.*-1) Etenim Deus id potuit *ethice*, quia jus habet præscribendi quem voluerit cultum ; et *physice*, quia est omnipotens. -2) Idem patet ex consensu populorum omnium, qui semper in religionibus suis hanc Deo potestatem agnoverunt. Ergo [1].

65. OBJ. Religio revelata repugnat; ergo neque existit, neque est inquirenda. Etenim religio natura sua universalis esse debet ; ergo nequit forma particulari contineri, qualis est cultus revelatus; sed principiis universalibus consistere debet, quæ humano generi universo conveniant, quæque alia non sunt quam principia legis moralis [2].— R. *Dist. antec.* Religio debet esse universalis *in potentia*, ita ut omnes revelationem accipere possint, si ad omnes data sit, *conc.;* debet esse universalis *actu*, ac ita saltem, ut naturæ sit inscripta atque inhæreat, sicut lex naturalis, *neg.* Dixi *si ad omnes data sit :* quia fieri potest, ut Deus alicui populo particulari cultum revelatum concedat, quemadmodum se gessit erga Judæos.

PROPOSITIO III.

Homo reipsa tenetur de religione revelata, et speciatim de christiana inquirere.

66. PROB. 1° Omnes fere populi, in religionibus suis, revelationem esse factam contendunt; ergo tenetur homo de facto hoc saltem probabili inquirere.

67. 2° Inter varias gentium revelationes, existit revelatio Judaica et Christiana, singulari divinitatis aut probabilitatis charactere præfulgens ; ergo tenetur homo de facto hujusce specialis revelationis, et quidem de hoc imprimis, disquirere.

[1] Cf. infra Cap. II, art. 1, n. 87 seqq. — [2] Kant, *La religion dans les limites de la raison*, traduct. Trullard. Paris 1841.

PROPOSITIO IV.

Divinæ revelationis indagandæ vera ratio est examen auctoritatis, seu motivorum credibilitatis, non philosophica rerum et veritatum, quæ revelatæ dicuntur, disquisitio.

68. Motiva credibilitatis sunt generatim rationes, seu argumenta, propter quæ aliqua res credibilis est. In specie, respectu revelationis, motiva credibilitatis sunt rationes, quibus historicum factum revelationis probatur, ac proin credibile efficitur, imo credendum ; ita ut non tantum prudenter credi possit, sed credi debeat, sub pœna gravissimæ et culpabilis imprudentiæ.

69. Dicitur in propositione, *examen auctoritatis seu motivorum credibilitatis :* quia cum factum revelationis ejusque signa, qualia sunt miracula, debeant nobis passim per viam testimonii et auctoritatis innotescere, hinc fit ut motiva credibilitatis in auctoritate fundentur.

70. Dicitur procedendum esse *via auctoritatis*, non *disquisitionis philosophicæ*. Scilicet philosophica disquisitio ea est, qua quæritur, utrum debuerit *a priori* fieri revelatio,et utrum res revelatæ in se veræ sint; via auctoritatis e contra est ea, qua quæritur, utrum de facto constet et historice certum sit, Deum esse locutum.

71. PROB. Ratio indicata revelationis indagandæ vera ac opportuna ratio est, si via philosophicæ disquisitionis, nec revelationi convenit, nec revelationis indagatoribus ; e contra vero, utrique parti quam maxime convenit via auctoritatis; atqui utrumque ita se habet ; ergo.

72. MINORIS PARS I. Via philosophicæ disquisitionis non convenit 1° *ipsi revelationi*, ex triplici capite : -1) quia revelatio ex parte Dei est actus liber, ergo non potest *a priori* cognosci; -2) quia est factum, ergo debet constare per testium auctoritatem ; -3) quia potest habere mysteria, ut infra probabitur ; ergo non debet intrinseca rerum veritas demonstrari.

74. 3° Non convenit *indagatoribus :* nam hi indigent via tuta et facili ; sed via illa disquisitionis non est neque facilis neque tuta, ut ex præcedentibus sequitur ; ergo.

74. MIN. PARS II. Convenit via auctoritatis, 1o revelationi, quæ in facto historico consistit, et probari auctoritate debet. — 2 Convenit indagatoribus, quia et tuta est et facilis. *Tuta*, nam motiva præbet certa, quibus secure quilibet, etiam in re maximi momenti, fidere possit. *Facilis*, quia scire an Deus religionem revelaverit quilibet potest, cum motiva credibilitatis obvia sint et omnium captui accommodata, ut ex sequentibus patebit.

CAPUT SECUNDUM,

DE RELIGIONE REVELATA,

SEU

DE REVELATIONE GENERATIM.

75. Inquirendum igitur nobis de revelatione, et ita quidem de ea inquirendum est, sicut de facto inquiri debet : per examen nimirum auctoritatis et testimoniorum, ac probationum positivarum omnium, quæ motiva credibilitatis dicuntur. Quamobrem, jam hoc loco statim ea motiva essent perpendenda, nisi prius de revelationis possibilitate quæstio præmittenda foret. Cur autem, quæret quispiam, in probanda possibilitate revelationis hærendum est? Nonne sufficit, si immediate probetur revelationis existentia ? Ab *esse* enim ad *posse* valet illatio. — Respondetur : hæc utique probatio promptior valeret ; sed eam aliquantulum adversariorum gratia differendam existimamus. Horum enim non pauci discussionem facti fugere conantur, per ratiocinia a priori, dicentes *non esse possibilem revelationem ; ergo nec existere ;* proindeque facta positiva quæcumque afferuntur recusant. Ut igitur saltem facta examinare cogantur, necesse est in antecessum possibilitatem revelationis ipsis ostendere. — Alia præterea ratio hæc addi potest, quod in possibilitate revelationis, ad quam ejusdem utilitas et necessitas referuntur, præjudicium non spernendum continetur ejusdem existentiæ.

76. Quatuor erunt hujus capitis articuli :

Articulus I, *de revelationis possibilitate.*
Articulus II, *de ejusdem utilitate.*
Articulus III, *de ejusdem necessitate.*
Articulus IV, *de ejusdem cognoscibilitate.*

77. Hæc divisio, quæ implicite continetur in ratiocinio fundamentali Tractatus [1], hoc modo explicatur : — Deus *potuit* revelationem dare, si nullum adest obstaculum physicum aut morale, sive ex parte Dei sive ex parte hominis : seu, quod idem est, si revelatio ex parte Dei præstari potest, vel *possibilis* est ; et si ex parte hominis *utilis*, imo *necessaria* et *cognoscibilis* est ; atqui sic habet. Probatur minor, demonstrando I. revelationis possibilitatem, II. ejusdem utilitatem, III. necessitatem, IV. cognoscibilitatem per criteria varia.

[1] Supra *Introduct.* § IV, n. 24.

ARTICULUS I.

DE REVELATIONIS POSSIBILITATE.

PRÆNOTANDA.

§ I. Notio revelationis in genere. — § II. Objecta revelationis christianæ in specie. — § III. Revelationis adversarii.

78. § I. *Revelatio*, vi etymologica vocis, est manifestatio rei occultæ. — Vi acceptionis, est manifestatio rei occultæ per signum. Signum autem potest esse naturale vel supernaturale.

79. Hinc distinguitur revelatio naturalis et supernaturalis. *Naturalis*, est manifestatio veritatis a Deo homini facta, medio et modo mere naturalibus. Hæc est revelatio *late et improprie sumpta*, quo sensu tota creatio revelatio vocari possit. — *Supernaturalis*, est manifestatio veritatis a Deo homini facta, medio aut modo supernaturalibus. Unde est proprie dicta *locutio Dei ad homines*. Etenim proprie dicta locutio definitur : *Productio signi arbitrarii, quo quis manifestat id quod habet in mente.* Si locutio procedat ab homine, humana ; si a Deo, divina vocatur. Unde patet, revelationem supernaturalem vocandam quoque esse *divinam*.

80. Revelatio supernaturalis est *revelatio proprie et stricte dicta ;* quæ in immediatam et mediatam subdividitur. *Immediata* est, quum Deus ipse directe loquitur ad hominem; *mediata*, quum Deus ad homines per alios homines loquitur. Utramque indicat Apostolus his verbis : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis : novissime, diebus istis, locutus est nobis in Filio.* Hebr. I, 1, 2.

81. De hac revelatione divina proprie dicta nobis agendum est ; quæ, sumpta subjective, seu pro ipso actu revelandi, definitur : *Alicujus veritatis incognitæ externa manifestatio, vel veritatis jam cognitæ clarior explicatio, homini a Deo per proprie dictam locutionem, mediate vel immediate facta.* Sumpta vero objective, est *ipsa veritas, vel veritatum complexus, supernaturaliter*, i. e. *per viam a naturali rationis lumine diversam, manifestatus.*

82. Hac definitione patet, revelationem proprie dictam et in sensu Ecclesiæ catholicæ acceptam, a revelatione illa late sumpta, quæ rationalistarum est, essentialiter differre. Rationalistæ namque et ipsi revelationis vocabulo sæpe utuntur, sed ita, ut per eam nihil aliud, quam rationem ipsam suam significent, quatenus natam veritates divinas et morales intelligere in operibus naturæ.

83. § II. *Objecta revelationis Christianæ.* Revelatio christiana,

quæ eadem est cum religione christiana, complectitur veritates duplicis generis. Primum genus sunt veritates naturaliter cognitæ vel cognoscibiles : facta nempe historica ac sensibilia, et lex naturalis. — Alterum genus sunt veritates naturaliter non cognoscibiles : dispensatio videlicet supernaturalis, facta supernaturalia seu *mysteria*, et præcepta positiva.

84. Porro *dispensatio supernaturalis* ea intelligitur, qua homo fuit ad finem supernaturalem vocatus, et ad ordinem elevatus, quem nuda natura sua neque postulabat, neque ulla ratione attingere poterat. Hæc dispensatio cum effectibus suis vocatur *Gratia*.

85. *Mysterium*, vi græci vocabuli, μυστήριον, est res occulta seu secreta. — Quoad acceptionem, in materia religiosa ut in nostro casu, accipi potest vel *late*, pro doctrina sacra quæ occultatur profanis; vel *proprie* et *sensu theologico stricto* pro veritate revelata et incomprehensibili, quæ definitur : *Veritas ita intellectum humanum transcendens, ut neque cognosci ab eo neque intelligi naturali potentia possit ;* seu, quod idem est : *Veritas talis, ut humana facultas eam neque invenire, neque acceptam demonstrare possit.* — Dicitur *facultas humana*, hoc est, intellectus humanus qualiscumque, et absolute sumptus ; ita ut veritas mysterii homini sit impervia omni. Quod si tantum impervia esset respectu quorumdam, tunc esset mysterium relativum, et improprie dictum, de quo hic non agitur.

86. § III. *Adversarii revelationis* ii sunt, qui revelationem omnem rejiciunt, et sola religione naturali Deum colendum docent, ut deistæ, rationalistæ vel naturalistæ. Horum alii, vel omnem prorsus revelationem, eam quoque quæ tantum foret plenior religionis naturalis declaratio, respuunt tanquam impossibilem ; vel contendunt, Deum saltem nihil homini, quod hujus ratio assequi non valeat, relevare posse ; alii revelationem rejiciunt ut inutilem [1].

Propositio I, *de possibilitate revelationis generatim.*
Propositio II, *de revelatione mysteriorum.*
Propositio III, *de revelatione legis positivæ.*

PROPOSITIO I.

Revelatio supernaturalis est possibilis.

87. Quæstio hæc de revelatione *immediata* agit, qua scilicet Deus ipse directe loquitur; hac enim admissa, facile patet, eam ab homine ad hominem transmitti, atque ita fieri *mediatam* posse.

[1] Inter plurimos alios, eminet J.-J. Rousseau, qui in toto fere opere, cui titulus *Emile*, in id incumbit, ut ostendat naturam esse librum, in quo ratio omnia legere possit ; unde revelationem inutilem ac superfluam esse concludit.

88. Ut autem revelationis possibilitas rite examinetur, notandum est, in actu revelandi tria esse elementa : Deum qui revelat, hominem qui revelationem excipit, et objecta ipsa quæ revelantur. Etenim objecta revelationis quæ a Deo manifestantur, revelantur, per naturæ nostræ facultates recipi debent et ita fieri subjectiva. Ex quo intelligitur intima, rationem inter et revelationem, relatio et nexus existens.

89. PROB. 1° Ratione. Revelatio est possibilis, si nihil eidem obstat, neque ex parte Dei, neque ex parte hominis, neque ex parte veritatum revelandarum ; atqui nihil horum obstat. Etenim ex parte Dei obstare tantum posset, vel impotentia physica, vel inhonestas, quia nempe dedeceret perfectiones ejus ; sed, ex una parte, Deus est omnipotens : potest quæ voluerit homini manifestare, sive externa voce, sive interna intellectus vel phantasiæ illuminatione ; ex altera autem parte, hominem erudire bonitate ac sapientia Creatoris est dignissimum. — Neque obstat quidquam ex parte hominis, qui natura ita comparatus est, ut ad veritatum cognitionem multo magis doctrina et institutione, quam propria investigatione perveniat ; quod si potest homo ab homine erudiri, ergo facilius et melius a Deo. — Neque ex parte veritatum ; nam multa sunt quæ homo ignorat, quæque proin doceri potest.

90. 2° Auctoritate. Ps. XCIII, 9 : *Qui plantavit aurem non audiet : aut qui finxit oculum non considerat ? Qui corripit gentes, non arguet : qui docet hominem scientiam ?... Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum*[1].

91. Plato in *Epinomide* ait : *Docere pietatem neminem posse, nisi Deus tanquam dux et magister præiverit.*

92. Jamblicus : *Quæ Deo grata sunt, scire difficile est, nisi quis, vel eum qui Deum audivit, vel Deum ipsum audierit.* De vita Pythagoræ, cap. 28.

93. OBJIC. Revelatio est res supernaturalis ; atqui, quod supernaturale est ab homine percipi non potest ; ergo. — R. *Dist. maj.* Est supernaturalis subjective, seu quatenus est actio divina, *conc.* ; est supernaturalis objective, seu quatenus est veritas menti hominis proposita, *subd.* : quoad inventionem aut demonstrationem, saltem aliquando, *conc.* ; quoad perceptionem propositionis seu assertionis, *neg.* — *Ad minor. dist.* Quod supernaturale est percipi non potest : hoc est, objectum supernaturale inveniri, intelligi, demonstrari non potest ab homine, *conc.* ; objectum supernaturale, si proponatur vel enuntietur, percipi non potest, saltem imperfecte, et quoad externum assertionis sensum, *neg.* Veritas hæc : *Tres sunt in una divina essentia personæ* ; licet undequaque supernaturalis, quoad externum tamen assertionis sensum percipitur.

[1] Auctoritas Davidis, respectu adversariorum, non ut divina, sed ut mere humana, nec secus ac Platonis proponitur. Cf. Tract. I, cap. 2, n. 72.

PROPOSITIO II.

Revelatio mysteriorum est possibilis.

94. PROB. Hæc revelatio possibilis est, si nihil obstat neque ex parte mysteriorum, neque ex parte Dei, neque ex parte hominis : h. e. si dantur vel dari possunt mysteria, si eorum revelatio non repugnat Dei attributis, nec hominis naturæ ; atqui nil horum obstat.

95. Etenim dari possunt, imo dantur humano intellectui mysteria : sunt enim multa in ipsa natura et rebus creatis, quæ ab humano intellectu, utpote limitato, nequaquam intelliguntur ; a fortiori, non omnia perspiciuntur quæ in Deo ejusque infinita sapientia sunt abscondita. — Nihil obstat ex parte Dei, qui potest physice hujusmodi veritates enuntiare, et simul potest moraliter, seu illæsis suis attributis, intellectus creati obsequium exigere. — Neque repugnat rationi humanæ hujusmodi obsequium, quippe quæ hoc summe rationabile esse videat : etenim ex una parte, videt se finitam omnes veritates intelligere non posse ; ex altera, Deum essentialiter veracem non posse fallere ; ergo simul ac novit indubie aliquid a Deo revelari, simul etiam rationabile esse cernit, huic verbo revelato obsequium vel assensum præstare.

96. OBJIC. 1° Veritates religionis evidentes esse debent ; atqui mysteria evidentiam excludunt ; ergo nequeunt mysteria ut veritates religionis a Deo revelari. — R. *Dist. maj.* Veritates religionis evidentes esse debent, vel evidentia objecti, vel evidentia testimonii, *conc.* ; semper evidentia objecti, *neg.* Atqui mysteria evidentiam excludunt : iterum *dist.* : evidentiam objecti, *conc.* ; evidentiam testimonii, *neg.* Aliud quippe est per testimonium scire rem esse ; aliud, rem, qualis in se est, cognoscere.

97. 2° Deus revelare non potest quæ contra rationem sunt ; atqui mysteria sunt contra rationem ; ergo. — R. *Neg. min.* mysteria non sunt *contra*, sed *supra* rationem ; quare nunquam in iis contradictio aut repugnantia ostendi potest ; quia in rebus incomprehensibilibus et supra rationem positis, de intrinseca idearum convenientia aut disconvenientia judicare non possumus.

98. 3° Ea sunt contra rationem quæ argumentis insolubilibus impugnantur ; atqui talia sunt mysteria ; ergo. — R. *Dist. maj.* Si argumenta sunt insolubilia *positive*, quia scilicet evidentem contradictionem in objecto inesse probant, *conc.* ; si insolubilia sunt *negative*, quia difficultatem objectant quam humana intelligentia explicare non potest, *neg.*

99. 4° Deus homini rationem dedit ut ea utatur ; atqui si mysteria credenda revelaret, usum rationis excluderet ; ergo.

— R. *Dist. maj.* Deus dedit homini rationem ut ea utatur, hoc est, ut in omnibus ejus dictamina practica sequatur, *conc.;* ut nihil admittat nisi quod ratio intelligit, *neg.* — Et *neg. min.;* cum ipsa sana ratio dictet, summæ veritati esse credendum, etiam mysteria eloquenti ; et statuat, veritatem veritati, rationem divinam rationi humanæ contradicere non posse.

PROPOSITIO III.

Possibilis est revelatio legis positivæ.

100. Legis positivæ nomine hic præcipue intelligitur cultus externus, ritus et observationes, quæ a lege naturali nequaquam determinantur.

101. PROB. Possibilis est hæc revelatio, si nihil obstat neque ex parte legis hujusmodi, neque ex parte Dei, neque ex parte hominis ; atqui nihil horum obstat. — Nam 1° lex naturalis non omnia officia erga Deum determinat ; ergo positive determinanda quædam relinquit. 2° Deus habet potestatem legislativam ; ergo leges condere potest. 3° Homo ordinatur ad obediendum ; ergo potest legem recipere.

ARTICULUS II.

DE REVELATIONIS UTILITATE.

102. Revelationem a priori negandam, eo quod inutilis sit, imprimis contendit J. J. Rousseau. Sophista iste, qui, sicut Calvinus antea cum Luthero protestantium agmen duxerat, ita ipse cum Voltaire incredulorum agmen duxit, sic ratiocinatur in Emilio [1] : Lex naturalis cuilibet clare patet et innotescit ; ergo ejusdem externa promulgatio est inutilis. Lex naturalis plenissime sufficit; ergo nulla dogmata, aut positiva præcepta superaddenda sunt. Hæc autem sophismata et falsa principia, facile sequentibus positionibus dissolventur.

Propositio I, *de utilitate revelandæ legis naturalis.*
Propositio II, *de utilitate revelandæ legis ac religionis positivæ.*

PROPOSITIO I.

Revelatio, seu promulgatio externa legis naturalis, est utilissima.

103. Lex naturalis hic in tota sua extensione sumitur : quatenus scilicet complectitur officia hominis erga Deum, erga semetipsum et erga proximum.

104. PROB. 1° *Ex natura revelationis;* cum hæc sit medium ad docendos homines, aptissimum, brevissimum, tutissimum. Etenim per eam homines *clarius, brevius, efficacius*, doceri

[1] Tom. 3.

possunt ea, quæ pertinent ad religionem et bonam vitam. Quod S. Thomas ostendit [1] dicens, eas etiam veritates, *quæ de Deo per rationem humanam investigari possunt, non nisi a paucis, et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum addisci;* a quarum tamen cognitione pendet tota hominis salus, quæ in Deo est. — Idem dici potest de lege naturali universa, si primaria principia, quæ omnibus sponte innotescunt, excipiantur.

105. 2° *Confirmat experientia:* quanta enim puritas doctrinæ et morum in Judaismo et Christianismo, si cum gentilibus, qui legis naturalis revelatione caruerunt, comparetur!

PROPOSITIO II.

Revelatio positivæ religionis est utilissima.

106. Dicitur *religionis positivæ*, non *legis positivæ*, quia lex tantum præcepta continet; dum propositio non solum ad præcepta se extendere debet, sed etiam ad veritates speculativas ac mysteria, quæ complectitur christiana religio, cui alludunt adversarii.

107. PROB. 1° *Ex effectibus hujusce revelationis.* Utilissima hæc revelatio dicenda est, si maxima emolumenta afferunt tum *veritates* quas credendas, tum *præcepta* quæ implenda proponit; atqui ita se res habet: ergo. *Per veritates enim*, quæ credendæ proponuntur, superbia retunditur, et intelligentia in nobile fidei obsequium incurvatur; ratio perficitur, voluntas ad pietatem et virtutem inflammatur; ad bonum enim faciendum et ad vitium fugiendum motiva potentissima, qualia ex. gr. in mysterio Filii Dei pro nobis in cruce immolati sentire est, subministrantur. — *Præcepta* positiva, legis naturalis observationem promovent, pietatem in Deum nutriunt; per illa homo sub omni respectu dominio Dei subjectus perfectiorem Deo præstat obedientiam, et certior efficitur, se Deum cultu ab ipso præscripto, ipsique proin gratissimo prosequi.

108. 2° *Confirmatur experientia*, qua videre licet civilia bona et prodigia virtutum, quæ ex christiana religione effloruerunt in mundo; ex altera autem parte, vitiorum ac scelerum monstra, quæ paganismus antiquus, ejusque recentiores per impietatem renovationes protulerunt.

[1] P. 1, q. 1, art. 2; et fusius 2. 2., q. 2. a 4 in corp. — *Contra gent.* lib, 1, c. 4.

ARTICULUS III.

DE REVELATIONIS NECESSITATE [1].

PRÆNOTANDA.

§ 1. *Status quæstionis.* — **§ 2.** *Modus argumentandi.*

109. § I. *Status quæstionis.* Non quæritur utrum mysteriorum et supernaturalis dispensationis revelatio sit necessaria ; quæritur vero *de revelatione legis ac religionis naturalis, utrum ea moraliter necessaria sit humano generi ; seu, an humanum genus ad recte vivendum hac revelatione indigeat.*

110. Dicitur 1) *moraliter necessaria.* Necessarium dicitur aliquod medium, quando non solum aptum est ad finem, tunc enim est simpliciter utile ; sed quando idem est tale ut sine ipso finis nequeat obtineri. Porro necessitas alicujus medii est vel *absoluta* vel *moralis. Absoluta* quidem, si sub nulla hypothesi finis attingi, vel res aliqua sine isto medio præstari possit ; *moralis* vero necessitas medii est, seu *moraliter necessarium* est aliquod medium, si res absolute quidem sine illo præstari possit,sed tanta tamen difficultate, ut spectata hominum natura, longe maxima pars hominum eam difficultatem reapse non sit superatura [2].

111. Dicitur 2) necessaria *humano generi :* quia necessitas ex parte hominis spectatur. Potest enim spectari ex parte Dei vel ex parte hominis : si consideretur ex parte Dei, quæstio *utrum revelatio sit necessaria ex parte Dei,* hunc habet sensum : utrum Deus teneatur, et quatenus obligetur hominis indigentiæ per revelationem succurrere ; et an non permissive se habere possit ? Hanc autem quæstionem a præsenti articulo secludimus, et tantum necessitatem revelationis spectamus ex parte hominis, utrum scilicet ad bene vivendum revelatio moraliter necessaria sit humano generi ; i. e. humanæ societati, quam consideramus ut adultam, non vero ut nascentem, et originis suæ puritate, vigore aut dotibus gaudentem [3].

112. § II. *Argumentandi modus.* Ut revelationis necessitatem ita definitam probemus, argumentamur ex insufficientia

[1] Ne confundatur necessitas *revelationis* cum necessitate *religionis,* de qua supra n. 36. Illic quæritur de *religione,* utrum religiosus cultus sit naturale officium et *obligatio* ineluctabilis humanæ naturæ insita ; — hic autem quæritur *de revelatione,* utrum ea humano generi in præsenti statu ita sit necessaria *necessitate indigentiæ,* ut nequaquam deficere possit. — [2] Ne confundatur necessitas *moralis* cum necessitate *ethica,* quæ etiam *moralis* sæpe appellatur. Cf. supra cap. 1, art 2, prop. 1, n. 37.— [3] Cum loquamur in hypothesi societatis adultæ, in qua proinde ratio evoluta jam sit, huc nequaquam pertinere intelligitur quæstionem de primævo rationis exercitio : utrum scilicet in origine,revelatione aliqua naturali vel supernaturali indiguerit homo, ad expeditum rationis suæ usum obtinendum.

ationis. Si enim ex semetipso et per rationem suam, hom eligionem veram et puram, quæ tamen ipsi necessaria est, abere non potest; indiget medio extrinseco, scilicet revela- ione, ut eam accipiat. Atqui hæc insufficientia rationis veris- ima est; ergo. — Duplici autem sensu *ratio* accipi hic potest: 1) pro individua cujusque ratione [1], ac pro legis naturalis cognitione, quam quisque propria ratione sibi comparare potest; 2) pro ratione generali quasi totius humani generis simul conspirante, quæ præcipue ratione exculta philosophorum, et complexu doctrinæ ab ipsis inventæ repræsentatur.

Propositio I, *de insufficientia rationis vulgaris.*
Propositio II, *de insufficientia rationis philosophicæ.*

PROPOSITIO I.

Ratio humana, qualis vulgo hominibus inest, non sufficit ad eos in religione et bona vita instituendos.

113. PROB. 1° *A priori.* Insufficiens est ratio vulgaris ad religionem, si neque sufficit ad theoriam neque ad praxim: hoc est, neque ad sanam religionem cognoscendam, neque ad eam observandam; atqui ad neutrum sufficit. Nam 1° ut ratio sufficeret ad cognoscendam religionem, requireretur in hominibus passim, tum mentis perspicacitas et judicium sanum sine præjudiciis aut pravis affectibus; tum summa attentio et constans in inquirendo diligentia; atqui hæc vulgo non habentur; ergo. — 2° Etiamsi ratio sufficeret ad religionem vulgo cognoscendam, non sufficeret ad eam observandam. Ut enim sufficeret ad observantiam, deberet habere convenientes sanctiones, i. e. motiva obvia et sat efficacia ad hominum animos in obsequium inclinandos; atqui hæc non habet; ergo [2].

114. *Ex facto.* Etenim extra revelationis lumen positæ gentes, neque veram religionem habuerunt, neque sanos mores cognoverunt aut servarunt; ergo. — -1) Non veram religionem habuerunt: omnes enim populi, ut ex historia patet, uno fere excepto, idololatriam admiserunt; nec tantum barbaræ quædam gentes, sed imprimis magis excultæ nationes, ut Chaldæi, Ægyptii, Phœnices, Græci, Romani; quorum nonnulli eo usque processerunt, ut ipsa legumina horti sui divino cultu adorarent; quos propterea irridet poeta dicens:

> O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
> Numina! Juv. *Sat.* 15.

-2) Neque melius puritatem legis moralis cognoverunt aut

[1] Ne confundatur *ratio individua*, cum *ratione seu potius spiritu privato* protestantium, quæ ab heterodoxis hominibus ut regula interpretationis Scripturæ statuitur. — [2] Cf. S. Thom. *Contra gent.* l. 1, c. 4.

servarunt : nam vitia omnia religione publica consecrabant, Jovem adulterum, Venerem impudicam, Mercurium furem, etc. adorantes. Ergo ratio, qualis vulgo hominibus inest, nequit dici in re religiosa sufficiens.

PROPOSITIO II.

Ratio philosophica ad eamdem religiosam hominum institutionem insufficiens est.

115. PROB. Non sufficit ratio philosophica, si populorum ignorantiæ mederi neque scivit, neque potuit, neque voluit philosophia, sive antiqua sive recentior ; atqui ita se res habet.

116. 1° *Non scivit,* quod patet-1) ex facto : ipsi philosophi in præcipuis religionis et legis naturalis capitibus cæcutiebant. *Plato*, qui in morali philosophia totam ætatem consumpserat, uxorum communionem, vagos concubitus, abortus, infantium expositionem, ebrietatem in bacchanalibus approbavit. *Cicero* mendacii, perjurii, vindictæ patronum egit ; *Epictetus* suicidii et incestus. Deos *Patrios*, adeoque plures, ex instituto civitatis, scilicet impudicissimis cæremoniis, sanguine etiam humano, atque talibus spectaculis, quibus interesse ipsum Catonem pudebat, esse colendos approbavit *Socrates* [1], *Plato* [2], *Cicero* [3], — De animæ immortalitate ipse *Socrates*, huic doctrinæ ceterum in vita sua addictus, jamjam moriturus dubitasse dicitur [4]. — Patet -2) ex ipsorum philosophorum testimonio. Cicero: *Nescio quomodo nihil tam absurdum dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum* [5]. — Plato : *Docere pictatem neminem posse*, ait, *nisi Deus tanquam dux et magister præiverit* [6].

117. 2° *Non potuit*-1) Ex defectu consensionis,-2) persuasionis,-3) conformitatis actionum cum doctrina,-4) auctoritatis.

118. 3° *Non voluit*.1) Defectu firmitatis in conspectu veterum superstitionum, quas impugnare debuisset. Si Cicero qui [7] mirari se ait cum Catone, quod non rideret aruspex aruspicem cum videret ; jubet tamen in religione, instituta pontificum et aruspicum servari.-2) Ex principiis erroneis, cujusmodi illud : philosophiam seu veram sanamque doctrinam, non esse plebi, multitudini communicandam [8]. Varro, Romanorum doctissimus, de religionibus loquens, ait, *multa esse vera, quæ vulgo scire non sit utile* [9].

119. Allata argumenta præsertim spectant ad philosophiam antiquam ; sed et applicantur modernæ, cujus impotentia patet,

[1] Xenophon, *Memorab. Socrat.* lib. 4. — [2] In *Epinomide*. — [3] *De legib.* l. 2, cap. 10. — [4] In *Apolog.* Plat. in fine. Cf. Plutarch. *Consolat. ad Apollon.;* Cicer. *Tuscul. quæst.*, lib. I, cap 2. — [5] *De divinat.* lib. 2. — [6] In *Epinomide*. — [7] *De divinat.* lib. 2. — Cfr. *Epist. ad Rom.* I, 18 et 24, seqq. — [8] Cic. ibid, cap. 22. — [9] Cf. Augustin. *De civit.* lib. 4 et 10.

1° *a priori;* nam idem invenitur defectus consensus, persuasionis, auctoritatis, ergo eadem insufficientia. — 2° *Experientia confirmatur.* Nam tot diversa systemata a philosophis inventa et celebrata, nihil nisi magnam idearum confusionem et morum corruptelam genuerunt : et ipsi scilicet *evanuerunt in cogitationibus suis.* Rom I, 21.

120. OBJIC. Si gentium ignorantia probaret necessitatem revelationis, Deus eisdem subvenire debuisset ; atqui non subvenit, plerisque saltem gentibus, et per plurima sæcula; ergo illa ignorantia necessitatem revelationis non probat. — R. *Dist. maj.* Debuisset Deus subvenire illi ignorantiæ, si hæc non esset ex parte hominum voluntaria, *transeat maj. :* si voluntaria, *neg.*

121. *Inst.* Atqui hæc ignorantia fuit involuntaria, siquidem ratio vulgaris insufficiens supponatur ; ergo. — R. *Dist. antec.* Non fuit voluntaria personaliter et in omnibus individuis, *conc.*; non fuit voluntaria saltem originaliter et in patribus, *neg.* Data enim fuit institutio sufficiens imo revelatio primitiva humano generi ; qua abunde Deus suæ providentiæ satisfecit. Salva est enim Dei providentia, si ut provisor universalis, societati humanæ ab initio sufficiens medium bene vivendi dederit ; neque, si homines lapsu temporis per suam culpam hoc pretiosum depositum veritatis perdiderint, illud erit Deo crimini vertendum. Haud secus ac si rex aliquis pauperes colonos instrumentis aratoriis instruxerit, quibus victum comparare possent; hi autem instrumenta illa quamvis necessaria comburant, et ita semetipsos et filios suos in egestatem conjiciant, atque adeo fame moriantur ; non regi istud sed ipsismet crimini tribuendum erit. Similiter si humana societas acceptam a principio veritatis doctrinam abjecerit, ac deinceps fuerit per plura etiam sæcula in ignorantia relicta, non ideo Dei providentia est inculpanda. Quod si qui homines absque ulla sua culpa veritatem ignorent, profecto non ideo punientur, si rationis suæ ductum secuti fuerint. Imo si auxilio divino, quod Deus optimus, qui omnes homines vult ad agnitionem veritatis venire, nemini negat [1], fuerint cooperati, procul dubio ad finem sibi a Deo præstitum pervenient.

122. Hinc videre licet, ex probata revelationis necessitate non posse certo concludi ad ejus existentiam. Nam si probatum est humanum genus indigere revelatione ut bene vivat, non hoc ipso probatum est, Deum debere huic hominum indigentiæ, dando revelationem, satisfacere [2] ; ergo ex probatis non

[1] Cf. infra Tract. V, cap. 2, art. 4, prop. 3, 4, 5, n. 178 seqq. — [2] Quæ maxime confirmantur ex damnata prop. Baii 55 : *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur ;* cujus contradictoriæ sensus est : Deus potuisset humanum genus creare sine peccato et gratia, cum miseriis tum concupiscentiæ tum etiam ignorantiæ, ac proin revelationis lumine destitutum.

exoritur nisi præjudicium validum pro revelationis existentia, quod scilicet *consentaneum omnino sit divinæ bonitati, ut humanæ miseriæ per revelationem opituletur.*

ARTICULUS IV.

DE REVELATIONIS COGNOSCIBILITATE.

123. Quæstio jam succedens de revelationis cognoscibilitate, non est, utrum revelatio a Deo facta ab homine percipi et cognosci possit : hæc enim quæstio in propositionibus de revelationis possibilitate decisa est ; quæritur vero, quomodo revelatio, quæ tanquam divinitus data proponitur, examinanda sit, ut certo nobis de ejus veritate constet : de veritate, inquam, non rerum revelatarum in se, sed ipsius *facti revelationis ;* et quomodo vera revelatio a falsa dignosci possit. — Ad hanc quæstionem respondetur, veritatem revelationis indubie dignosci posse per criteria certa, quæ hoc articulo explicanda et probanda sunt.

§ I. *Explicatio criteriorum.* — § II. *Probatio criteriorum.*

§ I. Explicatio criteriorum.

QUÆSTIONES.

1° *Quid sunt criteria revelationis, et quomodo distinguuntur ?* — 2° *Quæ sunt notæ revelationis negativæ ?* — 3° *Quid est miraculum ?* — 4° *Quomodo miracula dividuntur ?* — 5° *Quæ potest esse causa miraculi ?*— 6° *Quid est prophetia ?*— 7° *Quæ prophetiam inter et miraculum intercedit relatio ?*

124. QUÆR. 1. *Quid sunt criteria revelationis, et quomodo distinguuntur ?* — R. Criteria revelationis sunt characteres, notæ vel indicia, et quasi sigilla, quibus revelatio vere divina a falsa discerni possit : sicut epistola regis ex regio sigillo agnoscitur.

125. Distinguuntur hæc criteria -1) in interna et externa ;-2) in negativa et positiva.

126. -1) *Interna* ea sunt, quæ oriuntur ex natura doctrinæ revelatæ, ex persona præconum, vel ex tempore aliisve adjunctis prædicationis. — *Externa*, sunt facta seu signa supernaturalia, quæ fiunt in confirmationem doctrinæ : dantur duo, *miracula* et *prophetiæ*. Voluit enim Deus, ut Concilium Vaticanum loquitur [1], *cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata.*

[1] Constitit. *Dei Filius, cap.* 3.

127.-2) *Negativa* criteria sunt ea quæ probant negative, id est, vel, revelationem esse confictam ; vel contra, eamdem non esse evidenter falsam et posse esse veram. Hoc modo probant indicia interna, doctrinæ scilicet honestas et præconis virtutes vel vitia. Attamen ea potest esse sanctitas doctrinæ et præconum, ut positivum et validissimum præjudicium pro veritate revelationis constituat. — *Positiva* sunt ea quæ probant positive, id est, revelationem certo esse veram et a Deo auctore provenire. Hoc modo probant miracula et prophetiæ.

128. Q. 2°. *Quæ sunt notæ revelationis negativæ ?* R. Notæ negativæ, quæ probant revelationem non esse evidenter falsam et posse esse veram, sunt sequentes :-1) si doctrina non evidenter repugnet rationi et divinis perfectionibus, neque in se, neque in modo quo data est ; -2) si non repugnet anteriori revelationi certæ ;-3) si conferat ad Dei majestatem commendandam ; -4) si conferat ad hominis veram felicitatem procurandam ; -5) si ex parte præconis adsit aptitudo, ac proin prudentia et scientia rerum quas prædicat ;-6) si adsit quoque sinceritas et probitas, ac proin nec mendax ille præco, nec impostor esse convincatur.

129. Q. 3° *Quid est miraculum ?* -- R. Miraculum [θαῦμα, τέρας, δύναμις], a *mirando* dicitur, et significat generatim effectum cujus causa nos latet. Quod si causa hæc sit naturalis, effectus potius vocatur *mirus* vel *mirabilis :* sin fuerit supernaturalis causa, tunc effectus dicitur proprie, vel *prodigium* vel *miraculum :* prodigium quidem, si non provenerit a Deo [1] ; sin autem a Deo, miraculum.

130. Definitur miraculum juxta mentem S. Thomæ [2] : *Opus sensibile, quod divinitus efficitur præter ordinem naturæ.*

131. Dicitur-1) *opus sensibile ;* ergo quidquid sub sensibus non cadit, quantumvis mirum sit et divinum, ut transubstantiatio Eucharistica, non potest proprie miraculum vocari.

132. Dicitur-2) *præter ordinem naturæ*, scilicet totius naturæ creatæ, vel saltem naturæ visibilis. *Natura* creata hoc loco intelligitur id omne quod creatum est, seu universus creaturarum complexus. *Naturale* vero dicitur, tum id quod est pars naturæ, tum id quod ejus viribus produci potest, tum id quod ab ea exigitur ; *supernaturale* vero, quod non est pars naturæ, et quod naturæ vires exigentiasque excedit ; et, si sumatur supernaturale stricto sensu, est id quod vires totius naturæ creatæ vel creabilis excedit, et non nisi omnipotenti Dei virtute

[1] In Scriptura tamen vox *prodigium* adhibetur etiam pro *miraculo* Dei virtute patrato, ut Deut. VI, 22. — [2] 1 p. q. 110, art. 4 in corp. *Miraculum est id quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ.* Contra gent. l. 3, cap. 110 : *Illa simpliciter miracula dicenda sunt, quæ divinitus fiunt præter ordinem communiter servatum in rebus.*

fieri potest. — *Ordo naturalis* est ordinatio, systema vel complexus virium quibus natura constat, operatur et regitur ad finem sibi proprium. Distinguitur duplex : *visibilis seu corporeus*, complectens mundum hunc aspectabilem ; et *invisibilis seu incorporeus*, complectens angelos et dæmones.

133. Jam vero, ut effectus quispiam sit miraculum, debet, ex definitione, excedere vires utriusque naturæ ordinis ; vel saltem, ordinis visibilis, dummodo a Deo proveniat.

134. Dicitur -3) *quod divinitus efficitur*, hoc est, quod vel immediate a Deo ; vel mediate, nempe per bonos angelos, Deo volente producitur.

135. Q. 4° *Quomodo miracula dividuntur ?* — R. Dividuntur tripliciter. -1) Datur miraculum quoad substantiam, quoad subjectum, et quoad modum. *Miraculum quoad substantiam* est, quando effectus in se spectatus nullis unquam naturæ viribus produci, nec ab ea exigi potest : ut glorificatio humani corporis. — *Quoad subjectum*, quando effectus in se quidem naturalis est, sed, spectatus in subjecto, est supernaturalis : ut visio in cæco nato. — *Quoad modum*, quando secundum se spectatus effectus naturæ vires non excedit, sed tantum quoad modum quo producitur : v. g. subita morbi gravissimi depulsio.

136. -2) Datur miraculum supra naturam, præter naturam, contra naturam. — *Miraculum supra naturam* est, quando effectus naturæ vires absolute superat, ut restitutio vitæ in mortuo. — *Præter naturam*, quando eo modo producitur, quo nequit a natura procedere : ut sanatio Naaman in Jordane. — *Contra naturam*, quando effectus producitur remanente in objecto dispositione contraria : uti sol consistens, vel retrogrediens, jubente Josue et Isaia.

137. -3) Datur miraculum primi ordinis et secundi ordinis. — *Miraculum primi ordinis* illud est, quod superat vires totius naturæ creatæ, visibilis et invisibilis. Vocatur quoque miraculum *majus*, miraculum *in se*, *absolute et stricte sumptum*. — *Miraculum secundi ordinis*, quod etiam dicitur miraculum *minus*, miraculum *quoad nos* et *sensu vulgari sumptum*, illud est, quod solius naturæ visibilis et corporeæ vires superat. Hoc quoque verum miraculum esse ostendit Benedictus XIV [1], et in judicio beatificationis et canonizationis Sanctorum admittendum, utpote a Deo procedens, qui angelis bonis mandat, ut in sui gloriam hominumque utilitatem aliqua faciant, quæ naturalem ipsorum virtutem non excedunt, licet vires naturæ corporeæ superent.

138. Q. 5° *Quæ potest esse causa miraculi ?* — R. Causa miraculi *efficiens* distinguitur alia *principalis*, alia *instrumentalis:* prout propria voluntate, aut voluntate alterius movetur ad pro-

1 *De Beatif. Sanctor.*, et in synopsi opp. tom. 13.

ducendum effectum miraculosum. — Porro miraculum potest fieri *principaliter* a solo Deo ; *instrumentaliter* vero, aliquando etiam a creaturis homine superioribus, nempe ab angelis bonis, Dei voluntate et imperio operantibus, effici potest. Ratio est, quia, juxta definitionem, miraculum fieri debet *divinitus*, id est a Deo, vel immediate per se efficiente, vel mediate per creaturam ; quæ causalitas Dei tanquam formale miraculi haberi debet. — Si quærat quispiam, utrum homo miraculum nullatenus patrare possit ? respondendum est, hominem illud nullatenus posse per vires proprias, cum opus miraculosum humanas vires essentialiter superet. Potest autem homo, vel prece impetrare ut Deus miraculum faciat ; vel ipse potentia sua obedientiali [1] a Deo præternaturalem vim accipere, qua, tanquam instrumentum Dei, miraculum operetur [2].

139. Quod si sermo sit de miraculo improprie dicto, materiali, seu de actione quæ superat naturam visibilem, nec provenit a Deo nisi permittente : hoc ab ipsis malis spiritibus in sphæra potentiæ eorum, produci potest. Quæ autem et quanta sit dæmonum potentia non facile quis determinaverit [3] ; quod exercitium vero spectat ipsorum potestatis in mundo visibili, certum est, eos nihil quin Deus permiserit efficere posse, ut mox probabitur.

140. Q. 6° *Quid est prophetia ?* — R. Prophetia, vi vocabuli [πρό, φάω], est prædictio, seu dictio rei ante eventum. — Quoad sensum, accipitur improprie vel proprie. Sumpta *improprie*, prophetia est, vel *præcognitio*, vel *scientia quævis rerum occultarum*, vel *interpretatio arcanorum* præsertim vaticiniorum, vel *interpretatio totius Scripturæ*, aut quævis exhortatio moralis, vel demum *miraculum*, eo quod miraculis vaticinia confirmari soleant [4].

141. *Proprie* vero et *stricte* [5] dicta prophetia, vaticinium, μαντεία, est *prædictio certa futuri alicujus eventus, qui ex naturalibus causis prævideri non potest ;* seu etiam, est *manifestatio rei futuræ plane contingentis*. Ex hac definitione sequitur, tria ad prophetiam requiri, quæ sunt : prænuntiatio certa ac determinata, — rei nondum existentis, — nec cum rebus jam existentibus ullum nexum necessarium habentis.

142. Q. 7° *Quæ prophetiam inter et miraculum intercedit relatio ?* — R. Ea quæ intercedit inter genus et speciem. Nam prophetia est species miraculi ; sed eo præ ceteris miraculis

[1] Cf. t. II, tract. 10, *de Sacram.* cap. 3, art. 1, quæst. 1 de causalit. Sacram. — [2] Cf. Suarez, tom. 16, disp. 31, sect. 9. — [3] Cf. tract. *De creatione*, cap. 2, nn. 48, 88. — [4] Cf Joan. IV, 19 ; — Matth. XXVI, 68 ; — Rom. XII, 19 ; — 1 Cor. XI et XIV ; — Eccli. XLVIII, 14, et IV Reg. XIII, 21 ; — Eccli. XLIX, 18. — [5] In prophetia proprie dicta etiam gradus distingui docet S. Thom. 2. 2, q. 171, art. 3 in corp.

eminet, quod est revelatio demonstrationem suam sibimetipsi suppeditans. Miraculum est, cum sit effectus vires intellectuales creaturarum superans ; et simul revelatio est, cum notitiam contineat quæ non nisi a Deo communicari possit : ut mox ostendemus sub Prop. VII sequentis paragraphi.

§ II. Probatio criteriorum

143. Ut plene demonstretur, miracula et prophetias indubia esse revelationis argumenta, quatuor evincenda sunt : 1° miracula et prophetias posse fieri, 2° eadem non posse fieri nisi a Deo, 3° eadem posse dignosci, 4° eadem a Deo apponi revelationi tanquam divinæ suæ auctoritatis sigilla ; atqui hæc sequentibus propositionibus stabilientur.

Propositio I, *de possibilitate miraculi.*
Propositio II, *de origine divina miraculi.*
Propositio III, *de impotentia creaturarum ad miracula.*
Propositio IV, *de cognoscibilitate veri miraculi.*
Propositio V, *de vi probandi miraculorum.*
Propositio VI, *de possibilitate prophetiæ.*
Propositio VII, *de exclusiva origine divina prophetiæ.*
Propositio VIII, *de vi probandi prophetiarum.*
Quæstiones — Objectiones.

PROPOSITIO I.

Miraculum est possibile.

144. PROB. Miraculum non repugnat, neque ex parte subjecti seu creaturæ, neque ex parte causæ seu Dei ; ergo est possibile. Non ex parte creaturæ, quæ ad recipiendum effectum quemlibet indifferens est ; non ex parte Dei, qui est ad producendum effectum omnipotens, qui Dominus est ac moderator supremus, et, si ita loqui placet, legislator naturæ ; proindeque obstaculo nullo sive physico sive ethico impeditur.

PROPOSITIO II.

Solus Deus est causa efficiens miraculi primi ordinis.

145. Cum miraculum primi ordinis præ cæteris adversus incredulos in probationem afferre conveniat, de illo quoque præcipue disserere debemus. Hujusmodi miraculum imprimis statuimus necessario fieri ab ipso Deo : id est, illud a nulla creatura, nisi forte instrumentaliter et per potentiam obedientialem effici posse, et a solo Deo auctore naturæ tanquam causa efficienti produci.

146. PROB. 1° Miraculum primi ordinis est opus quod totius naturæ vires superat; ergo, neque a natura materiali, neque ab angelis, sed a solo Deo produci potest.

147. 2° Idem probatur ex communi hominum sensu ac persuasione, imprimis Judæorum et Apostolorum [1], imo totius mundi, ad Christum conversi propter miraculum resurrectionis ejus, in qua manum agnovit Dei, *qui facit mirabilia magna solus* [2]

PROPOSITIO III.

Angeli mali miracula, etiam improprie dicta, patrare non possunt, nisi permittente Deo.

148. Miracula improprie dicta sunt effectus quilibet stupendi, præter naturam visibilem producti, non jubente Deo; dicunturque prodigia et signa.

149. Angeli mali seu dæmones, naturali sua potentia in mundum corporeum agere possunt [3], nempe vel movendo corpora, vel naturales vires ad actum applicando [4]: verumtamen hanc potentiam exercere pro suo arbitrio, et independenter a Dei permissu non possunt.

150. PROB. I PARS. *Non possunt sine Dei permissu.* 1° Obstant enim Dei attributa: -1) providentia, qua omnia quæ in mundo sunt ita moderatur, ut nihil casui fortuito relinquat: ergo, a fortiori, regni sui habenas malignis spiritibus committere non potest.-2) Obstat sanctitas, veritas, bonitas: quibus prohibetur mundum tradere spiritibus immundis, mendacibus, funestis, qui operum Dei ruinam molirentur.

151. 2° Accedit communis hominum sensus, qui, quamvis potentiam dæmonum non habeant exploratam, tamen se suaque omnia a Deo, ejusque providentia dependere optime sciunt. — Præterea, si dæmonum potentia alligata non esset, cur ejusdem effectus non quotidie videremus, quos vel ipsi sponte producerent, vel a passionibus hominum invocati?

152. II PARS. *Possunt tamen permittente Deo.* Deus enim justo judicio permittere potest, ut dæmones, vel ad exercendos bonos, vel ad puniendos malos, naturali sua virtute utantur; licet ad talem suæ virtutis usum minime natura sua ordinentur.

1 Joan. III, 2.— 2 Ps. CXXXV, 4. Cf. Suar. tom. 16, disp. 31, sect. 9 — 3 Quamvis maligni spiritus agere possint physice in mundum corporeum viribus excedentibus naturæ visibilis facultates, nihilominus ad sic agendum nequaquam naturaliter ordinati sunt. — 4 Cf. Suarez, tom. 2, lib. 4, cap. 39; item cap. 23 et seqq., item tom. 12, tract. 3, lib. 2, c. 16.

PROPOSITIO IV.

Miraculum, aliquando saltem, potest certo cognosci.

153. PROB. Miraculum præsertim primi ordinis, aliquando saltem potest cognosci, si aliquando de actione præternaturali, hoc est, quæ præter naturæ vires efficitur, constare nobis potest : atqui de hac aliquando constare potest ; ergo. — Probatur minor, 1° ex ratione in abstracto, 2° ex casu in concreto, seu ex facto omnibus suis circumstantiis vestito.

154. 1° *Ex ratione in abstracto.* Constare potest aliquando actionem præter naturæ vires esse factam, si vires agentium naturalium respectu certorum effectuum novimus : hinc enim cognoscere possumus, utrum effectus illas vires excedat : atqui tali modo vires agentium naturalium novimus ; ergo.

155. *Notandum* -1) : agentia naturalia distinguuntur alia *mere spontanea*, alia *libera*. Agentia spontanea agunt secundum vires suas, modo necessario : sic, ignis materiam aptam necessario urit. — Agentia libera applicare possunt pro libitu vires, tum proprias, tum etiam quasdam alienas : sic, medicus vulnus considerat, secat et mundat, per vires proprias ; sanat vero, per applicationem medicamentorum.

156. *Notandum* -2) : vires cujuspiam agentis cognosci possunt dupliciter, positive videlicet vel negative : ***positive***, quando constat quid et quantum efficere possint vel debeant ; ***negative***, quando constat quid efficere nullatenus valeant.

157. His positis, probatur agentium naturalium vires cognosci respectu certorum effectuum. Scilicet eas cognoscimus tum positive tum negative : nam 1) cognoscimus vires naturæ generales, quæ sunt videlicet mechanicæ, chimicæ, organicæ, vitales sensitivæ, intellectuales. -2) Novimus vires proprias multorum agentium in particulari. Inter alia, certo scimus vim propriam ignis esse urendi ; organum corporeum evolvi lente per propria tantum principia ; novimus vitam non recipi nisi per propagationem, Deumque solum habere dominium vitæ et mortis, quod omnes gentes in sacrificiis suis offerendis professæ sunt ; novimus agentia mere spontanea esse actus intellectualis incapacia ; novimus creatas intelligentias futura non nisi in causis determinatis cognoscere ; novimus angelos et dæmones in mundo corporeo nihil, nisi per motum corporum et per applicationem virium naturalium, operari posse ; nec in eorum potentia esse, naturales vires mutare aut novas vires inducere, vel efficere quidquam, quod ad creationem, aut ad mutationem legum, ut aiunt, naturæ physicæ reducatur. Ergo vires agentium naturalium cognoscimus respectu certorum effectuum ; ergo utrum effectus certus has vires excedat possumus judicare ; ac proin

aliquando nobis constare poterit, utrum effectus sit supra naturam. Id autem ex casu in concreto apertius patebit.

158. 2° Probatur *ex casu in concreto.* Spectetur sive suscitatio Lazari, sive illuminatio cæci nati, sive resurrectio ipsius Christi, vestita nempe omnibus suis circumstantiis ; et quisquis sanæ mentis fuerit fatebitur, quod mundus universus ab octodecim jam sæculis confessus est, hæc esse opera Dei.

PROPOSITIO V.

Miraculum est certum divinitatis doctrinæ, in cujus gratiam editur, argumentum.

159. *Miraculum* intelligimus præsertim primi ordinis, ut ita quæstionem restringentes, viam quibusdam inopportunis difficultatibus præcludamus.

160. Dicitur *certum divinitatis argumentum ;* hoc est, certo constat Deum assumpsisse miraculum tanquam sigillum manus suæ : adeoque, miraculum cum auctoritate divina esse connexum, non quidem nexu necessario ac metaphysico, saltem per se et directe ; sed nexu morali, cujus necessitas indirecte ad metaphysicam necessitatem evehitur.

161. Dicitur *doctrinæ in cujus gratiam est editum ;* miraculum enim id probare non potest, cui probando non fuit quasi sigillum applicatum.

162. PROB. 1° Ex universali populorum consensu et persuasione. 2° ex providentia Dei. Miraculum hujusmodi est nota commendatitia ab ipso Deo alicui doctrinæ impressa ; ergo certum est divinæ approbationis seu auctoritatis argumentum. — *Prob. antec.* Est nota commendatitia ; ut talis enim ab omnibus hominibus rationabili interpretatione consideratur. — *Prob. conseq.* Est certum argumentum divinæ auctoritatis : si enim in gratiam rei, quam non approbat, imo quam improbat, ex gr. falsitatis, impietatis, etc. Deus tale signum apponeret, genus humanum, rationis dictamini obediens, in errorem gravissimum ipse induceret, nec ullum erroris vitandi medium illi relinqueret.

PROPOSITIO VI.

Prophetia proprie dicta est possibilis.

163. PROB. Possibilis dicenda est prophetia, si neque Deo repugnat neque homini.

164. Atqui 1° non repugnat Deo. Nam Deus futura contingentia ac libera omnia novit, eaque homini manifestare tum physice potest tum moraliter. Imo convenire apprime videtur, ut ad sapientiam suam glorificandam, nonnulla ex divinis mysteriis atque consiliis Deus cum homine communicet.

165. Nec 2° repugnat homini. Ideo enim unice prophetia homini repugnaret, quod ea libertatem hominis, per quem prophetia complenda est, tollere videatur. Verum hæc ratio nulla est. Quandoquidem prophetia -1) potest ea respicere quæ a libertatis humanæ usu minime pendent, ut v. g. futurum aliquod miraculum ;-2) potest circa actionem liberam versari, quin certum actionis auctorem definiat ;-3) potest auctorem ita definire, ut nihilominus auctor ille prophetia designari se, vel penitus ignoraturus sit, vel saltem non recordaturus dum aget ; vel certo denique actionem illam editurus, non alligante liberum ejus arbitrium prophetiæ memoria ; sed alio quopiam motivo ad agendum alliciente. — Adde, nequaquam repugnare videri, ut Deus libertatis humanæ exercitium, in particulari quadam actione, suspendat.

PROPOSITIO VII.

Solus Deus est causa efficiens prophetiæ.

166. PROB. 1° *Ex natura rei* [1]. Solus Deus potest esse causa illius cognitionis, quæ omnem creatæ intelligentiæ vim superat; atqui prophetia, seu prænuntiatio rei contingentis, cognitionem talem requirit ; ergo solus Deus prophetiæ causa esse potest. — *Prob. min.* Cognitio rei contingentis, id est, contingenter seu libere futuræ, creatam intelligentiam superat, si ab hac percipi illa res non potest ; atqui non potest percipi. Nam ut res percipiatur ab intellectu creato, debet aliquo modo existere, vel formaliter, vel in causa determinata : secus enim deberet percipi nullo modo existens ; quod fieri non potest nisi ab intellectu increato qui nullo indiget medio ad cognoscendum, nisi seipso ; qui vocat et novit ea quæ non sunt, sicut ea quæ sunt ; qui, quemadmodum res ex nihilo creat, ita eas in nihilo perspicit : cum nuda omnia et aperta sint oculis ejus. — Jam vero, objectum prophetiæ proprie dictæ est absolute non existens ; ergo a solo Deo cognosci ac proin annuntiari potest. — Hæc multo evidentius etiam patent, si objectum prophetiæ sit eventus miraculosus qui a sola libera Dei voluntate dependeat.

167. 2° *Ex consensu populorum* Christianorum, Judæorum et gentilium. Isaias : *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.* XLI. 23. — Gentiles quoque vates, futurorum præscios appellabant *divinos*, et adagium usurpabant cujus meminit Cicero scribens : *Siquidem ista sic reciprocantur, ut et si divinatio sit, dii sint, et si dii sint, sit divinatio* [2]. — Seneca : *Dii omnia futura norunt, sed nobis occulta sunt* [3].

[1] Cf. Suarez, tom. 2, lib. 2, cap. 11. — [2] *De divin.* l. 1, cap. 5. — [3] *De benef.*, lib. 4.

PROPOSITIO VIII.

Prophetiæ sunt certum divinæ revelationis argumentum.

168. PROB. Vera est enuntiata propositio,si 1° vera prophetia certo dignosci potest, et si 2° vera prophetia certo cum auctoritate Dei, aut revelatione, connexa est ; atqui hæc duo constant; ergo. — 1° *Dignosci potest*, tum ante eventum per adjuncta miracula, tum post eventum per impletionem certam. — 2° *Connexa est cum Dei auctoritate :* nam-1) est genus miraculi ; -2) est locutio proveniens a Deo, ergo constituit ipsa prophetia revelationem ;-3 accedit omnium populorum consensus.

QUÆSTIONES.

1° *Quænam sunt regulæ ad dijudicanda miracula et præstigia?* — 2° *Quænam sunt regulæ ad dignoscendas veras prophetias?*

169. RESP. *Ad I.* Signa illa secundi ordinis, quæ visibilis quidem naturæ, non vero invisibilis vires excedunt, vel vera miracula esse possunt vel dæmonis illudentis præstigia. Quapropter, ut verum a falso dignoscatur, nonnullæ dantur regulæ, quarum aliæ *negativæ* sunt, aliæ *positivæ*.

170.-1) Miraculum *dignoscitur esse falsum vel suspectum*, si signis majoribus illiditur ; — vel si indignum Deo est, sive ratione sui, sive ratione doctrinæ ad quam confirmandam profertur ; — vel si cedit in hominum detrimentum corporale ; — vel demum si a perversis hominibus patratur.

171. -2) Miraculum *vere divinitus efficitur*, si vaticinio prædictum antea fuit, aut certis miraculis confirmatum postea ; — vel si cedit in hominum bonum et utilitatem veram, præsertim moralem : vel si in favorem doctrinæ sanctæ editur. In duobus ultimis casibus signum semper a Deo procedit, etiamsi a dæmone efficiatur : nam tunc a dæmone fit cogente Deo, et miraculum est dicendum, quatenus dæmon, dum illud operatur, officium agit angeli boni.

172. Q. 2°. *Quæ sunt regulæ discretionis prophetiarum ?* — R. *Veritas* prophetiæ dignoscitur, -1) ex ejus natura et circumstantiis, quæ Dei perfectionibus non modo non repugnant, sed easdem potius haud ambigue commendant ; -2°) ex miraculis ; -3) ex eventu.

173. *Falsitas* vero demonstratur,-1) si eventus non sequatur: excipe tamen casum, quo eventus fuerit conditionate prædictus; -2) si prophetia adversetur certis miraculis, doctrinæ aliunde certæ :-3) si edatur ab improbis hominibus, aut usu libertatis et rationis destitutis ; si ambigua et equivoca fuerit, aut omni ex parte obscura : in hoc tertio casu, saltem vehemens præjudicium exoritur falsitatis

OBJECTIONES.

Adversus propositiones superiores.

174. OBJIC. 1° Leges naturæ sunt immutabiles ; ergo miraculum, quod earum mutabilitatem supponit, est impossibile. — R. *Dist. antec.* Leges naturæ moralis sunt immutabiles, *conc.;* leges naturæ physicæ, *subdist.* : ita ut non possint mutari a creatura, *conc.* ; ita ut non possint mutari a Creatore, seu ab ipso Legislatore, *neg. et neg. suppos.* Supponuntur enim perpetuam leges naturæ physicæ ad instar veritatum æternarum esse immutabiles, cum sint mere contingentes, vel esse ex parte Dei proprie dicta statuta et decreta, cum non sint nisi uniformis actio Dei in mundo per causas secundas : quam sane uniformitatem Deus aliquantisper interrumpere potest, quoties ob rationis sapientia sua dignas voluerit.

175. *Obj.* 2° Non potest ab homine cognosci factum supernaturale ; atqui miraculum est factum supernaturale ; ergo cognosci non potest. — R. *Dist. maj.* Non potest cognosci, hoc est, percipi sensibus, factum supernaturale et suprasensibile, ut transsubstantiatio Eucharistica, *conc.;* factum supernaturale tantum in sua causa, quodque in suo termino est sensibile, et ejusdem generis ac facta reliqua naturæ, hujusmodi cognosci non potest, *neg.; et disting. min.* in eumdem sensum.

176. *Obj.* 3° Ad certo cognoscendum miraculum, deberemus omnes naturæ vires habere perspectas ; atqui easdem non habemus omnes perspectas ; ergo. — R. *Neg. maj.* Sufficit ut naturæ vires quasdam cognoscamus, et quidem negative, ac respectu ad certos effectus : hoc est, ut cognoscamus ad talem determinatum effectum, puta cadaveris jam putrescentis e sepulcro suscitationem, naturæ vires non pertingere.

177. *Obj.* 4° Effectus mirabiles producit naturalis vis phantasiæ, magnetismi animalis, galvanismi ; ergo sciri nequit utrum miracula non simili causæ debeantur. — R. *Trans. antec.* [1] *neg. cons.* Effectus illi mirabiles, si qui certo constant, prorsus differunt a miraculis manifestis in quibus fundatur christiana religio, ut infra patebit [2] ; quæque talia sunt, ut nulla facultate mere humana produci possint. Si enim posset vis phantasiæ etc. mortuos suscitare, cæcos illuminare, aquam in vinum mutare, jam dudum profecto illa vis applicata foret.

178. *Obj.* 5° Saltem vires dæmonum, aut quarumvis superiorum creaturarum nosse deberemus, ut certo nobis constaret, miraculum non ab ipsis produci ; atqui eas non novimus ; ergo. — *Dist. maj.* Deberemus nosse vires dæmonum et naturæ

[1] Cf. *Histoire académique du Magnétisme*, par Burdin et Dubois, Paris, 1841. — [2] Hujusce tract., cap. 4, art. 1 et 2.

suprasensibilis, negative et respectu ad certos effectus, *conc.*; positive et absolute, *neg.* Novimus plurima esse quæ, cum ad creationem reducantur et requirant virtutem infinitam, a nulla creatura fieri possunt. Et aliunde, si creaturæ superioris ordinis maximam quamdam potentiam habeant, eam, ut supra vidimus, sine Dei permissu, in humano mundo exercere non possunt.

179. *Obj.* 6° Ipsum factum miraculosum materialiter sumptum, et præcisione facta a causa, necessario caret certitudine. *Prob.* Hoc factum mihi non constat nisi per hominum testimonium; atqui tale fundamentum caret certitudine; ergo. — R. *Neg. antec.* Ad prob. *trans. maj. dist. min.* Caret certitudine metaphysica, *conc.*, morali, *neg.*

180. *Instant.* Atqui certitudo moralis non excludit impossibilitatem de opposito; ergo manet dubium, nec vera est certitudo.—R. *Dist. subs.* Non excludit impossibilitatem de opposito, absolute, *conc.*; non excludit eam hypothetice, sub hypothesi nempe certa ordinis moralis existentiæ, *neg.* Auctoritas humana suo modo excludit omne dubium, et quidem plenissime, cum indirecte quoque in principiis metaphysicis fundetur [1].

181. *Obj.* 7° Ubi constant morali evidentia duo quæ inter se sunt contraria, tunc illi parti assentiri quæ majorem evidentiæ vim habet, prudentia jubet; atqui in facto miraculoso stat evidentia legis physicæ contra ejusdem legis suspensionem; et si casum particularem spectemus, stat ex. gr. experientia omnium hominum testans mortuum non resurgere, adversus apostolos duodecim, qui testantur Christum resurrexisse; ergo facta miraculosa propter evidentiam contrariam rejicienda sunt. — R. *Trans. maj. neg. min. et conseq.* Non existit repugnantia nisi in sophismate adversariorum: evidentia morali, imo physica constat, leges physicas servari nisi divinitus suspendantur; alia evidentia morali constat in certo casu illam possibilem suspensionem locum habuisse: ex una parte constat mortuos non resurgere sine exceptione divinitus facta, et ex altera parte constat, exceptionem hujusmodi in persona Christi factam esse; ubi est contradictio?

182. *Obj.* 8° Miraculum non est certum divinæ revelationis criterium; nam Deus potestatem miraculorum committere potest alicui creaturæ liberæ, hæc autem ea potestate abuti ad confirmandos errores posset; ergo. — R. *Neg. antec.* Ad prob. *dist.* Deus potest eam potestatem committere alicui creaturæ, ut ea in casibus a se prævisis utatur, *trans.*; potest eam committere seu potius derelinquere, ita ut creatura independenter a Deo, et in casibus a Deo non prævisis utatur, *neg.* Alioquin

[1] Cf. Liberatore. *Institut. philosoph.*, vol. 1, Logic. part. 2, cap. 3, art. 3, de criterio externo, edit. Rom. 1860.

idem faceret Deus, ac si rex quispiam imprudentissimus sigillum suum ministro non probatæ fidelitatis committeret.

183. *Obj.* 9° Ut quis certus esse possit de veritate prophetiæ, requiritur,-1) ut sit testis prædictionis,-2) ut sit testis eventus, -3) ut sit certus rem casu fortuito nec prædici nec evenire potuisse ; atqui hæc tria nunquam in uno homine concurrunt ; ergo nemo de veritate prophetiæ certus esse potest [1]. — R. *Neg. totum.* Etenim imprimis hæc tria aliquando in eodem homine concurrunt, uti in Apostolis et aliis, qui prophetiam Christi Domini de sua resurrectione prolatam audierunt,et viderunt impletam. Deinde nonnisi tertium requiritur ; de duobus prioribus enim, etsi testes oculati non fuerimus nec prædictionis nec eventus,æque certo tamen per testimonium hominum nobis constare potest, nisi omnem historiæ fidem denegare velimus.

184. *Obj.* 10° Etiam ethnici sua vaticinia habuere, ut ex celebratissimis constat apud diversas gentes oraculis ; ergo prophetiæ non sunt certum veritatis argumentum[2].—R. *Dist. antec.* Ethnici habuerunt oracula, quæ nihil aliud erant nisi fallaces prophetiarum simulationes, *conc.;* quæ erant veræ prophetiæ, *neg.;* et *neg. conseq.* Notum enim est : -1) innumera *falsa* oracula a principum adulatoribus ac poetis fuisse conficta ; quo spectat illud Demosthenis : *Pythonissa philippizat :* et illud Cæsaris, cum ipsi auguria læva nuntiarentur : *ea fore lætiora cum vellet* (3) ; -2) plurima scientia *conjecturali*,ænigmatice et ambigue prædicta fuisse, ut illud citatum a Cicerone (4) : *Aio te, Æacida, Romanos vincere posse ;* -3) pauca tantum exempla proferri ab incredulis, eaque talia, ut neque in confirmationem alicujus doctrinæ edita sint, neque examen artis criticæ ferre possint.

[1] J. J. Rousseau, *Emile,* t. 3. — [2] Voltaire. — [3] Cf. Euseb. *Præpar. Evang.* l. 2, c. 4, et lib. 6 toto. — *De divinat.* l. 2, c. 56.

CAPUT TERTIUM.

DE REVELATIONE MOSAICA.

185. Hactenus principia statuimus et criteria, quibus revelatio divina certo a quacumque fallacia dignosci possit. Jam applicanda sunt hæc principia religionibus illis, quæ revera tanquam divinitus revelatæ perhibentur, quæque ad quatuor reduci possunt, et sunt : Ethnicismus, Mahumetismus, Judaismus et Christianismus.

186. Ex his autem quatuor religionum classibus duæ sunt, quæ super reliquas eminent, judaica nempe et christiana. Quin, christiana in judaicam prævaluit, et eam suo fulgore devicit ita, ut ipsa sola jam in toto mundo spectabilis singulari luce resplendeat, sicut civitas supra montem posita. Quare hominem gentilem etiam et incredulum, præsumptio valida in favorem hujusce religionis christianæ statim subire debet. Hæc autem præsumptio fundata est, imo explorata veritas a nobis demonstranda.

187. Itaque, missis aliis religiosis traditionibus, directe christianæ religionis divinitatem demonstrandam aggredimur. Quem in finem procedi potest duplici via : altera breviore, altera quidem longiore, sed magis scientifica, et præcipue Judæis convincendis adaptata. Prior scilicet methodus immediate considerat religionem christianam in se, et in signis quibus refulget : altera considerat eam 1° in præparatione sua ab origine, et quasi in germine suo, quod Vetere Testamento continetur ; ac dein 2° eam in propria sua forma contemplatur. Hanc pleniorem methodum sequemur ; et primum de christianæ religionis præparatione agemus, quod præsentis capitis argumentum erit ; deinde capite sequenti, eamdem in se spectabimus. Quæ duo constituent demonstrationem plenissimam, juxta hoc ratiocinium : *Religio christiana est vere a Deo revelata, si Deus eam præparavit in Vetere Testamento, ac dein perfecit in Novo Testamento ; atqui ita est ; ergo.*

188. Quoniam autem ad facta hæc, quæ in minori asseruntur, probanda, insistimus præcipue libris V. et N. Testamenti, horum librorum auctoritas ante omnia stabilienda nobis est. Hinc exsurgit triplex hujusce capitis articulus :

Articulus I, *de auctoritate N. et V. Testamenti.*
Articulus II, *de divinitate revelationis mosaicæ.*
Articulus III, *de relatione revelationis mosaicæ cum religione christiana.*

ARTICULUS I.

DE AUCTORITATE LIBRORUM N. ET V. TESTAMENTI[1].

189. Antequam revelationis factum in se examinemus, stabilienda prævie est auctoritas librorum N. et V. Testamenti; quoniam, ut modo dicebatur, ex iis præcipua desumenda sunt veræ revelationis argumenta. Dico *præcipua;* nam et alia sunt, quæ sine Scripturæ libris sufficere possent, et quidem multis gentibus sufficientia fuerunt ad credendum : scilicet historia et publici eventus, natura christianæ religionis, ejus existentia et perpetua miracula, ejus historia ad Christum usque ascendens, et cognita, tum ex scriptis ac monumentis antiquis, tum ex testimonio traditionis gravissimo ac certissimo; quæ sane sufficientia sunt christianæ veritatis argumenta. Attamen luculentius illa veritas apparet ex Scripturæ libris, ex quibus et Apostoli et Christus ipse argumentari solebant.

190. Agitur hic de libris illis utriusque Testamenti, quorum complexus vocatur Scriptura vel Biblia. Porro circa Scripturæ auctoritatem tria inquiri possunt : 1° utrum authentica sit, 2° utrum verax, 3° utrum divinitus inspirata. Hoc loco tantum de duobus prioribus agendum, quibus continetur auctoritas historica, qua sola indigemus, quæque sola respectu adversariorum est efficax. — At expedit primum brevem tradere Bibliorum notitiam.

Bibliorum notitia.

191. Dividitur Scriptura 1° ratione temporis, 2° ratione materiæ, 3° ratione auctoritatis.

192. 1° Ratione *temporis*, dividitur in libros *Veteris* et *Novi Testamenti*.

193. 2° Ratione *materiæ*, dividitur in libros legales, historicos, morales seu sapientiales, et propheticos. — Judæi olim sacra volumina distinguebant in *Legem*, seu libros Moysis, *Prophetas*, et *Psalmos*, vel *Agiographa* [2].

194. Numerantur autem universæ Scripturæ libri 72, complectentes capita 1324, scripti ab auctoribus 39, spatio 1600 annorum sibi invicem succedentibus. En biblicorum voluminum catalogus :

195. *Libri Veteris Testamenti :* 1] *Legales:* Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Hi quinque libri vocari solent Pentateuchus. 2] *Historici:* Josue, Judicum, Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Tobias, Judith, Esther, Job, et duo Machabæorum libri, qui velut appendix

[1] Cfr. Schouppe, *Cursus Scripturæ sacræ*, vol. 1, part. 1, *de libris biblicis eorumque auctoritate.* — [2] Cf. Luc. XXIV, 44, et Hieron. *Prolog. galeat.*

sunt ad libros historicos. 3] *Morales:* Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, liber Sapientiæ, Ecclesiasticus. 4] *Prophetici*: Isaias, Jeremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

196. *Libri Novi Testamenti:* 1] *Legales:* Evangelia quatuor, S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ, S. Joannis. 2] *Liber historicus*: Actuum Apostolorum. 3] *Morales:* Epistolæ 14 S. Pauli, nimirum 1ª ad Romanos, 2ª et 3ª ad Corinthios, 4ª ad Galatas, 5ª ad Ephesios, 6ª ad Philippenses, 7ª ad Colossenses, 8ª et 9ª ad Thessalonicenses, 10ª et 11ª ad Timotheum, 12ª ad Titum, 13ª ad Philemonem, 14ª ad Hebræos ; — Epistola una S. Jacobi, duæ S. Petri, tres S. Joannis, demum una S. Judæ. 4] *Liber propheticus* unus, Apocalypsis nempe S. Joannis.

197. 3° Ratione *auctoritatis*, dividuntur Scripturæ libri in canonicos, qui soli proprie Scripturam constituunt, et apocryphos. *Canonici* dicuntur libri, qui non tantum quoad se sunt, sed etiam quoad nos habentur sacri et Deo afflante scripti, ideoque in Canone Ecclesiæ recensentur. *Apocryphi* hic intelliguntur illi, qui non positive quidem ab Ecclesia sunt reprobati ; sed qui auctoritatis sunt dubiæ vel obscuræ, ab Ecclesia saltem negative approbati ; ideoque licet in Bibliis sacris nonnunquam permissi, tamen a reliquis libris distincti, vel ad calcem voluminis rejecti conspiciuntur. Hujusmodi sunt Oratio Manasse, Liber 3 et 4 Esdræ, prologus Ecclesiastici, præfatiuncula Threnorum, Liber 3 et 4 Machabæorum.

198. *Canonici libri*, de quibus solis hic sermo est, subdividuntur in *Protocanonicos* et *Deuterocanonicos*, seu canonicos primi et secundi ordinis : non quod auctoritate differant, quæ identica est in utrisque ; sed quia priores semper recepti fuerunt ut canonici, posteriores vero aliquando controversiæ subjecti, et non nisi lapsu temporis manifeste fuerunt in canonem relati.

199. His præmissis, probationem aggredimur auctoritatis biblicæ, inchoando a Novo Testamento ; quia hoc quasi fundamento stabilito, demonstratio Veteris Testamenti facilius sequetur

200. Ut probetur auctoritas N. T. tria sunt ostendenda : 1° libros quos continet esse genuinos et authenticos, 2° eosdem integros et incorruptos ad nos pervenisse, 3° eorum auctores esse fide dignissimos. Ex hoc triplici facto plena et maxima auctoritas historica exsurget. — In probanda dein auctoritate V. T. eadem via procedendum erit : ita tamen ut primum agatur de Pentateucho, et postea de aliis libris, ponendo eamdem triplicem quæstionem de *genuinitate*, de *integritate* et de *veracitate*.

Propositio I, *de genuinitate librorum N. T.*
Propositio II, *de eorum integritate.*
Propositio III, *de eorum veracitate.*
Propositio IV, *de Moyse vero auctore Pentateuchi.*
Propositio V, *de Pentateuchi integritate.*
Propositio VI, *de ejusdem veracitate.*
Propositio VII, *de auctoritate reliquorum librorum V. T.*

PROPOSITIO I.

Libri N. T. vere genuini sunt.

201. Genuitatis, γνησιότης quæ etiam dicitur authenticitas [1], est proprietas libri in eo sita, ut liber vere illius auctoris sit cui adscribitur.

202. PROBATUR *propositio, tum indirecte; tum directe :* scilicet 1° argumento præscriptionis, 2° argumento impossibilitatis, 3° ex positivis authenticitatis characteribus.

203. 1° *Præscriptione.* Probari nequit auctores, quibus libri N. T. adscribuntur, esse supposititios; ergo stat præsumptio, imo spectata materia, stat certitudo pro vera authenticitate. Scilicet critica per octodecim sæcula sese in his libris exercuit, et sæpe quidem ea tantum mente ut illos suspectos redderet; attamen nihil quod eos supposititios esse probaret, proferre unquam potuit; ergo.

204. 2° *Impossibilitate.* Sed neque suppositio auctoris ulla fieri potuit. Hæc enim fieri debuisset vel vivis adhuc Apostolis, vel post eorum obitum : atqui in primo casu Apostoli sane reclamassent; in secundo vero, cum jam essent sacra volumina per orbem sparsa, totus orbis catholicus reclamasset; ergo nulla suppositio fieri potuit.

205. 3° *Ex authenticitatis characteribus.* Hi characteres alii sunt intrinseci, qui ex libris ipsis petuntur; alii extrinseci, qui petuntur ex testimoniis. Atqui adsunt characteres *intrinseci.* Etenim ii, quibus librorum N. T. elucubratio adscribitur a Christianis, perhibentur fuisse Jesu discipuli, Judæi, fere omnes rudes et indocti, viventes primo sæculo monarchiæ romanæ in Palestina aut ejus vicinia. Jam vero huic assertioni interni librorum congruunt characteres, quibus tempus, locus, natio, persona auctorum hujusmodi indicantur. Scripti enim sunt græce, lingua tunc temporis ob romanam dominationem in illis regionibus usitata, sed nulla speciali dialecto, intermixtis multis idiotismis linguæ syro-chaldaicæ, frequentibus allusionibus ad Scripturas Judæorum, ad eorumdem mores, ad politicam constitutionem, et ad geographicam regionis partitionem, illis præcise temporibus propriam; tota narratio miram spirat sim-

[1] Cf. infra Tract. *De regula fid.* cap. 1, art. 3, n. 97 seqq.

plicitatem et animi candorem, circumstantias refert, quas nemo nisi oculatus testis scire potuit ; ergo.

206. Adsunt et characteres *extrinseci* seu testimonia. Etenim libros N. T. esse authenticos asserunt, -1) *Catholici omnes*, ut Clemens Rom. (1), Ignatius (2), Polycarpus (3), Justinus (4), Irenæus (5), etc., qui ex N. T. sententias et locutiones adducunt frequenter, et aliquando etiam expresse auctores nominant. -2) *Omnes hæretici* primorum temporum, ut Ebionitæ, Cerinthiani, Marcionitæ ; quorum alii libros omnes N. T. admiserunt, alii nonnullos quidem rejecerunt ut non continentes veram Christi doctrinam ; sed ne unus quidem eorum authentiam, teste historia ecclesiastica, unquam ausus est in dubium vocare : licet id optimum fuisset medium Catholicorum argumenta effugiendi ; ergo. — 3) Ipsi etiam *gentiles* philosophi, Christianis infensissimi, Lucianus, Celsus, Porphyrius, Hierocles et Julianus Apostata, N. T. libros adducunt, ex eis contra Christianos argumentantur, nusquam eorum authentiam in dubium vocantes, imo eam aperte asserentes. Sic Julianus, prohibens edicto ne Christiani humaniores litteras docerent : *Satis ipsis fuerit*, inquit, *Lucam et Matthæum in Galilæorum cœlibus exponere* : et alibi : *Jesum illum neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthæus, neque Lucas, neque Marcus ; sed bonus ille Joannes* (6). Ergo manifesti tum interni tum externi authenticitatis characteres, N. T. libris suffragantur.

PROPOSITIO II.

Libri Novi Testamenti ad nos integri et incorrupti pervenerunt.

207. *Integritas*, si stricte loquamur, ad ipsam authenticitatem pertinet. Etenim perfecta authenticitas non tantum requirit ut liber sit auctoris cui attribuitur ; sed etiam, ut talis sit qualis ab auctore prodiit : hoc est, ut nihil interpolatus aut imminutus, sed integer et incorruptus existat. Quia tamen integritas ab authentia potest et solet distingui, ideo claritatis causa speciali propositione exhibetur.

208. PROB. Corruptio alicujus operis est factum historicum, quod historice probari deberet ; atqui non modo librorum N. T. corruptio non probatur, sed potius constat de contrario. Constat enim non tantum *non fuisse factam corruptionem*, sed etiam *fieri non potuisse*.

209. 1° *Fieri non potuit*, habita ratione tum temporis, tum personarum. *Ratione temporis* : nam si corruptio supponatur,

[1] In *Epist. ad Corinth.* — [2] In *Epist. ad Philadelph. Smyrn.* etc. — [3] In *Ep. ad Philipp.* — [4] In *Apolog.* — [5] *Advers. hæres.*, I. 3, cap. 1. — [6] Cf. *La Bible vengée*, tom. 5. — Bergier, *De la vraie religion*, tom. 8. — *La Relig. prouvée par les faits*, tom. 2. — *Certitude des preuves du christianisme.*

hæc vel tempore Apostolorum contigisset, vel statim post Apostolorum obitum, vel sequentibus sæculis ; atqui nihil horum dici potest, ux ex dictis in præcedenti positione patet ; ergo. — *Ratione personarum* non potuerunt sacra volumina vitiari : hoc enim fieri debuisset vel a gentilibus, vel a Christianis. At vero quotidianus et publicus illorum librorum usus, ingens exemplarium per totum orbem diffusorum multitudo, et perpetua Catholicos inter et hæreticos dissidia, omnem substantialem corruptionem impossibilem reddiderunt. Imo, historice constat Tatianum, Marcionem, Artemonem, aliosque hæreticos qui Scripturarum integritatem violare ausi sunt, statim fuisse detectos et gravissime exceptos [1].

210. 2° *Revera facta non fuit* corruptela : etenim -1) textus hodiernus idem est ac ille, qui in commentariis Patrum aliisque variorum sæculorum scriptis invenitur ; -2) congruit cum manuscriptis antiquissimis, ut Vaticano, Alexandrino et Cantabrigiensi ; -2) congruit cum versionibus tum antiquissimis, tum in variis regionibus elucubratis. — Merito itaque incredulis et hæreticis sui temporis respondit olim Augustinus : *Nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas ; cum id nullis in tam recenti memoria exstantibus exemplaribus possent convincere* [2].

PROPOSITIO III.

Auctores N. T. sunt fide dignissimi.

211. PROB. Auctoris cujuscumque fides ex quatuor æstimari potest : 1° ex ipsa auctoris persona, 2° ex eorum quæ refert natura, 3° ex modo referendi, 4° ex fide quam revera fecit omni tempore ; atqui hæc, simul juncta, auctoribus N. T. fidem conciliant qua major dari nequit : ergo sunt fide dignissimi.

212. 1° Si personas spectemus, auctores sunt tales ut nec decepti sint, nec decipere voluerint, nec decipere potuissent si voluissent : ipsi enim, quæ suis oculis viderunt, narrant coram cœvis, qui contra falsitatem reclamassent ; moriuntur pro attestanda eorum quæ referunt veritate.

213. 2° Res quæ referuntur tales sunt, ut, nisi veræ essent, fingi non potuissent. Quomodo enim rudes piscatores Christi personam atque animum confinxissent, puriorem, sublimiorem, diviniorem omnium philosophorum animis [3] ? Quomodo mirabilem illam morum doctrinam invenissent, etc. ?

[1] Tertull. *Præscript.* 36. — [2] August. *De utilitate credendi*, cap. 3. — [3] Egregie hujusce personæ seu *characteris* sublimitatem ostendit ipse impius J.J. Rousseau, nec non generatim styli scripturistici divinitatem, in *Emilio*, t. 3. Vid. apud Feller, *Catéch. phil.*, t. 2 n. 244.

214. 3° Tota narrandi ratio mirum spirat candorem et simplicitatem : eadem facta vario quidem modo, at nunquam contradictorio referuntur, et mirabilis obtinet inter diversos auctores concordia.

215. 4° Auctores illi fidem tantam fecerunt, ut per volumina sua judaismum et paganismum subverterint, ac novam induxerint religionem omnibus cupiditatibus adversantem; ergo.

PROPOSITIO IV.

Exstitit revera Moyses, dux et legislator populi Israelitici, isque verus est auctor Pentateuchi.

216. PROB. I PARS. *Exstitit Moyses*, si factum hoc historicum est, constanti et perpetua traditione nixum, nunquam negatum, sed innumeris testimoniis, tum domesticorum tum externorum confirmatum : atqui tale est factum existentiæ Moysis, gentis Israeliticæ ducis. Etenim præter Judæos hodiernos et veteres, præter gentiles, Tacitum, Dionem Cassium, Juvenalem, etc. ; consentientes habemus Celsum, Porphyrium, Julianum, aliosque religionis christianæ impugnatores, qui, rei evidentia convicti, negare ausi non sunt, quod tamen negare ipsorum intererat ; ergo.

217. II PARS. *Moyses est auctor Pentateuchi :* nam 1° argumenta quæ probant existentiam ejus, eadem pro Pentateucho ipsi adscribendo militant.

218. 2° Si reapse a Moyse exarata non esset constitutio civilis et religiosa, quæ in Pentateucho continetur, nunquam fieri potuisset, ut eadem populo judaico tanquam a Moyse conscripta obtruderetur.

219. 3° Nullus alius auctor potest assignari. Assignarunt quidem increduli aliquando Esdram loco Moysis : sed hanc hypothesim absurdam esse demonstrant Samaritani, qui Pentateuchum tanquam a Moyse scriptum recipiunt. Samaritani scilicet, a tempore Roboami [anno ante Christ. 960], per schisma 10 tribuum separati a Judæis : ac dein tempore Salmanasar [700] mixti gentilibus, perpetuo odio adversus Judæos perstiterunt ; quomodo ergo ab Esdra, post captivitatem Babylonicam [563], Pentateuchum, eumque solum rejectis reliquis libris, recepissent, nisi pro certo habuissent eum a Moyse esse conscriptum?

PROPOSITIO V.

Pentateuchus integer et incorruptus ad nos pervenit.

220. PROB. Propositio vera est, si corruptio nec facta fuit nec fieri potuit. Atqui 1° *non fuit facta :* quod testatur traditio Judæorum publica, constans. — 2° *Non potuit fieri* : -1) habita ratione connexionis cum reliquis libris V. et N. T. ; -2) ratione corruptorum, qui fuissent Judæi ipsi, vel eorum adversarii

Christiani, gentiles, aut Samaritani : atqui nulla hujusmodi hypothesis propugnari potest. -3) Ratione temporis, quo nempe supponi deberet corruptionem accidisse. Etenim vel ea accidisset ante vel post schisma 10 tribuum; atqui neutrum dici potest; ergo.

221. OBJIC. 1° Libro IV Reg. Cap. XXII, et II Paralip. XXXVI, legitur, Helciam sacerdotem volumen legis reperisse in domo Domini, et ad illius lectionem regem Josiam, pontificem et universum populum obstupuisse, tanquam de re nova et inaudita. Ergo nullum aliud tunc temporis existebat legis exemplar : ergo et facillime corrumpi potuit volumen illud, quod unicum supererat. — R. *Neg. suppos. et conseq.* Volumen illud quod ad regem delatum est, ipsum Moysis autographum erat, et probabilius Deuteronomium, quod ad latus arcæ fuerat a Moyse positum. Josias autem scidit vestimenta, quia adspectu tam venerandi autographi, et legis comminationibus quas attentiore mente audierat, fuit permotus vehementer [1].

222. *Obj.* 2° Grassante Antiochi persecutione, codices sacri omnes flammis consumpti sunt, ex I Mach. I, 59. — R. *Neg. antec.* In objecto loco narratur tantum, combusta fuisse volumina quæ inveniri potuerunt. Sed nequaquam omnia quæ exstabant inventa sunt : quod et colligitur ex I Mach. I, 46, et XII, 9 ; et ex eo quod tunc temporis variis in regionibus dispersi erant Judæi, ac jam exstabat LXX interpretum Versio. Hæc enim versio facta fuit sub Ptolem. Philadelpho [an. 277 ante Christ.], Machabæorum vero persecutio sub Antiocho Epiphane contigit [167 ante Christ.].

223. *Obj.* 3° Triplex habetur historiæ mosaicæ chronologia, alia Hebræorum, alia Samaritanorum, alia LXX interpretum, quæ omnes insigniter inter se differunt ; ergo corruptus fuit Pentateuchus. — R. *Neg. conseq.* Fides non denegatur factis historicis ab Herodoto et Xenophonte relatis, quamvis in eorum chronologiis reperiatur discrepantia. — Chronologiæ scripturisticæ diversitas potest cæteroquin explicari, cum facile accidere potuerit in exemplaribus toties describendis numerorum mutatio. — Ex præfatis chronologiis alia aliis præplacet, nec ulla tanquam certa Ecclesiæ auctoritate definita est. Hodie quidem passim lectio LXX interpretum præfertur [2], licet in Occidentali Ecclesia a tempore Ven. Bedæ vulgo fuerit admissa supputatio Hebræorum, quacum nostra Vulgata concordat. Hujus præcipuæ epochæ sunt sequentes :

Creatio hominis	4004	ante Christum	natum.
Diluvium	2348	»	»
Vocatio Abrahæ	1921	»	»
Exitus ex Ægypto	1491	»	»

1 Legantur loca in obj. indicata — 2 Cf. Schouppe, *Cursus Scripturæ sacræ*, tom. 1, part. 2, sect. 1, *De chronologia Mosaica.*

224. His utilitatis causa videntur addenda :

Dedicatio templi Salomonis.	1000	ante	Christum	natum.
Schisma 10 trib. sub Roboamo.	962	»	»	»
Destructum regnum Israël a Salmanasar	718	»	»	»
Principium captivitatis Babyl. sub Nabuch. II . .	606	»	»	»
Edictum Cyri et reditus e captivitate	536	»	»	»
Ingressus Alexandri in Jerusalem	333	»	»	»
Versio LXX interpr. sub Ptol. Philad.	277	»	»	»
Bellum Machabæor. sub Antiocho Epiph.	167	»	»	»
Joannes Hircanus, finis V. T.	136	»	»	»
Jerusalem capta a Pompeio.	62	»	»	»
Herodes Idumæus.	37	»	»	»

PROPOSITIO VI.

Vera sunt quæ Moyses in Pentateucho scripsit.

225. PROB. Verax est ille testis vel historiographus, qui 1° decipi non potuit, 2° decipere non voluit, 3° decipere non potuisset etiamsi voluisset; atqui talis est Moyses auctor Pentateuchi.

226. 1° *Decipi non potuit*, quia scribit ea quæ vel ipse fecit, vel ipse vidit, vel certissima traditione didicit.

227. 2° *Decipere non voluit*, quia viri indoles, facta quæ narrat et modus narrandi, nullam fraudis suspicionem patiuntur.

228. 3° *Decipere non potuisset*, quia populus Israel adversus fictiones, quibus multa vituperia et gravissima onera sibi infligebantur, certissime reclamasset.

229. OBJIC. Moyses tantum 4000 annorum ante Christum natum, mundi origini assignat ; atqui hæc assertio contraria est geologiæ et annalibus gentium ; ergo Moyses non est verax. — R. *Disting. major.* Moyses assignat 4000 annorum origini *mundi*, hoc est, humani generis, *conc.* ; origini *mundi*, hoc est, materiæ creandæ, terræ nostræ formandæ atque ornandæ, *neg.* Moyses enim non determinat tempora quæ hominis creationem præcesserunt.— Ad *min. neg.* Etenim quod attinet ad *originem humani generis*, hæc nullo facto aut monumento serio demonstrari potest ultra 6000 abhinc annorum ascendere. Quæ Berosus et Diodorus Siculus narrant de antiquitate Chaldæorum, ea quæ perhibentur in traditionibus Sinensium, etc., omni fide historica destituta sunt. E contra, quæcumque ducuntur ex historia, ex artibus et monumentis antiquis indicia ac testimonia, ea in comprobanda recenti hominum origine, et in referenda eadem ad epocham a Mosaica epocha non longe distantem, concordant. — *Quod spectat originem terræ* nostræ habitabilis, ut concilietur Mosaica narratio cum geologia, triplici modo responderi potest: 1° *negative*, sumendo dies creationis pro spatiis temporis a Moyse non defi-

nitis ; qua interpretatione terræ formatio ad tempus removeri potest longissimum. 2° *Distinguendo* sex dies a spatio, quod duobus prioribus versiculis Genes. memoratur, quodque longissime extendi potest. 3° *Positive*, componendo narrationem mosaicam cum factis a geologia assertis, quæ quidem vera facta sint et non meræ hypotheses [1].

PROPOSITIO VII.

Præter Pentateuchum, reliqui quoque libri V. T. sunt authentici, incorrupti et fide dignissimi.

230. PROB. 1° *Universim*, seu in globo, auctoritate Novi Testamenti. Novum Testamentum plena gaudere auctoritate supra ostendimus ; atqui in eo approbatur et commendatur Scriptura V.T.; ergo hæc vere commendanda et approbanda sine controversia censebatur, quo tempore N. T. conscriptum est ; ergo tunc temporis habebatur et erat genuina, incorrupta et fide dignissima Joan. V, 39 : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere.* — II Tim. III, 16 : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.* Cf. Luc. XXIV, 27, 44.

231. 2° *Per partes* -1) *Genuinus* est liber qui ab eo auctore scriptus est, cui attribuitur, atque eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur ; atqui tales sunt omnes libri V. T. — *Prob. min.* ex notis tum intrinsecis tum extrinsecis. Nam ex una parte, facta quæ narrantur, minutarum circumstantiarum descriptio, stylus, etc.; ex altera parte, traditio constans, unanimis, publica Judæorum et Christianorum, intima omnium librorum connexio, etc., ostendunt manifeste libros illos pertinere ad auctores et epochas quibus adscribuntur ; ergo.

232. -2) *Sunt incorrupti.* Corruptio fieri non potuit, sive ante Christi adventum, sive post illum supponatur facta. Ante Christum fieri non potuit, tum propter religionem et custodiam sacram Judæorum, tum propter multitudinem exemplarium, sive lingua primigenia, sive græca descriptorum. — Fieri non potuit post Christum, cum exemplaria eadem in manibus versarentur Judæorum simul et Christianorum ; ergo.

233. -3) *Veraces :* adsunt enim omnes veracitatis characteres expositi supra in propositione VI [2].

[1] Cf. Perrone, *De Deo Creatore.* — Pianciani, *in historiam creationis mosaicam commentatio.* — Quo longius Geologia progreditur, eo melius convenientiam monumentorum subterraneorum cum mosaica cosmogonia deprehendit. Cl. Dumont, qui Leodii obiit 1857, sub fine vitæ amicis suis dicebat : « C'est une chose étonnante, « qu'après tous les progrès accomplis par la géologie, nous devons reconnaître « que Moïse, à une époque si reculée, *a parlé exactement sur tout*, entre autres sur « les diverses couches, et la succession de la création des êtres. » (*Journal de Bruxelles*, 4 mars 1857.) — [2] Ad solv. difficultat. cf. Guénée, *Lettres de quelques Juifs à M. de Voltaire.*

ARTICULUS II.

DE DIVINITATE REVELATIONIS MOSAICÆ.

234. Revelatio quæ dicitur *mosaica*, quæque continetur libris V. T. distinguitur duplex : una *primæva*, quæ et antemosaica nuncupatur, altera *mosaica* stricte dicta. — *Primæva* ea est, quæ facta fuit antiquis patriarchis, ab Adamo usque ad Moysen. — *Mosaica stricte dicta* ea est, quæ facta fuit Moysi, et post eum deinceps reliquis prophetis.

235. Revelatio hæc mosaica vocari solet *Lex* mosaica, a parte sua præcipua, quæ est lex per Moysen populo Israel divinitus tradita. In hac autem lege distingui possunt duo, *dogmata* scilicet et *præcepta*. — Præcepta porro dividuntur in *moralia*, *ritualia* et *politica*. — *Moralia* continentur Decalogo, aliisque legis naturalis declarationibus. — *Ritualia*, vel cæremonialia, ea sunt, quibus sacrificia, sacramenta, festivitates aliæque observantiæ religiosæ ordinantur. — *Politica* et judicialia ea sunt, quæ ipsam Judæorum reipublicæ formam constituunt [1].

236. Jam vero circa hanc V. T. revelationem, duæ quæstiones sunt solvendæ : 1° utrum fuerit vere *divina*, quod ad hunc articulum pertinet ; 2° utrum fuerit *pædagogus* ad *Christum*, quod in sequenti articulo probabitur.

237. Ut autem demonstratio divinitatis plena sit, exhibenda ea est tum negative tum positive. *Negative*, contra Deistas, ostendendo revelationem illam nihil quod Deum dedeceat continere, imo divina sapientia esse dignissimam, tempori ac personis accommodatam ; quod præcipue efficietur argumentis intrinsecis. — *Positive*, contra omnes, ostendendo eam vere a Deo manasse, Deique sigillo esse obsignatam ; quod efficietur ex miraculis et prophetiis.

Propositio I, *de existentia veræ revelationis primævæ.*
Propositio II, *de legis mosaicæ sanctitate.*
Propositio III, *de charactere divinitatis ejus intrinseco.*
Propositio IV, *de characteribus divinitatis ejus extrinsecis.*

PROPOSITIO

Humanum genus nunquam sine revelatione fuit, seu vera facta fuit revelatio primæva.

238. PROB. Hujusmodi revelatio admitti debet, si 1° eam existere suadet ratio, 2° probat historia, 3° confirmat traditio gentium ; atqui hæc tria constant.

239. 1° *Suadet ratio :* quia tum divinæ sapientiæ ac bonitati, tum humanæ naturæ ac indigentiæ omnino consentaneum

[1] Cf. Becanus, *Analogia N. et V. T.*

fuisse apparet, ut hæc revelatio nascenti humano generi concederetur.

240. 2° *Probat historia* Veteris Testamenti, qua exhibetur nobis Deus loquens ad protoparentes, ad Noë, Abraham, aliosque patriarchas. Puncta autem hujus revelationis præcipua sunt sequentia : -1) Deum esse unum, Creatorem cœli et terræ ; -2) hominem ad imaginem Dei conditum esse, constitutum super creaturas terræ, subditum autem Deo Domino suo ; -3) hominem peccasse, excidisse felicitate, sed ad pœnitentiam reservatum esse ; -4) mittendum a Deo Redemptorem hominis peccatoris ; -5) matrimonium esse divinitus institutum, Sabbatum esse a Deo sanctificatum, Sacrificia Deo esse offerenda [1].

241. 3° *Confirmat persuasio et traditio* omnium gentium. Etenim -1) apud omnes fere populos traditur Deus inter homines versatus esse ; -2) invenitur summa reverentia erga majorum et antiquorum doctrinas. Hæc habet Plato in Timæo : Cum Sapientes Græci in antiquis templis Memphis et Sais veritatem exquirerent, responsum a sacerdotibus tulerunt : *O Græci ! Vos infantes estis : nec sunt in Græcia senes et presbyteri. Mens vestra, semper juvenis, non fuit enutrita antiquis opinionibus, per majorum traditionem transmissis : non habetis scientiam tempore venerandam* [2].— Cicero, de nat. deor. c. 4 ; n. 9 : *Mihi unum satis erat* (ait Cotta ad Balbum), *ita nobis majores nostros tradidisse; sed tu auctoritates contemnis, ratione pugnas* [3]. — -3) Quædam dogmata per orbem fuere recepta unanimiter : ut, sacrificia esse offerenda, hominem a Deo conditum fuisse, in felicitate primum constitutum, et ex ea per peccatum excidisse, etc. [4]. — -4) Religionis puritas, quanto ascenditur in historia antiquius, tanto sincerior esse deprehenditur.

PROPOSITIO II.

Revelatio mosaica, tum in dogmatibus, tum in præceptis moralibus, tum in cæremoniis, tum in politia, sancta est et sapientissimo Deo dignissima

242. PROB. 1° Lex mosaica Deo sapientissimo digna est *quatenus est dogmatica :* nam omnia doctrinæ capita complectitur, quæ ab initio Patribus fuerunt revelata, eaque clariore in luce ponit ; atqui hæc sancta sunt et piissima ; ergo Deo digna.

243. 2° Quatenus *moralis*, naturalem legem promulgat, et præcepta morum tradit eximia et purissima ; ergo Deo digna.

[1] Cfr. Gen. I, II, III, IV. — [2] Plat. opp. t. 9, p. 290 et 291. — [3] Cf. Auguste Nicolas, *Etudes philosophiques sur le christianisme*, t. I, liv. I, chap. 5. — [4] Ibid. liv. II, chap. 4.

244. 3° Quatenus *cæremonialis*, et 4° quatenus *politica*, institutiones continet singulariter dispositas, ut munimentum essent veræ religionis ac legis naturalis populo Judaico ; atqui hujusmodi opus sanctum est, Deique sapientia dignissimum.— Legis mosaicæ præcipuum finem fuisse conservationem veræ religionis in mundo, patet ex pacto Abrahamico, quod in fœdere mosaico partim completum est, legiturque hisce verbis expressum, Gen. XVII, 7 et 8 : *Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno : ut sim Deus tuus et seminis tui post te.—Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaam in possessionem æternam, eroque Deus eorum* [1].

PROPOSITIO III.

Lex mosaica, sive consideretur in se, sive ex parte legislatoris, divinam originem præfert.

245. PROB. I PARS. *Considerata in se*, 1° lex hujusmodi non potuit præ singularitate ab hominibus excogitari, nec præ severitate imponi ; ergo non hominibus sed Deo ejus origo tribuenda est.

246. 2° Si humana esset, non potuisset illico cum omnibus suis partibus creari, et ita creari, ut a principio perfecta et immutabilis constitueretur ; ergo non humana sed divina.

247. 3° Nitebatur in providentia extraordinaria Dei, quæ si defuisset, tota lex corruisset. Scilicet in eo nitebatur, ut prophetiæ fere continuæ implerentur ; ut conservaretur perennis tribus Judæ et stirps regia David ; ut populus si legem servasset protegeretur, si violasset puniretur effectibus temporalibus, etc. ; atqui extraordinaria hæc providentia, quæ nunquam defecit, est character divinitatis ; ergo.

248. II PARS. *Considerata in legislatore* eumdem characterem præfert. Nam Moyses talem se exhibet, ut Dei nuntius manifeste appareat. Scilicet aperte testatur se Dei nomine loqui ; atqui huic ejus testimonio fides est adhibenda ; ergo. *Prob. min.* Moyses apparet vir sapientissimus, intelligentia et probitate conspicuus, deceptionis patiendæ simul et inferendæ incapax ; cum populo agens ad credendum tardo, ad murmurandum et rebellandum promptissimo ; huic autem populo testatur, se non suam sed Dei legem promulgare ; ergo lex illa vere divina est, cum secus non fuisset a tali viro tali populo tanquam divina proposita.

[1] Ad object. vid. Guénée, *Lettres de quelques Juifs*. — [2] Cf Exod. IV, seqq.

PROPOSITIO IV.

Lex mosaica veris fuit confirmata miraculis et prophetiis, ac proin manifeste divina est.

249. PROB. Propositio vera est, et cum sua conclusione admittenda, si vera miracula, veraque vaticinia fuerunt in confirmationem legis Moysis edita ; atqui ita se res habet.

250. I PARS. *Miracula* multa patrata, et quidem in confirmationem legis mosaicæ, narrantur in Pentateucho et sequentibus libris ; atqui facta quæ in his libris narrantur sunt vera : ergo. Etenim miracula sunt plagæ Ægypti, et signa quibus victi Pharaonis magi exclamare coguntur : *Digitus Dei est hic.* Miracula sunt transitus maris rubri, Pharaonis cum suo exercitu submersio, Lex in monte Sinai data inter turbines et tonitrua, hiatus terræ in ruinam Core, Dathan et Abiron, nubes per diem in modum tentorii, et per noctem in modum ignis, manna in deserto, sol sistens jubente Josue, etc. ; miraculosa quoque est singularis illa Dei in Israelitas providentia, cujus ope prodigia, prædictiones, castigationes in pœnam infractæ legis, conservatio cultus et legis inter obstacula et discrimina maxima, per totam israeliticæ gentis existentiam continuantur. — Miracula autem hæc omnia constanti regula in confirmationem missionis et legis mosaicæ fiunt, vel directe nempe vel indirecte : *directe*, ut quæ narrantur in Exodo, cap. IV et XIX : *indirecte*, ut quæ intuitu illius legis, pro ejus scilicet cultoribus a Deo patrantur. Ergo vera miracula, etc.[1].

251 II PARS. *Vera quoque vaticinia* sunt: 1° alia quæ eventus annuntiant quorum Moyses minister fuit ; ut illud quod Abrahamo factum est de servitute in Ægypto, et hinc reversione in terram Promissionis, Gen. XV. — 2° Alia quæ ab ipso Moyse edita eventu implentur, ut de transitu maris rubri, de manna a cœlo danda. Omnium vero celeberrimum est illud vaticinium de altero Legislatore, quod Deut. XVIII legitur : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus.* — 3° Alia quæ ad ipsius legis mosaicæ substantiam pertinent : ut Levit. XXV, 20 et 21, ubi sabbatismo anni septimi annectitur insolita ubertas anni sexti ; et Exod. XXXIV, 24, ubi præcepto de triplici congregatione populi, annectitur immunitas ab hostium incursu. Atqui hæc sunt vera vaticinia in confirmationem legis mosaicæ edita ; ergo veris vaticiniis sicut veris miraculis mosaica revelatio confirmata est ; ergo signa præfert indubia divinitatis, ut supra de miraculis et vaticiniis probatum est ; ergo mosaica revelatio est manifeste divina.

1 Cf. Liebermann, tom. 1, *Demonstrat. christ.*, part. 2, cap. 2, art. 2, § 2 — Bouvier, *De vera relig.* Item Theolog. Wirceburg. *De relig.* Dissertat. 6.

ARTICULUS III.

DE RELATIONE REVELATIONIS MOSAICÆ CUM RELIGIONE CHRISTIANA.

252. Hactenus divinitatem revelationis mosaicæ demonstravimus : hic autem sistere gradum nondum licet; quandoquidem non mosaicæ sed christianæ Religionis divinitatem probare propositum est. Quare ostendendum, quomodo in divinitate revelationis mosaicæ implicite contineatur divinitas Religionis christianæ. Continetur scilicet in relatione unius ad alteram. Etenim vetus revelatio ad novam refertur, Lex ad Evangelium, Moyses ad Christum : *Finis Legis Christus, ad justitiam omni credenti* [1]; — *Lex pædagogus noster fuit in Christo* [2]; — *Omnia in figura contingebant illis* [3]; quod verissime exprimit Augustinus : *Lex*, ait, *a Christo gravida erat* [4]; ita utique gravida, ut quo magis tempus appropinquaret, eo quoque manifestius venturum Christum annuntiaret. A principio mundi apparet quasi claritas lunæ, dein succedit veluti gradatim rutilans aurora, donec tandem in plenitudine temporum erumpat lux oriens ex alto. — Cum igitur vetus revelatio ad novam referatur, eamque adumbret, annuntiet et præparet ; evidens est, hanc novam revelationem, ita divinitus præparatam atque commendatam, et ipsam fore divinam At vero illa relatio judaismi cum christianismo, in qua hujusce præparatio consistit, jam demonstranda.

Propositio I, *de semine christianismi contento in revelatione primæva.*
Propositio II, *de successione christianismi contenta in revelatione mosaica.*
Propositio III, *de termino legis mosaicæ qui Christus est.*

PROPOSITIO I.

Revelatio primæva continebat christianismi semina.

253. PROB. Propositio vera est, si revelatio primæva substantialiter et virtualiter eadem est ac christiana ; atqui talis est : quod patet ex dictis in superioris articuli prop. prima, et ex eo præsertim, quod revelatio primæva promissionem futuri Redemptoris continebat.

PROPOSITIO II.

Lex mosaica continebat futuram christianismi successionem.

254. PROB. Propositio vera est, si lex mosaica continebat futuram successionem alterius religionis, et si hæc altera est religio christiana ; atqui hæc duo ita se habere comperiuntur.

255. 1° Lex mosaica futuram continebat successionem alterius religionis, qua vetus illa lex excipienda erat, si -1) novum

[1] Rom. X, 5. — [2] Gal. III, 24. — [3] I Cor. X. 11. Cf. II Cor. V. — [4] Serm. 20, *de Sanctis.*

Legislatorem ac novum fœdus promittebat, -2) si novum sacrificium ac sacerdotium annuntiabat, -3) si Judæorum gentem rejiciendam a Deo docebat,et-4) veram religionem extendendam ad omnes gentes ; atqui ita est. — Nam -1) Deut. XVIII, 15. Moyses ad populum ait : PROPHETAM *de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus ; ipsum audies.* — Jerem. XXXI, 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus,et feriam domui Israël et domui Judæ fœdus novum ; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum* [1].

256 -2) Isai. LXVI, 18, seqq. *Venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis : et venient et videbunt gloriam meam... Et assumam ex eis in sacerdotes, et levitas, dicit Dominus* [2].

257.-3) Daniel IX, 26 : *Occidetur* CHRISTUS : *et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo : et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.*

258. -4) Veram religionem docebat extendendam ad omnes gentes, ut dicitur Osee II, 24 : *Dicam non populo meo : populus meus es tu ; ipse dicet : Deus meus es tu* [2]. Atqui hoc continet successionem novæ religionis futuram ; nam annuntiat religionem natura diversam a mosaica ; cum hæc ad solos Jacobi posteros restricta esset, et soli terræ Chanaan accommodata, nova autem quæ annuntiatur sit ad exteras gentes, imo ad universum orbem extendenda.

259. 2° Jam vero hæc religio, divinitus mosaicæ successura, est religio *Christiana*. Successio enim illa locum jam habere debuit, cum religio mosaica dudum de sede sua, cui affixa erat, dissipata sit : et alia nulla assignari possit quæ illi successerit, nisi christiana. Hæc namque ex Judaismo effloruit, sicut futurum ferebat fides populi Israel et vaticinia prophetarum. Isai. XI : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* [4]*... Radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Qui idem in Ps. II, ita loquens inducitur : *Ego constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* — Ergo præceptum, lex Domini seu religio, ex *Sion* [5] se extendere debuit ad omnes gentes ; hæc au-

[1] Cf. Hebr. VIII, 13 ; et Jerem. III. 15,16. — [2] Cf. Malach. I ; Daniel IX, 26 ; Amos. V. 21. — [3] Cf. Malach. I ; Soph. III.

[4] *Virgam et florem de radice Jesse ipsum Dominum Judæi interpretantur; quod scilicet in virga regnantis potentia,in flore pulchritudo monstretur.Nos autem virgam... Mariam Virg. intelligamus, et florem Deum Salvatorem.* Hieron. in cap. XI Isaïæ. — [5] Cf. Isai. II, 3.

tem lex non est lex mosaica, quæ ipsa sua constitutione nationalis erat, id est, ad gentem unam coarctabatur ; ergo est quædam catholica religio, orta ex Jerusalem ; ergo est christianismus.

260. Sed et ipse christianismus positive, tum in se, tum in auctore suo Christo, descriptus et determinatus fuit ut Judaismo successurus, quod ex infra dicendis patebit.

PROPOSITIO III.

Lex mosaica erat divina introductio ad christianismum.

261. Differt propositio hæc a præcedenti eo, quod præcedens tantum statuit, christianismum per legem mosaicam fuisse annuntiatum tanquam legitime et divinitus successurum judaismo ; hæc autem asserit, per eamdem legem vias ad christianismum fuisse divinitus præparatas. Qua ex præparatione sequitur quoque christianismum esse divinum. Si enim Deus introductionem disponit, vel, quod idem est, homines inducit ad religionem aliquam, eo ipso hanc religionem auctoritate sua et sanctione divina communit. Atqui vere Deus disposuit V. T. in viam ad christianismum : quod in thesi positum, et jam probandum est.

262. PROB. Lex mosaica seu V. T. fuit divina ad christianismum introductio, si Deus Christum ejusque Ecclesiam in V. T. promisit, figuravit, descripsit, et determinato tempore venturum prænuntiavit : hæc enim vera introductionem constituunt, quippe quæ eo tendant, ut christianismus exspectetur, agnoscatur et recipiatur ; atqui Christum ejusque Ecclesiam Deus vere in V. T. promisit, figuravit, descripsit, et determinato tempore venturum prænuntiavit ; ergo. — Tria priora alibi ostendentur [2] ; hoc loco duntaxat quartum demonstrabimus, legem scilicet mosaicam pædagogum ad Christum fuisse, prænuntiato tempore adventus ejus.

263. Tria præcipua sunt in V. T. vaticinia, quibus determinatur tempus adventus Messiæ et regni ejus ; atqui ille Messias et regnum ejus est Christus ejusque religio, seu christianismus ; ergo in V. T. Deus determinato tempore christianismum prænuntiavit.

264. I Probatur *major* argumenti propositi. Vaticinium primum est Jacob, alterum Danielis, tertium Aggæi et Malachiæ.

265. 1° Gen. XLIX, 8 et seqq., Patriarcha Jacob, cum filiis benediceret, his verbis Judam alloquitur : *Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui... Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.*—Atqui in hac prophetia agitur de Messia, et tempus ejus determinatur ; ergo. —

1 Vide infra cap. IV ; et tract. *De Incarn.* cap. 1.

1) Agitur de Messia, quod patet ex voce hebraica SHILOH, *missus vel mittendus*, de quo Moyses dicebat : *Mitte quem missurus es* [1] ; et discipuli Joannis ad Jesum : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus* [2] *?* — -2) Tempus Messiæ determinatur his verbis : *Non auferetur sceptrum de Juda donec veniat*. Quid intelligendum nomine *Juda*, et nomine *sceptri* (SHEBHET), disputant quidem catholici interpretes ; sed omnes in eo consentiunt, ut tempus venturi Messiæ determinatum esse dicant. Nobis vehementer probatur sententia Petavii, qui censet *sceptri* nomine supremam potestatem a Jacob significari, quæ in tribu Juda jugiter permansura esset usque ad Messiæ adventum. Vox autem *Juda*, cum interpretibus non paucis, atque cum SS. Patribus variis, de tota judaica gente intelligi potest : et sic minuuntur difficultates ; vel tantum de tribu Juda : et hic sensus naturalis videtur et obvius verborum Jacob, neque ulla objectione everti potest. Etenim prædictiones Jacob respiciebant facta domestica, ac propterea relativa erant, seu dicta comparate ad cæterarum tribuum eventa.

266. Jam vero si respiciatur ad subsecuta facta, hæc revera tribus Juda ab aliis in eo differt, quod nunquam dissoluta fuit, sed unum semper, ut ita dicam, corpus constituit. Et licet diversas vices, ac regiminis diversas formas subierit, diversosque duces ac principes nacta sit, propriis tamen usque legibus et institutis usa est, quod reliquis tribubus hac illac dispersis non obtigit.

267. Etenim potestas in tribu Juda perduravit usque ad Herodem Idumæum, quod ita ostenditur : thronum regium tenuit tribus Juda, a Davide usque ad Jechoniam, in transmigratione Babylonis. Postea per Salathiel devenit potestas, licet subordinata Persis, in manus Zorobabel, post reditum e captivitate Babylonica. Tunc autem potestas devenit ad Senatum dictum Synhedrium, constantem ex 70 viris de tribu Juda. Penes hunc erat, inquam, potestas principalis : nam Machabæi deinceps de tribu Levi, erant tantum duces militares, et summi sacerdotes, de eadem quoque tribu, potestatem tantum moralem habebant et adhortatoriam : potestas autem proprie dicta, judiciaria nempe, erat apud Sanhedrin de tribu Juda ; qui rerum status perduravit usque ad Herodem. Cujus facti hæc inter alia afferri possunt testimonia. Rabbi Moses Hadersan, in libro *Sanhedrin Hierosolymit.* sic ait : *Et scriba de femore ejus: hi sunt Sanhedrin sedentes in consistorio Gazith, ad judicandum judicia animarum ; hi nunquam de Juda auferentur quousque veniat Shiloh, qui est Messias.* — *Sanhedrin*, ait Philo [3], *ex domo David delevit Herodes, et Ananelum quem-*

[1] Exod. IV, 13. — [2] Matth. XI, 3. — [3] Lib. *De temporib.*

dam et Sanhedrin ex proselytis suffecit. Josephus idem tradit[1]: *Herodes*, inquit, *regnum adeptus, omnes illos judices sustulit et regem, scilicet Hircanum, de Assamonæorum gente.*

Ergo vaticinio Jacobæo tempus Messiæ determinatum fuit.

268. 2° Alterum est vaticinium Danielis IV, 24 et seqq. Gabriel archangelus ad prophetam de tempore quo Messias venturus esset, locutus est his verbis : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte : ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt ; et rursum ædificabitur platea et muri in angustia temporum ; et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo ; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium : et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

269. Atqui hoc vatinicio -1) manifeste agitur de Messia, -2) determinatur tempus adventus ejus ad 70 hebdomades, seu 490 annos : annorum enim sunt hebdomades, juxta morem Judæorum [2]. — 70 autem hebdomades dividi videntur in tres epochas : prima complectitur 7 hebdomades, ab edicto regis Persarum pro Judæis usque ad reædificationem Jerusalem ; altera, hebdomades 62, usque ad prædicationem Christi ; tertia ultimam, in qua complenda sunt omnia. — Difficultas est in harum hebdomadum initio determinando. Initium enim indicatur *ab exitu sermonis*, quod esse videtur ab edicto Persarum : atqui fuere tria edicta regum Persarum, quibus permittebatur restitutio Jerusalem : 1[um] Cyri, 2[um] Darii Hystaspis, ad continuandam templi ædificationem, quæ fuerat interrupta; 3[um] Artaxerxis Longimani, datum Nehemiæ, quo permittebatur ut muri Jerusalem iterum ædificarentur. — De quonam ex edictis hujusmodi textus prophetiæ intelligendus sit, incertum quidem est [3] ; at vero hæc incertitudo respectu nostrum nequaquam obstat, ut patet, quominus re ipsa tempus Messiæ ad 490 annos fuerit determinatum.

Ergo vaticinio Danielis tempus Messiæ determinatum fuit.

[1] *Antiquit.* Judaic. l. 13, c. 15. — [2] Cf. Levit. XXV, 8.
[3] Cf. Dissert. de hac quæst. in Bibl. Avenion., t. 2, p. 110.

270. 3° Tertium vaticinium est Aggæi et Malachiæ, qui templi secundi, post captivitatem nempe ædificati, majorem fore gloriam annuntiarunt quam primi ; propterea quod in eo appariturus esset Messias. Agg. II : *Hæc dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam. Et movebo omnes gentes :* ET VENIET DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS; *et implebo domum istam gloria dicit Dominus exercituum... et in loco isto dabo pacem dicit Dominus exercituum.* — Malach. III, ait Dominus : *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

271. Atqui hæc vaticinia de Messia agere ejusque tempus determinare, facile consideranti patebit [1].

Ergo tres citatæ prophetiæ determinarunt in V. T. tempus Messiæ venturi, simulque regni ejus quod conditurus veniebat.

272. II. Probanda hic esset *minor* argumenti supra propositi, Messiam nempe et regnum ejus esse vere Jesum Christum et christianismum ; verum hoc in sequenti capite fusius efficiendum est. Quare hic interim dixisse sufficiat, 1° tempus per citata vaticinia diversimode designatum, in eamdem epocham incidere, nempe, quando Judaica respublica interiit, simulque christianismus exordium sumpsit ; — 2° nullum aliud esse regnum Dei, quod tempori illi respondeat, præter christianismum. Ergo in prophetiis veteris Legis Deus determinavit tempus christianismi, ejusque vias præparavit. Quod erat demonstrandum.

Directe autem contra Judæos aliter concludi potest, hac ratione : Judæis fatentibus tria præfata vaticinia spatium determinant, intra quod Messias venturus est ; atqui spatium illud jam diu est elapsum ; ergo jam diu Messias venit, et frustra adhuc a Judæis exspectatur : nec alius est quam Jesus Nazarenus, ut sequenti capite dictinctius demonstrabitur.

1 Cf. Wirceburg. Theol. *De Verbo incarn.* dissert. I. Item Huet. *Demonstrat. evang.* propos. 7, c. 7, 20, 28, 30 ; prop. 9, cap. 4 et 8. — Item Gotti, *Veritas religionis*, tract. I, cap. 8.

CAPUT QUARTUM.

DE REVELATIONE CHRISTIANA.

—

273. Hactenus christianam Revelationem seu Religionem, consideravimus in V. T. divinitus præparatam ; jam existentem in propria forma eam contemplari debemus, et divinitatis signa, quibus refulget, examinare : ut demonstretur, eamdem Religionem christianam esse divinam, id est, divinitus humano generi constitutam.

274. Hæc demonstratio duplici modo effici potest, indirecte et directe. 1° *Indirecte*, per testimonia extrinseca, quæ scilicet de christianismo perhibent Scripturæ V. T. ; 2° *directe*, per testimonia intrinseca, quæ in Christo ejusque religione continentur. Hoc duplex testimonium ipse Christus proferebat Judæis, dicens: *Scrutamini Scripturas... illæ sunt quæ testimonium perhibent de me* [1] ; et : *Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater* [2]... *Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me* [3].

275. Hoc duplex testimonium, ut ex citatis verbis quoque patet, eo tendit ut vel divinam missionem [4] Christi probet, vel divinitatem religionis ejus : quæ duo ita connexa sunt et reciprocantur, ut, si Christus sit divinitus missus, ejus divina sit religio ; vel si divina sit ejus religio, ipse legatus Dei sit, a Deo missus tanquam humani generis legislator.

276. Ut autem adæquate probetur propositio generalis, initio hujus tractatus posita : *Religio christiana, eaque sola, divinitus est hominibus constituta ;* non sufficit simpliciter religionem christianam a Deo esse datam demonstrare ; sed simul demonstrandum est, ita datam esse, ut universo humano generi, tanquam lex divina universalis, obligationem inducat ; utrumque enim virtute continetur his verbis : *divinitus est hominibus constituta*. Hinc tres articuli :

Articulus I, *de divinitate christianismi testata ab extrinseco.*
Articulus II, *de divinitate christianismi testata ab intrinseco.*
Articulus III, *de divina christianismi obligatione.*

[1] Joan. V, 30. — [2] Jo. VIII, 18. — [3] Jo. V. 36.
[4] Diligenter notetur, hic agi tantum de divina Christi missione seu auctoritate, necdum de divinitate personæ ejus, quod ad tract. *De Incarn.* pertinet

ARTICULUS I.

DE DIVINITATE CHRISTIANISMI TESTATA AB EXTRINSECO.

277. Testimonia extrinseca divinitatis christianisimi sunt V.T. vaticinia. Etenim V.T. vaticinia divinitatem testantur religionis christianæ, si divinam Christi Jesu Nazareni missionem demonstrant ; atqui eam demonstrant certissime.

278. Etenim demonstrant divinam Jesu Nazareni missionem, si *eum individue* designant ut Messiam [MASHIACH], seu *Christum*, id est *divinitus unctum*, aut quod idem est, divinitus cum potestate missum ; atqui tali modo *ipsum* designant ; ergo.

279. *Prob. min.* *Ipsum* designant ut Messiam, si in *ipso* adimplentur ; atqui vere in *ipso* adimplentur ; ergo.

280. *Prob. min.* In *ipso* adimplentur, si 1° Messiam distincte describunt et determinant, et si 2° Jesus Nazarenus solus in se characteres omnes et lineamenta, prophetiis præsignata, continet ; atqui hæc duo constant.

281. Nam 1° prophetiæ toto vetere Testamento sparsæ, minutatim ac vivide, characteribus admodum propriis et individuantibus, Messiæ imaginem exprimunt ; 2° in Jesu Nazareno deprehenditur imago illa perfectissime expressa fuisse. Hæ autem variæ multæque prophetiæ ad tria capita reduci possunt: aliæ respiciunt tempus adventus Messiæ, aliæ ejus munia et characteres, aliæ notas ejus personales indigitant.

Propositio I, *de tempore Messiæ in Jesu impleto.*
Propositio II, *de muniis Messiæ in Jesu impletis.*
Propositio III, *de notis personalibus Messiæ in Jesu expressis.*

PROPOSITIO I.

Tempus Messiæ a prophetis determinatum in Jesu impletum est.

282. PROB. Jesus venit tempore determinato a patriarcha Jacob, a Daniele, ab Aggæo et Malachia ; atqui hi sunt prophetæ a quibus præcipue tempus Messiæ determinatum est, ut supra[1] vidimus ; ergo tempus Messiæ, determinatum a prophetis, in Jesu impletum est : ex quo sequitur Jesum esse verum Messiam, Dei legatum.

283. Quoniam temporis punctum, tribus hisce vaticiniis indicatum, positive assignare, propter historicas præsertim obscuritates, arduum est ; ideo eadem vaticinia hic consideramus tantum quatenus negative illud tempus determinant : id est, quatenus limitem certum statuunt citra quem Messias venire debuit. Jam vero, hoc modo ex primo vaticinio certum est, Messiam venturum fuisse antequam omnis potestas civilis

[1] N. 363 seqq.

et propria eriperetur Judæis; ex secundo et tertio constat, antequam religio mosaica cum templo penitus dissiparetur, nimirum ante excidium Hierosolymorum, anno æræ nostræ 70, Messiam venire debuisse. Atqui ante illam epocham non venit quispiam Messias, ipsis Judæis fatentibus, præter Jesum Christum, christianisimi auctorem : ergo in Jesu Christo prædictum tempus Messiæ venturi impletum est.

PROPOSITIO II.

Characteres Messiæ ac munia ejus a prophetis indicata, in Jesu impleta sunt.

284. Characteres Messiæ, quos apud prophetas deprehendimus, sunt, ut futurus sit Rex, Sacerdos, Propheta ac Legislator; ejusque præcipua munia, ut vetere Testamento abolito, novum Testamentum, novamque religionem, Ecclesiam scilicet universalem constituat. Atqui hæc omnia in Jesu Nazareno impleta sunt : ergo characteres Messiæ ac munia ejus in Jesu impleta sunt : unde sequitur iterum, Jesum esse verum Messiam, Dei legatum.

285. AD PROBANDUM sufficiet, asserta in *majore* nonnihil confirmare ; quo facto veritas *minoris* sponte sua in oculos incurret.

286. I. Messias prædicitur Rex, Ps. II : *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* — Sacerdos, Ps. CIX : *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*— Propheta et Legislator, Deut. XVIII, 15 et 18, 19 : *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi.Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.*

287. II. Messias, vetere Testamento abolito, novum Fœdus, religionem scilicet universalem, conditurus est. Jerem.XXI.31 : *Ecce dies venient, dicitDominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum ; non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum.* — Ps. CIX : *Tu es Sacerdos...* — Ps. XXXIX, 7 : *Sacrificium et oblationem noluisti... Holocaustum et pro peccato non postulasti , tunc dixi : Ecce venio.* Cf. Hebr. X. — Isai XLIII, 1, 6 : *Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea : dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet... Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium* [1]. — Ps. LXXI, 8 seqq. : *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terra-*

[1] Cf. Is. cap. XLIV, 5. — Ecclesiæ gloria prædicatur, ibid. XLII, seqq.

rum... et adorabunt eum omnes reges terræ : omnes gentes servient ei.

288. Atqui hæc omnia in Jesu, in eoque solo, impleta esse ex historia tum evangelica tum ecclesiastica manifestum est ; ergo.

PROPOSITIO III.

Personales Messiæ notæ, a prophetis delineatæ, in Jesu vere expressæ sunt.

289. PROB. Prophetiæ quæ Messiæ personam describunt eæ sunt, quæ ortum ejus et nativitatem, vitæ mortisque circumstantias, et a mortuis resurrectionem prænuntiant. Atqui hæ omnes accuratissime in Jesu Nazareno sunt impletæ; ergo personales Messiæ notæ a prophetis delineatæ, in Jesu vere expressæ sunt : ex quo tertio patet, Jesum esse verum Messiam, id est Christum, Dei legatum.

290. Probatur, seu declaratur *major* argumenti.

291. I. Messias prædicitur oriturus ex semine Abrahæ et Davidis, nasciturus ex Virgine in Bethlehem. Isai. XI, 1 : *Orietur virga de radice Jesse.* — Jerem. XXIII, 5 : *Ecce dies veniunt,et suscitabo David germen justum...et hoc est nomen quod vocabunt illum : Dominus justus noster.*—Isai. VII, 14 : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium,et vocabitur nomen ejus Emmanuel,*— Mich. V. 2 : *Et tu,Bethlehem,Ephrata,parvulus es in millibus Juda ; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel , et egressus ejus ab initio,a diebus æternitatis.*

292. II. Messias nuntiatur prævium habiturus Præcursorem in solitudine,prædicaturus Evangelium,miraculis confirmaturus doctrinam, pauperem traducturus vitam, triumphantis instar ingressurus Hierosolymas, sedens super asinam. Isai. XL, 3 : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini.*— Malach. III, 1 : *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.*—Isai. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam...ut prædicarem annum placabilem Domino* [1]. — Isai. XXXV, 4 : *Deus ipse veniet et salvabit vos... Tunc aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus,et aperta erit lingua mutorum* [2]. — Isai. LIII, 2 : *Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor...quasi absconditus vultus ejus et despectus ; unde nec reputavimus eum.* — Ps. LXXXVII, 16 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* — Zachar. IX, 9 : *Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem : ecce rex tuus veniet tibi justus et*

[1] Cf. Luc. IV, 18. — [2] Cf. Matth. XI, 1-5.

salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ.

293. III. Messiæ prædicitur passio et mors cum omnibus suis circumstantiis. 1° Proditur a discipulo. Ps. XL, 10 : *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos ; magnificavit super me supplantationem.*

2° Vendetur. Zachar. XI, 12 : *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me : Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini.*

3° Deseretur a suis, Zachar. XIII, 7 : *Percute pastorem, et dispergentur oves.*

4° Accusatus obmutescet, Isai. LIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum ; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet.*

5° Sputa et contumelias perferet, Isai. L, 5 : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.* —Thren. III, 30 : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*

6° A Judæis et gentibus simul damnabitur, Ps. II, 2 : *Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus.*

7° Cruci affigetur, Ps. XXI, 17 : *Concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea.* — Zach. XIII, 6 : *Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.*

8° Mortem obibit inter iniquos, Isai. XIII, 12 : *Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est.*

9° Deridebitur a prætereuntibus, Ps. XXI : *Ego autem sum vermis et non homo : opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me : locuti sunt labiis et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum : salvum faciat eum, quoniam vult eum.*

10° Felle et aceto potabitur, Ps. LXVIII, 22 : *Dederunt in escam meam fel, et in sitim meam potaverunt me aceto.*

11° Latus ejus aperietur, Zach. XII, 10 : *Aspicient ad me quem confixerunt.*

12° In vestes ejus sortes mittentur, Zach. XXI, 19 : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.*

13° Sepelietur in monumento hominis divitis, Isai. LIII, 9 : *Dabit impios pro sepultura et divitem pro morte sua.* Juxta textum hebraicum : *Ponent sepulturam ejus inter impios, sed monumentum ejus erit juxta divitem.* Scilicet, volent quidem

inimici ejus sepelire eum cum duobus latronibus, sed ponetur in monumento honorabili Josephi ab Arimathia.

14° Demum non confringenda esse in morte crura ejus, significatum est hac lege de agno Paschali : *Os ejus non confringent.* Num. IX, 12.

294. IV. Prædicitur resurrectio et exaltatio Messiæ. Osee XIII, 15 : *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne.* — Ps. XV, 10 : *Non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* — Isai. XI, 10 : *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum.* — Dan. VII, 13 : *Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit : et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem et regnum : et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient.*

295. Jam quod spectat ad *minorem* argumenti supra positi, qua nempe asseritur, omnia hæc a prophetis prænuntiata de Messia, in Jesu Christo Nazareno ad apicem impleta esse, probatione non indiget ; res enim manifestissima est.

296. Ergo personales Messiæ notæ a prophetis delineatæ, in Jesu Christo revera expressæ sunt. Ergo ipse est verus Christus, verus Messias, Dei legatus [1].

ARTICULUS II.

DE DIVINITATE CHRISTIANISMI TESTATA AB INTRINSECO.

297. Testimonia intrinseca, seu indicia quibus demonstratur Jesum, qui dictus est Christus, omnibus instructum esse divini legati characteribus, ejusque doctrinam omnibus divinæ revelationis notis præfulgere, ad quatuor reduci possunt capita, quæ sunt : 1° ipsius Christi doctrinæ præstantia ; 2° Christi et Apostolorum ejus personalis indoles ; 3° prophetiæ editæ, 4° miracula in confirmationem ejusdem doctrinæ patrata.

298. Hæc autem quatuor testimoniorum capita suppeditant decem argumenta præcipua, quæ totidem propositionibus afferemus.

Propositio I, *de ipsius Christi doctrinæ excellentia.*
Propositio II *de Christi suam missionem testantis personali auctoritate.*
Propositio III, *de Apostolorum personali virtute.*
Propositio IV, *de Christi prophetiis.*

[1] Cf. Liebermann, tom. I, Revelat. Christ. art. 3, § I ; Huet. propos. 7, 9. etc

Miracula in ordine physico.
- Propositio V, *de Christi miraculis.*
- Propositio VI, *de miraculis Apostolorum.*

Miracula in ordine morali.
- Propositio VII, *de christianæ Religionis propagatione.*
- Propositio VIII, *de ejusdem in mundo effectibus.*
- Propositio IX, *de ejusdem in martyribus constantia.*
- Propositio X, *de ejusdem perpetua stabilitate et conservatione.*

PROPOSITIO I.

Doctrina Christi in omnibus suis partibus tam præcelsa, tamque digna Deo apparet, ut non obscure divinam originem innuat.

299. PROBATUR. 1° positive, 2° negative, i. e. confutando argumenta adversariorum.— 1° *Positive*. Doctrina Christi duplicem partem habet, theoreticam, et practicam, seu moralem ; atqui in utraque singulariter et sine exemplo in humanis, præcelsa Deoque dignissima est ; ergo divinam originem innuit. — In *theoreticis*, non tantum ea quæ pertinent ad Deum, hominem et mundum, sine minimo errore docet ; sed etiam dogmata tradit omni humana sapientia longe superiora ; ergo. — In *moralibus* similiter apparet digna Deo digna homine, digna societate ; omnia legis naturalis officia complectitur, erga Deum, proximum et nosmetipsos ; nullo vel levissimo errore maculata cernitur ; necessariis non caret, superfluis non redundat ; motiva præbet efficacissima ad præcepta implenda ; sic arcet vitia, ut ipsorum originem detegat, et adjumenta ad ea convellenda exhibeat ; sic virtutes docet, ut ad eas colendas fortitudinem ingerat ; humilitate sua tam profunde descendit, tamque alte ascendit charitate, ut tantam virtutis sublimitatem humana ratio, ante Christi doctrinam, vix aut ne vix quidem fuerit suspicata. — Unde sic argumentor : humana ratio, per studia et labores diuturnos atque consociatos, non potuit religiosam ac moralem disciplinam nisi imperfectam producere [1] ; ergo illa morum ac religionis doctrina quæ purissima ac perfectissima est, nec studiorum ope comparata sed subito tanquam de cœlo veniens prædicata, supernaturalis ac divina dicenda est.

300. 2° *Negative* probatur, seu indirecte, ostendendo falsitatem hypothesis contrariæ, quæ Rationalistarum est et Progressistarum, dicentium christianam doctrinam esse humanæ rationis, perpetuo ad perfectiora progredientis, naturalem fœtum. Humanæ naturæ, aiunt, nativa quædam vis insita est, qua, sicut in rebus materialibus et civilibus, ita in moralibus ac religiosis, perpetuo et indefinito progressu evolvitur. Quare religiosum ordinem si spectemus, a feticismo ad polytheismum,

[1] Cf. supra cap. 2, art. 3, n. 113 seqq.

a polytheismo ad monotheismum, a cultu timoris Judæorum ad cultum amoris Christianorum, a materialismo ad spiritualismum, populos videmus ascendere. Christiana ergo doctrina humanæ naturæ procreatio, non autem divinitus tradita revelatio est [1].

301. Hujusmodi Progressistarum hypothesis negatur, quia tum historice tum philosophice falsa est. Quod antequam probemus, duo animadvertenda præmittimus.

302. 1. Confundunt adversarii progressum cum mutatione, quæ duo probe distinguenda sunt. Progressus rei in hoc consistit, ut res, eadem et substantialiter identica perseverans, incrementis et perfectionibus augeatur : quod in plantis, quæ a tenero frutice ad robustam arborem deveniunt ; et in discipulis, qui a scientiæ elementis ad ejusdem perfectionem ascendunt, fieri conspicimus. — Mutatio, quam substantialem in sensu adversariorum intelligimus, est rei destructio et alterius rei in prioris locum successio ; ut si salicis eradicatæ loco plantetur quercus. Quod si res succedens priore sit melior, progressum quidem sed hunc non simpliciter talem, verum cum substantiali mutatione conjunctum constituet ; ut si tugurio domus marmorea, aut jumentorum labori mechanicus vaporis impetus substituatur.

303. 2. Mutationes hujusmodi et mutabiles progressus, in materialibus quidem rebus et hominum artibus, aliqua saltem ratione, obtinere possunt ; in moralibus vero et religiosis rebus nequaquam. Res enim morales et religiosæ in doctrina consistunt et in complexu veritatum, quæ mutationi non subjacent. — Progressus autem simpliciter talis, quo una eademque veritas magis evolvitur et clariore in luce ponitur, omnino in religione fieri potest et factus est. Christus enim seu Messias, in quo tanquam in centro christiana Religio continetur, ab initio mundi annuntiatus fuit et cognitus : quæ cognitio gradatim clarior evasit, donec ipse veniens clarissimam doctrinæ lucem afferret. Quæ doctrinæ præcedentis adimpletio fuit non negatio, ut ipse Christus testabatur dicens : *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas ; non veni solvere, sed adimplere.* Matth. V, 17.

304. His præmissis, hypothesim Progressistarum christianæ Religioni applicatam, falsam esse tum historice tum philosophice, ita ostenditur.

305. 1) *Historice.* Adversarii ponunt, humani generis religionem ab exordio fuisse feticismum, quo varia naturæ corpora adorarentur ; at constat ex antiquissima mundi historia, mo-

[1] Ita fere Eug. Pelletan, *Profession de foi du XIXe siècle.* Cf. Thonissen, *Considérations sur la théorie du progrès.*

notheismum, seu cultum unius Dei Creatoris, per 2000 annorum viguisse antequam homines ad polytheismum deflecterent. — Ponunt, populos a polytheismo ad monotheismum, et inde ad christianismum tendere ; sed e contrario constat, polytheistas, seu gentiles, nunquam ad monotheismum Judæorum, ad quem adversarii alludunt, transiisse ; verum vel immutabiles a millenis annis persistere, vel immediate ad christianismum converti. Quin monotheistæ, scilicet Judæi, tales semper fuerunt et tales pertinaciter manent, a religione Christi plus cæteris abhorrentes. — Ponunt, humanæ rationis nativa vi, judaismum primum et dein christianismum prodiisse : verum e contra, utraque doctrina non ratiocinii via, sed auctoritate absolutissima, tanquam a Deo tradita, nec per litteratos philosophos, sed per prophetas Dei nuntios, ac per rudes Apostolos fuit proposita. — Ponunt, ex prævalente vigore, quem humana mens e Persidis Græciæque scholis hauserat, doctrinam Christi ortam esse : at contra in comperto est, eam ab homine judæo, non e schola, sed e fabri officina egresso, fuisse rudi populo prædicatam. — Ponunt demum, doctrinam Christi esse progressum, scilicet, Progressistarum sensu, negationem doctrinæ anterioris seu Testamenti veteris, simulque gradum ad novitatem ulteriorem : atqui constat, Christi doctrinam doctrinæ veteris, non negationem, sed impletionem esse ; eamdemque ab 18 sæculis immutatam permansisse, imo et immutabilem constitutam esse : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt* [1].

306. -2) *Philosophice.* Falsa est Progressistarum hypothesis, sive speculative spectetur sive ethice. a) *Speculative* falsa est : etenim, posito adversariorum principio, nullatenus possunt facta historica explicari; ergo principium falso assumitur. *Probo anteced.* Nam α) si rationis instinctus naturaliter ad christianismum duceret, protulisset ab ævo veritatum rudimenta, generaliora quidem et faciliora, sed tamen pura ab errore et christianis principiis conformia ; et illa quidem ubique et eadem protulisset : sed contra, varios in variis locis ortos esse errores christianismo oppositos testatur historia. β) Veritatis elementa, quæ jam nata erant et inventa, ut commune totius humani generis patrimonium servata, et continuis incrementis locupletata fuissent ; sed contra, veritatem antiquitus purio rem viguisse constat, atque successu temporis potius decrevisse et corruptam esse. γ) Ubi aeriora studia, illic christianismus evolvi celerius debuisset ; sed vix ullibi studia minus viguere quam in Judæa, in qua tamen primum christianismus floruit. δ) Si christiana doctrina fœtus et evolutio rationis esset, hanc originem suam præ se ferret, at e contra, sese nudæ auctoritati attribuit. ε) Si in progressum indefinitum, substantia-

[1] Cfr. supra, tract *De princip. theol.* cap. 1, art. 5, n. 59, nota 2.

libus mutationibus constantem, qualem adversarii ponunt, natura nos impelleret, christianismus post tot sæcula, in ulteriores hujusmodi progressus, seu essentiales mutationes abiisset ; sed e contra hic immutabilis permansit. — Ergo hypothesis adversariorum speculative falsa est.

307. b) Falsa est si spectetur *ethice*. Etenim α) natura culpanda foret, quæ tot sæculis populos in pessimis erroribus ac scelerum monstris, ipsa suo magisterio detinuisset. β) Natura sibi opposita foret, quandoquidem instinctu priore refelleret sequentem, et hoc postremo forsan secuturum ; unde etiam tot hujusmodi variabilium documentorum fœcunditate, nullum satis efficax exercere posset imperium : quum quæ hodie ut sancta præcipit, cras posset ut obsoleta contemnere. Atque ita necessario moralitas enervaretur et destrueretur.

308. Ergo tum positive tum negative constat, Christi doctrinæ nullum posse humanam aut naturalem originem assignari ; ergo divina ei origo tribuenda est.

PROPOSITIO II.

Religio christiana divina esse probatur ex Christi de se testantis auctoritate.

309. PROB. Christus se legatum Dei esse testatus est ; atqui hoc Christi testimonium est verum ; ergo ex ipsius Christi auctoritate constat eum esse Dei legatum, ejusque proin religionem esse divinam. — *Major* patet ex Evangelio passim, ex. gr. ex Joan. IV, 25, 26: *Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus) : quum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Jesus : Ego sum qui loquor tecum.*

310. *Prob. min.* Verum est testimonium Christi, si noluit decipere, nec fuit ipse illusione deceptus ; atqui neutrum supponere nos sinit ejus probitas ac sapientia. — Etenim *probitas ac virtus* eminet in eo mirabilis : pietas erga Deum, charitas erga homines, tantis tamque gratuitis beneficiis manifesta ; igitur atrocis imposturæ scelere Deum offendere, et homines perdere profecto noluit. — *Sapientia* item mirabilis apparet in scientia illa ac doctrina, qua omnem Scribarum subtilitatem ac fallaciam superabat et eludebat ; nec non in mente tranquilla semper ac sui compote : ergo non fuit fanatica aut superba imaginatione delusus. — Ergo testimonium Christi de sua divina missione verum est.

311. OBJIC. 1° Testimonium cujuspiam de se ipso non valet ; ergo testimonium Christi, de se perhibitum, divinam ipsius missionem non probat. — R. *Dist. antec.* Testimonium cujuspiam de se ipso in causa judiciali de delicto vel damno, non valet juridice, *trans.* ; in re extrajudiciali non valet, *subdist.* Si destitutum sit conditionibus debitis, *conc.* ; si his conditionibus

gaudeat, *neg.* Homini enim compertæ probitatis non est fides deneganda ; *nemo enim supponendus est malus aut mendax, nisi probetur. Et neg. cons.*

312. *Obj.* 2° Testimonium ut sit legitimum debet esse duorum vel trium ; ergo testimonium Christi non est legitimum. — R. *Dist. antec.* Ut sit legitimum, h. e. ut pro vero haberi a judice debeat, saltem juxta legem Moysis [1], *conc.;* ut sit legitimum, hoc est, verum in se, *neg. Et neg. cons.* Testimonium Christi habet omnes conditiones testimonii stricte legitimi et acceptandi. Hæ conditiones sunt tres : -1) ut is qui testatur rem bene sciat, -2) ut eam sincere dicere velit, -3) ut non sit solus, quæ conditio proprie juridica est : has tres conditiones suo testimonio adesse ipse Christus ostendit, Joan. VIII, 13 seqq.

PROPOSITIO III.

Religio christiana divina esse probatur ex Apostolorum testantium auctoritate.

313. PROB. Apostoli se divinos Christi legatos esse testantur ; atqui hoc Apostolorum testimonium verum est ; ergo vere divini legati sunt, religionem divinam prædicantes.

314. *Major* patet passim ex Act. et Epist. Apostolorum. I Cor. IV, 1: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* — II Cor. V, 20 : *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.*

315. *Prob. min.* Verum est testimonium Apostolorum, si Apostoli neque fallere voluerunt, nec fuerunt ipsi delusi ; atqui neutrum dici potest. — *Non primum,* quia eam rem asserere non potuissent, nisi ipsi de ea fuissent omnino persuasi ; *non alterum,* quia ita persuasi esse non potuissent, nisi res vera fuisset. — Utraque ratio probatur ex Apostolorum *virtutibus* et *sapientia.* Scilicet 1° ipsorum erga Deum pietas, erga homines charitas, eaque gratuita ac generosissima, abominandæ fictioni repugnasset. 2° Eorum sapientia ac unanimitas, cum tanta insipientia tamque gravi illusione stare non potuisset.

PROPOSITIO IV.

Religio christiana divina esse probatur ex prophetiis a Christo editis.

316. Propositio vera est si Christus vera vaticinia edidit, et hæc divinitatem missionis ac doctrinæ ejus demonstrant ; atqui ista duo comperta sunt ; ergo.

317. 1 PARS. Christus plura prædixit, quæ ad se ipsum, ad discipulos suos, ad Judæos, ad Evangelii promulgationem spectabant, et quidem talia quæ humanam prævisionem fugerent, imo eidem essent contraria ; atqui hæc fuere vera vaticinia ;

[1] Deut. XIX, 15.

ergo. — *Major* patet ex historia evangelica, ubi Christus ita loquitur de se.ipso : *Ecce ascendimus Jerosolymam et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte. Et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum : et tertia die resurget.* Matth. XX. Hoc ultimum speciatim de resurrectione sua, solemnius et sæpius pronuntiavit, ita ut apprime notum esset Judæis, qui proin dixerunt Pilato, Matth. XXVII, 63 : *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam.* — Prædixit præterea proditionem Judæ, trinam Petri negationem, Judæorum obstinationem eorumque civitatis ac templi destructionem, Evangelii prædicationem per orbem, et Ecclesiæ perpetuam inter bella et persecutiones stabilitatem, usque ad consummationem sæculi. Quæ, et alia plura, esse vera vaticinia facile patet.

318. II PARS. Hæc vaticinia divinitatem missionis ac doctrinæ Christi demonstrant, si eduntur in signum missionis et in confirmationem doctrinæ suæ ; atqui hunc in finem eduntur vel directe vel indirecte. 1° *Directe*, ut cum prædicit resurrectionem suam, Matth. XVI, 4 ; vel proditionem Judæ, Joan. XIII, 19 : *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. Amodo dico vobis, priusquam fiat,* UT CUM FACTUM FUERIT CREDATIS QUIA EGO SUM. — 2° *Indirecte*, ut reliqua omnia. Homo scilicet qui dicit se a Deo missum, si edit vaticinia, ea in confirmationem doctrinæ et missionis suæ edere censetur. — Deinde, prophetiæ Christi cum religione ejus intime connexæ sunt ; ergo si prophetiæ divinæ, et ipsa religio divina sit necesse est. *Prob. antec.* Prophetiæ Christi modo prænuntiant miracula in testimonium Evangelii, ut Marc. ult. : *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur*, etc. ; modo indicant futura fata religionis christianæ, sed ita indicant, ut simul innuant hanc Religionem peculiari modo approbari et custodiri ; ergo prophetiæ Christi cum ejus religione sunt connexæ, ergo religio Christi æque ac prophetiæ ejus divina est. — Ut hæc conclusio clarius pateat, animadvertendum est, prophetiam esse ex natura sua locutionem Dei ; si ergo prophetia de Christi doctrina loquitur, ipse Deus de ea loquitur. Jam vero Deus de ea loquitur hunc in sensum : *Christi doctrinam confirmabo miraculis ; ejus præcones custodiam, roborabo ; totamque Ecclesiam ita extendam, ut omnes gentes eam ingrediantur*... Atqui his verbis Deus implicite dicit, se Christi religionem approbare et custodire ; ergo doctrina Christi in prophetiis ejus, vel directe vel saltem indirecte approbationem ac sanctionem divinam habet.

PROPOSITIO V.

Christiana religio divina esse probatur ex miraculis a Christo patratis, et specialim ex miraculo resurrectionis ejus.

319. PROB. I PARS. Christiana religio divina est, si eam Christus veris miraculis confirmavit; atqui id Christus præstitit.

320. *Prob. min.* Christus religionem suam miraculis confirmavit, si 1° vera miracula patravit, et 2° si ea patravit in doctrinæ suæ confirmationem; atqui utrumque est historice indubium; ergo.

321. 1° Miracula ejus in Evangeliis narrantur, multa, præclara, manifesta. Ipsi obedire cernitur natura inanimata: ut aqua, panis, arbores, mare et venti; — natura animata: ut pisces maris, corpora hominum ac membra infirma: omnis languor et morbus, imo mors ipsa potestati ejus subjecta est; — natura invisibilis, i. e. dæmones, ejus imperio cedunt, et Angeli præsto sunt ad ministrandum ei. — Atqui hæc sunt vera miracula, quæ nec sunt pauca, nec suspecta, nec occulta, nec ejus generis ut testimonio sensuum non probentur; sed talia ut rudissimum quemque e vulgo idoneum testem habere possint, et in ipsos absentes fiant, quo plenius omnis suspicio removeatur; ergo.

322. 2° Patravit ea in doctrinæ suæ confirmationem ac testimonium missionis suæ. Joan. XI, 42: *Propter populum qui circumstat dixi:* UT CREDANT QUIA TU ME MISISTI. *Hæc quum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras.* — Joan. V. 36: *Ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me,* QUIA PATER MISIT ME.

323. II PARS. *Ex resurrectione.* Resurrectio Christi ex mortuis est simul præclarum miraculum et præclari vaticinii implementum; est miraculorum Christi celeberrimum, imo aliorum omnium sigillum. Quare ad hoc signum missionis suæ provocabat Dominus, et idem tanquam argumentum irrecusabile simul et fundamentale afferebant Apostoli [1].

324. *Argum.* Si Christus a mortuis surrexit, divina est ejus missio, et doctrina; atqui vere a mortuis surrexit.

325. Etenim indubium est factum illud cujus testes sunt plurimi, qui nec decipi potuerunt, nec decipere voluerunt, nec si voluissent decipere potuissent; atqui tales sunt testes resurrectionis Christi. Sunt enim -1) Apostoli, qui vident, audiunt, palpant Magistrum redivivum per 40 dies; qui testimonium suum et miraculis et sanguinis effusione obsignant. -2) Sunt mulieres et discipuli omnis generis, plus quam 500 [2]. -3) Sunt Judæi et Ethnici, propter rei evidentiam conversi. -4) Sunt Judæorum principes, ad sepulcrum excubias ponentes, nec tamen in tes-

[1] Cf. Matth. XVI, 4; — I Cor. XV, 14. — [2] II Cor. XV, 6.

tantes Apostolos tanquam in mendacii reos animadvertentes. -5) Sunt acerbissimi christiani nominis hostes, ut Celsus, Porphyrius, Hierocles, Julianus, qui resurrectionem Christi sicut cætera ejus miracula, magicis quidem artibus tribuendo elidere conati, negare tamen nunquam sunt ausi. — Ergo Christus surrexit vere; ergo doctrina ac religio ejus divina est; — ergo hæc religio ac doctrina, sub pœna æternæ damnationis sequenda est et servanda.

PROPOSITIO VI.

Christiana religio divina esse probatur ex miraculis Apostolorum.

326. PROB. Propositio admittenda est, si Apostoli vera miracula patrarunt, eaque patrarunt in christianæ doctrinæ confirmationem; atqui hæc duo testatur historia; ergo. — Marc XVI, 20 : *Illi profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* — Act. III, 6 : *In nomine Jesu Christi Nazareni, surge et ambula.*

PROPOSITIO VII.

Christianæ religionis divinitas probatur ex mirabili ejusdem propagatione.

327. Hæc propositio, cum tribus sequentibus, ea exhibet signa quæ vocari possunt miracula in ordine morali. Hujusmodi sunt eventus illi extraordinarii, qui licet *physice* possibiles, *moraliter* tamen, hoc est, spectatis hominum moribus et naturali rerum humanarum cursu, absque speciali concursu Dei, ejusque providentiæ ordinatione singulari, contingere non potuissent. Quare hujusmodi eventus, ut sunt Religionis christianæ propagatio, efficacia, constantia et perennitas [1], ad miracula merito referuntur, juxta illud Augustini : Si mundus credidit Apostolis sine miraculo, et hoc maximum miraculum dicendum est [2].

328. Hæc miracula in ordine morali argumentum suppeditant, quod ita generaliter enuntiari potest : *Religionis christianæ propagatio, efficacia, fortitudo et perennitas, ejusdem divinitatem probant, si divinum supponunt influxum et adjutorium peculiare; atqui hoc supponunt; ergo.*

329. Quod ad vim probandi spectat, hoc argumentum si consideretur -1) ut sejunctum a præcedentibus propositionibus, posset habere vim absolutam, quæ indirecte saltem resolvatur in metaphysicam. Nam miracula illa moralia, si præsertim col-

[1] His a quibusdam adduntur : oraculorum cessatio, donorum Spiritus sancti in primos Christianos effusio, eorumque in Ecclesia continuatio : ultio Dei in Judæos, hujusque gentis conservatio; demum ærumnæ et mors persecutorum.

[2] Eumdem in sensum Dante. Parasido XXIV, 106 :

Se il mondo si rivolse al Cbristianesmo
Diss'io senza miracoli : quest'uno
È tal, che gli altri non sono il centesmo.

lective sumuntur, saltem demonstrant religionem christianam omnibus aliis esse longe *tutiorem ;* ergo vi prudentiæ, proindeque vi rationalis naturæ, atque adeo ex Dei ipsius voluntate, debet ab hominibus recipi ; ergo fieri non potest quin vera ac divina sit. — Si consideretur -2) prout post præcedentes probationes ex prophetiis ac miraculis affertur, vim obtinet confirmationis firmissimæ : et hoc quidem sensu a nobis exhibetur. His præmissis, accedamus ad propositionis demonstrationem.

330. PROB. Propagatio christianæ Religionis virtuti divinæ est adscribenda, si effectum continet naturali causæ non proportionatum : atqui ita habet ; ergo.

331. *Prob. min.* Religio christiana celerrime propagata est, licet minima fuerint propagationis media et maxima obstacula; atqui tale phænomenon est effectus non proportionatus causæ naturali ; ergo divinæ virtuti adscribendus est.

332. *Prob. maj. per partes.* -1) *Celeritas :* vix tribus sæculis religio christiana diffusa est per orbem universum, velut mare, ratione longitudinis, latitudinis et profunditatis : hoc est, ratione locorum, ratione multitudinis et qualitatis personarum ; imo, paucis post Ascensionem Domini annis, Apostolus scribebat, Coloss. 1, 6 : *Quod* [Evangelium] *pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit.* — -2) *Media,* ex parte Auctoris, præconum, doctrinæ et modi eam propagandi, non sunt neque arma, neque humanæ sapientiæ verba, neque divitiæ, aut sensuum illecebræ : sed inopia secundum hominem, et inermis persuasio ut homines Christum adorent Nazarenum, qui crucifixus est et resurrexit. — -3) *Obstacula* sunt, tum præconceptæ opiniones, philosophicæ, religiosæ, morales, quo refertur terribilis repugnantia passionum ; tum vis extrinseca, christianam religionem profitentibus illata, per verba, scripta atque tormenta ; tum intrinsecæ dissensiones, schismata et hæreses. — Atqui hæc tria, conjuncta, morali rerum cursui in humanis adversantur ; ergo *a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.* Ps. CXVII, 23.

PROPOSITIO VIII.

Christianæ religionis divinitas probatur ex stupendis ejus in mundo effectibus.

333. PROB. Patet argumenti veritas, si tales christianismus produxit effectus, qui non nisi divina virtute produci potuerint; atqui tales effectus produxit ; ergo. — *Prob. min.* Religio christiana mundum gentilem flagitiosissimum convertit ad puritatem evangelicam ; atqui hujusmodi effectus sine virtute divina explicari non potest ; ergo admittenda divina virtus est, juxta hoc Pauli, I Cor. VI, 9 : *Nolite errare : neque fornicarii,*

neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis IN NOMINE DOMINI *nostri Jesu Christi, et* IN SPIRITU DEI *nostri.*

PROPOSITIO IX.

Christianæ religionis divinitas probatur ex invicta martyrum ejus constantia.

334. PROB. Martyrum constantia cum omnibus adjunctis spectata, humanæ conditioni ut minimum moraliter impossibilis est; ergo divino cuipiam influxui ac virtuti tribuenda. *Antecedens* patet, si considerentur varia christiani martyrii adjuncta : 1° martyrum multitudo innumerabilis, 2° personarum qualitas, 3° suppliciorum immanitas, 4° persecutionum diuturnitas per tria fere sæcula, 5° patiendi modus, 6° accedentia prodigia, 7° fructus ad religionis incrementum. — Talis scilicet constantia, tam diuturna, tam universalis, tam inaudita, nulli naturali ratione explicari potest; ergo supernaturalis et a Deo infusa dici debet. Quare Tertullianus illam martyrum constantiam nequaquam dubitat in argumentum afferre adversus gentiles : *Nec quidquam proficit*, ait ad Imperatorem, *exquisitior quæque crudelitas vestra : illecebra est magis sectæ ; plures efficimur quoties metimur a vobis : semen est sanguis Christianorum* [1].

PROPOSITIO X

Christianæ religionis divinitas probatur ex perpetua ejus stabilitate.

335. PROB. Perpetua religionis christianæ stabilitas ejus divinitatem demonstrat, si hæc stabilitas fuit contra omnem humanam prudentiam prædicta, et reipsa perstitit inter vicissitudines ac impetus tales, quibus nulla humana institutio resistere potuisset ; atqui talis est religionis christianæ stabilitas ; ergo.

336. 1° *Prædicta* fuit a Christo, Matth. XVI, 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et Matth. ult. : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

337. 2° *Perstitit* invicta inter impetus. Impetita fuit omni bellorum genere et omni tempore. -1) *Omni tempore* : tres epochæ christianismi distingui possunt : exordii, adolescentiæ seu stabilitatis, et maturitatis ; hac autem triplici temporis periodo impetitus fuit, -2) *bello omnigeno*, sive arma spectentur sive hostes. *Arma* fuere gladius, errores, vitia ; *hostes*, tum publici

[1] Apol. c. 5.

et privati et occulti, tum externi et interni seu domestici. — Hostes externi fuere Judæi, Gentiles, Mahumetani; hostes interni, hæretici et schismatici. Hæretici pullularunt ab initio et a diebus ipsis apostolicis, nec unquam deinceps defuerunt, diversis usque sub formis renascentes : alii singula dogmata impetentes, ut antiquiores; — alii totum corpus dogmaticum convellentes, ut recentiores [1]; — alii christianismi radicem evellere ac subruere fundamenta, animamque penitus exstinguere adnitentes, ut rationalistæ et increduli præsentis temporis. — Atqui inter tot impetus perstat immobilis et integra religio christiana ; ergo manu Dei fundata est et sustentata.

338. Hanc christianæ religionis demonstrationem, qua divinitatis ejus argumenta oculis subjecimus, concludere juvat his Richardi Victorini verbis : *Domine, si error est, a te decepti sumus : nam ista* [fidei scilicet nostræ documenta] *in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ non nisi per te fieri potuerunt* [2].

339. OBJIC. 1o Christianismus spectari potest ut periodus transitoria naturalis humani progressus ; ergo non divinæ causæ tribuendus est. Etenim hujusmodi progressum et analogia innuit et historia testatur. Vi analogiæ, humanum genus assimilari potest individuo homini, qui, ab ignorantia infantili, gradatim ad perfectiores usque scientias ascendit — Historia testatur ex antiqua ignorantia populos progressos fuisse ad mythologiam ; ex mythologia sese expedivisse, ut adoperante Platone et philosophia ejus, ad intellectualia assurgerent ; hinc demum per christianismum ad mere spiritualia sese evexisse ; ergo. — R. *Neg. antec. et prob.* Hujusce hypothesis falsitas supra [3] ostensa est. Analogia illa gratuito supponitur ; et, si vera esset, tantum probaret, sicut homo ab infantia recte institutus, a cognitone vera quidem sed obscuriore, ad cognitiones clariores et ulteriores progreditur; ita humanum genus in veritatibus ad religionem pertinentibus, tum clarius tum uberius usque percipiendis, progressum esse. Quod quidem verum est, si historia revelationis spectetur ; at falsissimum, in hypothesi adversariorum, qui non de veritate in veritatem, sed per errorum gradus successivos humanum genus traducunt. Dein falsum est Platonem attulisse ignotam antea religionis puritatem ; cum mille annis ante illum philosophum, religionem longe puriorem, imo nullo errore maculatam Moyses conscripserit.

340. *Obj.* 2o In omnibus sectis miracula et martyres proferuntur ; ergo neque miracula neque martyres veritatem pro-

[1] Quare verum istud Fausti Socini epitaphium, si nominis Babylon, quo designatur Ecclesia, impietas detur:

Tota quidem Babylon destruxit tecta Lutherus ;
Mœnia Calvinus ; sed fundamenta Socinus.

[2] *De Trinit.* l. I, cap. 2. — [3] Propos. I, n. 299.

bant. — R. *Dist. antec.* Proferuntur hujusmodi argumenta vel vera vel conficta, *conc.;* vera, et sicut in christiana religione fulgentia, *neg.* — Quod attinet ad miracula, ne unum quidem extra christianam religionem proferri potest quod historica certitudine nitatur [1]. Quod vero ad martyres spectat, ii afferuntur qui apud Indos se præcipites dant e rupibus, vel se conterendos prosternunt sub idolorum plaustris : at hujusmodi non sunt martyres sed fanatici suicidæ. — Quod attinet ad martyres Protestantium [2], respondeo -1) : feruntur martyres Protestantium, martyribus veri christianismi similes, i. e. tanta multitudine, talibusque adjunctis mirabiles, *neg.;* secus, *transeat.* Non enim martyres utcumque consideratos argumenti loco afferimus, sed iis adjunctis conspicuos, quæ nequaquam apud Protestantes inveniuntur. — Respondeo -2) : feruntur martyres Protestantium, qui mortui sint libere et pie in testimonium protestantismi qua talis, id est, alicujus dogmatis protestantici qua talis, *neg.;* in testimonium dogmatis catholici, *trans.;* hoc autem divinitatem catholicismi confirmaret. Scilicet quicumque ut martyres in Foxiano et Geddesiano martyrologio perhibentur, et vere pro religione mortui sunt [3], vel istud martyrium subiere ex motivo perverso, ob superbiam, pertinaciam, etc.; vel non libere : et in utroque casu nihil probant ; vel demum martyrium suum libere et pie subiere, sed vel pro fide christiana generatim, vel pro aliquo dogmate vero : et tunc isti martyres divinitatem christianismi veri, non protestantismi testantur.

341. *Obj.* 3° Numerus martyrum tantus non fuit, quantus a Christianis vulgo traditur ; multa siquidem falsa martyrum acta conficta sunt, præsertim medio ævo ; ergo. — R. *Neg. antec. Ad prob. neg. supp.* Innumeros martyres pro Christi nomine occubuisse, non ex actis medio ævo conscriptis probamus ; sed ex scriptoribus coævis, et ab omni fallendi suspicione longe remotis, ut sunt Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Lactantius, Eusebius. Quin et ipsi profani auctores, ut Tacitus [4], Suetonius [5], Plinius [6], Celsus apud Origenem, et alii, nobis suffragantur [7].

342. *Obj.* 4° Atqui Origenes sæculo III, lib. 3 cont. Cels. ait : *Deo propugnante, et opportunis temporibus cohibente persecutores christiani nominis, pauci per intervalla temporum et facile numerabiles, pro religione christiana mortui sunt.* Ergo—R. *Dist. conseq.* Ergo pauci erant martyres comparate ad

[1] Cf. Perrone, *De vera relig.*, n. 160. — [2] Protestantes assimilantur achristianis, quia adversantur christianismo catholico, quam unice genuinam Christi religionem esse supponimus, et infra adversus Protestantes demonstrabimus. — [3] Cf. Perrone, *De vera rel.*, n. 421. — [4] *Annal.*, I. 15, c. 44. — [5] *De Nerone*, c. 16. — [6] *Epist. ad Trajan.* — [7] Cf. *Dissertat. de actibus martyrum* apud Butler post mensem decemb. ; ubi et confutatur Henric. Dodwell.

eos, qui persecutioni fuerunt superstites, *conc.;* pauci absolute, *neg.* Scopus Origenis erat ostendere singularem Dei in conservanda Ecclesia providentiam, qui passus non est ut gens christiana interiret. Ita enim pergit : *Deo vetante, ne in totum exscinderetur hoc genus hominum ; subsistere illud voluit,et omnes terras repleri salutari doctrina ista.*—In hoc ipso opere multitudinem martyrum agnoscit. Etenim. lib. 2 : *Nostro tempore,* inquit, *multi scientes moriendum sibi si confiteantur christianismum,abnegato vero absolvendos se,contempserunt vitam, et ultro mortem ob pietatem elegerunt.* Adde persecutiones quæ post Origenem, aut opere contra Celsum jam scripto, exarserunt, omnium fuisse crudelissimas.

343. *Obj.* 5° Sunt aliæ religiones ut Mahumetana ac Protestantica, quæ celeriter propagatæ sunt ; aliæ quoque ut Sinensium et Judæorum, quæ stabiles perstiterunt ; ergo propagatio et stabilitas christianæ religionis non sunt indicia ejus veritatis. — R. *Dist. antec.* Aliæ religiones sunt celeriter propagatæ et stabiliter conservatæ ex naturalibus causis, *conc.;* sine illis, *neg.* Nam propagatio hujusmodi facta fuit vi gladii et passionum ope ; stabilitas autem iisdem causis, vel etiam ignorantiæ inerti, aut regiminis politici debetur adminiculo, quo sublato corruerent ; quanto minus inter persecutiones et luctas subsisterent ! Una quidem insectationibus impetita fuit et perduravit Judaica gens ; sed ex speciali Dei providentia, ut sint in signum Christi quem rejecerunt ; ideo manent donec *convertantur et quærant Dominum Deum suum et David regem suum* [1].

344. *Obj.* 6° Religio christiana injungit fidem amplectendam sub pœna damnationis, et credentes principio auctoritatis subjicit ; atqui primum explicat propagationem, alterum stabilitatem ejus ; ergo propagatio et stabilitas religionis christianæ naturaliter explicantur. — R. *Conc. maj. dist. min.* Primum explicat propagationem et alterum stabilitatem religionis christianæ, supposita doctrinæ veritate, *conc.;* ea non supposita *neg.* [2]. Etenim damnationis comminatio non est nata animos commovere, nisi eam ex parte Dei intentari constet ; neque auctoritas, præsertim inermis, imperio valet, nisi quatenus legitima esse facile agnoscitur.

ARTICULUS III.

DE DIVINI CHRISTIANISMI OBLIGATIONE.

345. Jam in iis quæ præcedunt obligatorium christianismi characterem animadvertere licuit, eo quod institutor ejus, Christus, exhibitus fuit nobis tanquam divinus legatus, aucto-

[1] Osee, V, 5. — [2] Cf. Liebermann, t. I, Revel. christ., art. 4, § 2.

ritate, non qualicumque, sed legislativa instructus ; unde et religio ab ipso instituta desumit rationem *Legis :* Legis scilicet novæ, cujus præambulum et figura fuit Lex vetus mosaica. Ab hac autem Lege vetere differt essentialiter Lex christiana, quod non jam particularis sit, singulari cuipiam nationi imposita ; sed universalis, et omnibus hominibus strictissimo Dei mandato præscripta : ut universæ familiæ gentium, per orbem terrarum dispersæ, congregentur in unum sub Capite Christo, et *fiat unum ovile et unus Pastor.* Id autem peculiari propositione visum est stabilire.

PROPOSITIO UNICA.

Religio christiana omnibus hominibus est divinitus obligatoria.

346. PROB. 1° Religio christiana talis est, si auctor ejus eam condidit tanquam legislator universalis ; atqui ita eam condidit. — Christus enim auctor Novi Testamenti, seu religionis christianæ, a prophetis exhibetur ut rex et legislator universalis. Ps. II : *Ego constitutus sum rex ab eo super* Sion *montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus... Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea.* — Ps. XXI, 28, 29 : *Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium... adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.* — Dan. II, 44 : *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur : comminuet autem et consumet universa regna hæc : et ipsum stabit in æternum.*

347. 2° Obligatoria omnibus est religio christiana, si Christus eam suscipiendam mandat omnibus, sub comminatione æterni supplicii ; atqui ita eam Christus mandat. Marc. XVI, 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit condemnabitur.* — Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti ; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*

—

APPENDIX.

DE CÆTERARUM RELIGIONUM INANITATE.

348. Generalis propositio hoc tractatu demonstranda, duas ut initio diximus, partes habet : 1° religionem christianam esse divinitus humano generi impositam, et 2° eamdam solam esse

et exclusivam. — Priorem partem hactenus demonstravimus ; qua demonstratione etiam altera pars, character nempe exclusivus christianæ religionis, implicite continetur, et facile per modum corollarii deduci potest. Si enim Christi religio universo mundo imposita est, eo ipso reliquæ omnes religiones rejectæ sunt ; non secus ac si rex ditioni suæ alienam gentem subjiciens, ei suam legislationem imponeret, hoc ipso leges illius gentis pristinas irritas faceret.

349. At præter indirectam probationem, non abs re visum est idem directe hac appendice ostendere, quo plenior christianæ religionis demonstratio conficiatur. Ut autem directe evincatur, christianam religionem esse exclusive veram et legitimam, reliquæ per orbem religiones singillatim considerandæ sunt, et earum inanitas vel falsitas demonstranda. Unde duo paragraphi :

§ I. Existentes per orbem religiones. — *§ II. Religionum omnium præter christianam inanitas.*

§ I Existentes per orbem religiones.

350. Omnes totius orbis religiones generatim reduci possunt ad quatuor classes, quæ sunt : Christianismus, Judaismus, Mahumetismus et Paganismus.

351. 1° *Christianismus* comprehendit -1) Ecclesiam Romano-Catholicam, quæ in omnes mundi partes se extendit ; et -2) varias sectas acatholicas, particularibus ditionibus politicis contentas.

352. 2° *Judaismus* complectitur quatuor præcipue sectas : -1) Karaitas, -2) Talmudistas, seu Rabbinistas, per orbem sparsos. -3) Rechabitas in Arabia, -4) Samaritanos in oppido Jaffa, nec non Naplosæ, inter montes Ebal et Garizim.

353. 3° *Mahumetismus* est religio Mahumedis, quæ unum quidem Deum cœli terræque creatorem veneratur, sed ita, ut cultum ei tribuat erroribus confertum. In Asia occidentali et in Africa septentrionali dominatur.

354. 4° *Paganismus* illos religiosos cultus complectitur, qui verum Deum mundi creatorem non agnoscunt, sed ejus loco quælibet alia falsa numina colunt. Præcipui sunt :

1) *Magismus*, seu religio Zoroastri, in Perside et Indostano : colit duo rerum principia, veneratur ignem.
2) *Sabeismus*, in Arabia : adorat corpora cœlestia.
3) *Brahmanismus*, in India : profitetur polytheismum, metempsychosin.
4) *Religio Confusiana* Sinensium : pantheismum et materialismum includit.

5) *Boudhismus*, seu Lamaismus, in Thibeto, in Mongolia, ac partim apud Sinas, Coreenses, Japones ; constat polytheismo et metempsychosi.
6) *Cultus Geniorum*, in Japonia, Corea, Tonkino : politheismus et idololatria.
7) *Sintismus*, in Japonia : colit quoque genia ad instar deorum.
8) *Nanekismus*, in India : mixtura Brahmanismi et Islamismi.
9) *Felicismus*, in Africa et Oceania : varia naturæ corpora sive animata sive inertia adorat [1].

§ II. Religionum a christianismo alienarum inanitas.

355. Omnes religiones istæ a christiana alienæ, Judaismus, Mahumetismus, Paganismus, notas præ se ferunt evidentes reprobationis aut falsitatis.

356. 1° *Religio judaica*, origine quidem divina, et usque ad Christum fuit legitima; per Christum autem, novi Fœderis conditorem, abrogata est : quod futurum prophetæ prædixerant, et Paulus ad ipsos Judæos scribens explicat luculenter [2]. Nec tantum abrogatio cultus judaici prædicta erat; sed etiam templi nationisque dissipatio, et reliquiarum Israelis perduratio, donec convertantur ad Christum [3]. Hæc autem omnia, vel dudum impleta sunt, vel etiamnum impleri cernuntur.

357. Etenim Judæi horribili bello bis profligati sunt, -1) sub Vespasiano, anno 70, quum Jerosolyma capta templumque flammis consumptum est ; -2) sub Hadriano, an. 117, quum, duce Barcocheba, iterum rebellantes Judæi, vel cæsi vel divenditi sunt. — Cumque postea sub Juliano apostata (360) reædificare templum tentassent, teste Ammiano Marcellino [4] divinitus impediti sunt, et ipsa templi fundamenta, quæ remanserant, e terra eruta fuerunt, ita ut non *remaneret lapis super lapidem* [5].

358. Ex illo itaque tempore, non tantum sacrificio et templo carentes, sed vel ipsa templi spe destituti, per orbem divagantur Judæi, in duas sectas distincti, quæ Karaitæ et Rabbinistæ nuncupantur. *Karaitæ* solam Scripturam V. T. admittunt; *Rabbinistæ*, præter Scripturam, traditiones Rabbinorum sequuntur, quæ continentur in Talmud. Hic liber doctrinalis duas habet partes : una vocatur *Mischna*, vel *secunda Lex*, constans traditionibus, quas antiquitus conservatas collegit Rabbi Judas Hakadosch, circa an. 158, tempore Hadriani. Altera pars vocatur *Gemara*, quæ veluti commentarium est, a subsequentibus Rabbinis textui prioris adjectum.

1 Cf. Balbi, *Dictionn. géogr.* —2 Hebr. VIII. 8 seqq — 3 Osee III, 4, 5.— 4 Lib. 28, c. 1. — 5 Matth. XXIV, 2

359. Inter antiquos Judæorum doctores, magnam celebritatem nacti sunt Masorethæ et Cabbalistæ. *Masorethæ* illi sunt, qui sæculo VI fecerunt *masoram*, seu labores varios, ad custodiendam integritatem textus biblici pertinentes. Ipsis debemus textus hebraici punctuationem, quo et facilior fit lectio et certior. — *Cabbalistæ* dicuntur ii, qui circa sæculum X [1] confecerunt *Cabbalam*, seu explicationes quasdam Scripturarum, non vulgares, sed arcanas, ænigmaticas et symbolicas, quibus abdita mysteria, per modum divinationis e sacris litteris eruere conabantur. Multum hæc doctrina vanitatis et superstitionis habet [2].

360. Hos inter doctores erroresque varios, Judæi tamen usque conservant et circumferunt Scripturas V. T., in hoc præcipue intenti et laborantes, ut prophetarum eludant vaticinia de Messia, ne Christum Jesum ut verum Messiam agnoscere cogantur. Quamobrem commentaria et commenta finxerunt innumera. Alii cum Maimonide, sæculi XII Rabbino, Messiam futurum aiunt divitiis et potestate præcellentem, omnibusque populis cum summa auctoritate imperantem; alii duos statuunt fore Messias, unum pauperem, alterum opulentum; alii, rem brevius absolvendam putantes, fidem in Messiam e numero dogmatum expungunt; alii demum, præsertim ex veteribus, dogma de Messia ad mentem Christianorum exponunt, ut Rabbi Abarbanel, qui inter præcipuos Messiæ characteres, futura ejus miracula, et ortum ex familia David enumerat. Hujus notatu digna sunt hæc verba : *Mea sententia dubitandum non est, Messiam, justitiam nostram, natum esse, antequam invaluit magna illa expulsio, occisio, perditio, et exitium Hispanicum* [3]. Cum hoc doctore multi alii, prophetiarum claritate victi, fatentur Messiam natum quidem esse, sed propter Israelis peccata latere absconditum. Scilicet ut Paulus jam dicebat II, Cor. III, 14 : *Obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum diem, velamen positum est super cor eorum.*

361. 2° *Mahumetismus seu Islamismus*, auctorem habuit Mahumedem. Hic natus Meckæ sæculo VI vergente, quum primum mercaturæ deditus varia loca peragrasset, mox perspicaci ingenio intellexit, posse se religionis ope in contribules suos dominari. Arabia, in solitudine sua, multa de antiquis traditionibus pure conservaverat; sed supremi Dei cultui adjecerat

[1] Cf. Bergier, *Dictionn.* artic. *Cabale.*

[2] Tres cabbalæ species a Galatino, enumerantur : — *a*) quædam arcana traditio ; — *b*) lusus superstitiosus verborum et litterarum : quo referuntur mystici numeri *sephiroth* ;—*c*) ea quæ cabbala practica dicitur, et est species necromantiæ, ope litterarum et vocum biblicarum peragendæ.

[3] Cf. Wiest, *Hist. Judaismi*, tom. 2. Item Raymund. Martini, *Pugio fidei*, part. II.

idola, quæ numero 360 in tempro Meckæ colebantur. Divisa autem erat regio illa in tribus, hominum genere robusto compositas. Mahumedes Mecka expulsus anno 622, cum fugisset Medinam in civitatem Meckæ infestam, illamque cum vicinioribus tribubus sibi devinxisset arctissime, Meckam expugnavit. Inde paulatim omnes Arabiæ tribus sparsas in unum collegit, bella inchoavit, rapinasque et victorias in provincias labentis imperii Romanii strenue prosecutus, victis passim suam imposuit religionem hoc verbo : *Crede, vel morere.*

362. *Islam*, seu doctrina Mahumedis, continetur in Alcorano, libro sacro, in quo, non ipsius impostoris manu, qui litterarum ignarus erat, sed aliena manu conscriptæ sunt revelationes illæ absurdissimæ, quas in caverna montis Hara ab Angelo Gabriele se fingebat accepisse. Hujusce doctrinæ præcipua capita sunt, -1) *dogmatica :* a) unus Deus, et missio divina Mahumedis ; b) prædestinatio et reprobatio absoluta ; c) angelorum dæmoniorumque existentia ; d) resurrectio et judicium futurum ; e) purgatorium, et fabulosus saltus pontis Sarat ; f) infernus, et paradisus voluptatum sensualium ; g) fatalismus. — -2) *Moralia* sunt : a) oratio quinquies de die ; b) eleemosyna ; c) jejunium Ramadan, seu jejunium 29 dierum ; d) de virtutibus interioribus, ut sunt humilitas et charitas, non est sermo ; e) potestatis spiritualis et temporalis conjunctio agnoscenda ; f) polygamia licita est exemplo prophetæ, qui 15 uxores et innumeras concubinas habebat ; g) proscripta est fornicatio, quæ tantum licuit prophetæ per revelationem divinam ; h) omnia peccata delentur peregrinatione Meckam instituta ; i) de religionis materiis disputare non licet nisi stricto gladio ; k) qui in bello occumbunt ita sunt certi de paradiso, ut eo frustrari non possint.

363. Jam vero, hujusce religionis falsitas primo intuitu appareret. Nam -1) veritati christianæ est opposita -2) divinitatis notis omnibus destituta est, tam negativis quam positivis, ut facile consideranti patebit.

364. 3° Paganismus, seu religiones ethnicæ supra enumeratæ, nulla excepta, theoreticos errores ac proin notas falsitatis præ se ferunt. Quid, si doctrinæ moralis et cultus fœditatem propius intueremur ? — At, quoniam inter illas religiones quædam sibi divinas revelationes attribuunt, harum revelationum falsitatem directe indigitare juvat. Præcipuæ hujusmodi revelationes sunt : Sinensium, contentæ in libris *Shu-King ;* Indorum, in libris *Vedam ;* Persarum, in *Zend-avesta* At hi libri **-1**) *non sunt divini*, quia nullam divinitatis notam præ se ferunt ; **-2**) *nec possunt esse divini*, quia et veritati christianæ opponuntur, et Deo sunt indignissimi.

365. Ergo omnes religiones [1] a christiana religione alienæ, reprobandæ sunt et falsæ; *ergo Religio christiana, eaque sola, divinitus humano generi est imposita*; quod hoc tractatu erat demonstrandum. — Ergo jam de genuina Christi doctrina est inquirendum, seu de vera ipsius Ecclesia, quod sequentis tractatus erit argumentum.

[1] Religionis mere naturalis, quam sequi se hodiernis temporibus jactant Rationalistæ, mentionem non fecimus; cum ea nullibi per modum publici cultus vigeat, et præterea, ex ipsa supernaturalis revelationis existentia, quam probavimus, insufficiens esse convincatur.

Tractatus III.

DE ECCLESIA CHRISTI.

INTRODUCTIO.

§ I. *Momentum hujusce Tractatus, et christiani orbis universi conspectus.* — § II. *Tractatus argumentum.* — § III. *Propositiones quinque:* 1a *de unitate religionis Christi,* 2a *de perpetuitate genuinæ religionis Christi,* 3a *de immutabilitate ejusdem,* 4a *de integritate ejusdem servanda,* 5a *de tolerantismi protestantici inanitate.* § IV. *Genuina Evangelii circa Ecclesiam Christi doctrina.* — § V. *Errores contrarii.* — § VI. *Tractatus divisio.*

§ I. Momentum hujus Tractatus, et conspectus christiani orbis universi.

1. Tractatum aggredimur de Christi Ecclesia, cujus non secus ac præcedentis gravissimum est in theologia momentum. Sicut enim omnis controversiæ cum *achristianis* solutio Christus est, ita cum *acatholicis* omnis controversiæ solutio Ecclesia est. Ecclesia ergo est abbreviata quædam ad omnem veritatem via, dissidenti cuilibet patens ac plana ; et quemadmodum tractatio de *religione christiana* eo spectat ut homo fit Christianus ; ita tractatio *de Ecclesia* eo pertinet, ut Christianus fiat Catholicus.

2. Notum est enim, non omnes Christianos esse Catholicos ; sed gentes, quæ christianæ vocantur, in plurimas ac diversissimas confessiones, seu ecclesias, esse divisas, quæ omnes Christi religionem profiteri sese contendunt. Sunt autem præcipuæ sequentes : 1° Ecclesia catholica ; 2° ecclesiæ schismaticæ ; 3° sectæ hæreticæ.

3. 1° *Ecclesia catholica* est Ecclesia Romana, cum universa sua per omnes mundi plagas ditione, seu obedientia [1] ; et complectitur fidelium circiter 170 millium millia [2].

4. 2° *Ecclesiæ schismaticæ*, quæ complectuntur circiter 62 millium millia adhærentium, præcipuæ sunt : *ecclesia Græca*, sub patriarcha Constantinopolitano ; *Russiaca*, sub synodo imperiali Petroburgiensi ; *Anglicana*, sub reginæ Angliæ suprematia.

5. *Schismatis græci* auctor fuit Photius (857), qui cum sedem Constantinop. invasisset, a Nicolao I et Adriano II, ac demum

[1] Cf. Haine, *De la Cour romaine*, t. 2, p. 247. Louvain 1861.

[2] Cf. Perrone, *De Ecclesia*. n. 237 in notis. — Item Terwecoren, *Précis hist.*, 1856, pag. 328. — Consonat commentarium statisticum D. Dicterici, in *Bulletin géographique de Gotha*, Januar. 1859.

a Concilio Œcum. CP. IV. (869, sub Adriano II), damnatus est. Post ejus obitum pax aliquo modo restituta ; sed remanserunt discordiæ semina, donec per Cerularium, sæc. XI, schisma consummatum sit. Sæpius deinceps reconciliatam unionem, præsertim in Conc. Lugd. II (1274), et Flor. (1439), irritam fecit Græcorum mala fides.

6. *Russorum schisma* Græcorum defectionem serius secutum est. Fides in Russiam allata fuit sæculo X labente, stante unione Græcos inter et Romanos. Ecclesiæ in illis regionibus fundatæ, subditæ fuerunt Patriarchæ CP^no^ quo deficiente a communione Romana, et ipsæ pariter deficere cœperunt. Horum schisma solummodo circa an. 1450, per Photium Kiowiensem, fuit consummatum. Anno 1580 Episcopus Moscoviæ creatus est Patriarcha Russorum; et 1680 Patriarcha Nicon ab auctoritate Patriarchæ CP^ni^ penitus se subtraxit. Demum ipsi patriarchali autoritati *Concilium Ecclesiasticum*, cui Imperator præsidet, ab Imperatore Petro I substitutum est.

7. *Anglicana ecclesia*, cum per schisma Henrici VIII (1533) ab Ecclesia Romana avulsa fuerit, merito quidem schismaticis sectis annumeratur; reipsa vero, non minus quam reliquæ Protestantium communiones, hæresibus est corrupta.

8. 3° *Sectæ hæreticæ*, quæ sequacium circiter 58 millium millia complectuntur, aliæ sunt orientales, aliæ et quidem majore numero, occidentales.

9. *Orientales sectæ*, quæ etiam ecclesiæ vocantur, omissis iis quæ ad ecclesiam græcam pertinent, sunt quatuor : 1° *Chaldaica* seu Nestoriana, quorum patriarcha residet in monasterio Elkong, prope Mossul. — 2° *Syriaca*, sub patriarcha Antiocheno, dicta quoque *Jacobitica*, quia errores sequitur Jacobi Bradæi, sæculi VI Monophysitæ ; quibus erroribus dein Monothelitarum placita adjecta sunt. — 3° *Armena*, Eutychetis quoque erroribus infecta, cujus patriarcha residet Ecmiasi, in urbe Persidis. — 4° *Alexandrina*, quæ et *Coptica* dicitur, a lingua coptica seu ægyptiaca, quam in liturgia usurpat. Hæc secta Christianos non tantum Ægypti, sed et Nubiæ et Æthiopiæ, sub patriarcha Alexandrino Jacobita complectitur. Æthiopum Episcopus, qui et ipse patriarcha nominatur, Alexandrino adhæret.

10. Non desunt in oriente Catholici, qui, inter schismaticos et hæreticos disseminati, ad quatuor classes referuntur. Sunt enim : 1° *Græci uniti*, qui Romani Pontificis primatum agnoscunt. — 2° *Maronitæ*, qui de gente sua Patriarcham habent. — 3° *Syri*, sub Patriarcha catholico Anthiocheno. — 4° *Armeni*, qui præter varios in Asia Episcopos, Patriarcham habent, in urbe Sis Ciliciæ residentem [1].

[1] Cf. Lebrun, tom. 2, diss. 6, art. 1 ; diss. 9, art. 2 ; Lequien, *Oriens christian.*, t. 3, p. 47, n. 45 et t. 2, col. 732; Butler, edit. Louvain, *Vie de saint Maron*, 14 février.

11. *Occidentales* sectæ communi nomine vocantur Protestantes, quorum præcursores fuerunt Wicleff in Anglia (1369) et Joannes Huss in Bohemia (1400). — Parentes autem ac duces Protestantium sunt : -1) *Lutherus* antesignanus (1517), cui favent Fridericus et Joannes duces Saxoniæ, ac Philippus Landgravius Hessiæ ; cuique in propaganda doctrina tanquam minister subservit *Philippus Melanchton*. — -2) *Zwinglius*, dux Sacramentoriorum [1519], cui subservit *Œcolampadius*. — -3) *Munzer*, et dein *Joannes de Leyden*, Anabaptistarum princeps [1525]. — -4) *Henricus VIII* et *Cranmer*, schismatis Anglicani auctores [1533]. Hujusce schismatis opportunitate, nascuntur in Anglia sectæ hereticæ plurimæ : Puritanorum, Presbyterianorum, Methodistarum, etc.— -5) *Calvinus et Beza*, qui reformationem suam in Helvetia, Gallia et Hollandia spargunt [1535]. — -6) *Socini ambo*, Lelius [† 1562] et Faustus († 1604), quorum discipuli Sociniani, Antitrinitarii, vel Unitarii dicuntur. — -7) *Arminius*, cujus doctrina a *Gommaristis* damnatur in synodo Dordrecht (1616).

§ II. Tractatus argumentum.

12. Quoniam, inter tot discrepantes sectas christianas, quænam sit vera a Christo instituta religio, non primo statim intuitu apparet ; idcirco tractatus *de Ecclesia* subjicitur, cujus est inquirere, sive demonstrare, ubi genuina Christi doctrina inveniatur. Sicut supra ostendimus inter omnes totius orbis religiones, solam veram ac divinam, esse christianam ; ita nunc probare debemus, inter omnes christianitatis sectas, solam veram esse ac genuinam Ecclesiam catholicam.

13. Connectitur ergo tractatus *de Ecclesia* cum tractatu *de religione christiana*, sicut pars cum parte ejusdem totius ; sicut complementum cum opere inchoato, ædificium cum fundamento. Continet enim partem alteram *theologiæ generalis*, qua quæritur quænam sit vera religio. Huic quæstioni initio respondimus generali hac propositione : *Vera ac divina religio repeti debet a S. Scriptura et Traditione, sub magisterio Ecclesiæ Romanæ*. Ad hanc autem propositionem probandam, sequenti ratiocinio usi sumus : vera ac divina religio repeti debet a S. Scriptura et Traditione, sub magisterio Ecclesiæ Romanæ, si 1° Deus religionem christianam, eamque solam, hominibus constituit ; et eam 2° Ecclesiæ Romanæ commisit custodiendam, ac 3° depositam in Scriptura et Traditione, eidem Ecclesiæ dedit interpretandam : — atqui 1° Deus constituit hominibus religionem christianam, eamque solam ; 2° hanc religionem christianam Deus Ecclesiæ Romanæ commisit custodiendam ; — ac 3° eam depositam in Scripturis et Traditione eidem Ecclesiæ dedit interpretandam ; ergo.

14. Jam vero, hujusce *minoris* prima pars hactenus, in superiore tractatu *de religione christiana*, probata est. Altera nunc tractanda occurrit *de Christi Ecclesia*, seu de genuina Christi religione dignoscenda; quæ tractatio, ut patet, præcedentis continuatio est et complementum.

§ III. Propositiones quinque.

15. Proposita inquisitio de genuina Christi doctrina, principia nonnulla supponit, quæ ex præcedenti tractatu [1] fluunt, et hic in lumine sunt collocanda. Supponit scilicet christianam religionem genuinam, qualem nempe ipse Christus instituit, inveniri posse; eamque inquirere et suscipere omnino necessarium esse ad salutem. In quo supposito quinque continentur: 1° Christum religionem instituisse unicam, non vero diversas christianismi formas; 2° hanc incorruptam permansisse, et etiammum permanere; ac proin inter varias christiani nominis sectas, unam esse debere, eamque solam, quæ vera Christi religio sit; 3° Christi doctrinam ita esse immutabilem, ut nequaquam sit sensu protestantico perfectibilis; 4° eam integre, nullo neglecto articulo, recipiendam esse; 5° non dari inter varias confessiones christianas liberam optionem, sive indifferentiam. — Quæ quinque totidem distinctis propositionibus declaramus.

PROPOSITIO I.

Christus instituit religionem unicam.

16. PROB. 1° Religio Christi est novum Testamentum, seu novum fœdus Deum inter et homines; atqui hoc a prophetis exhibetur ut unica adimpletio veteris; ergo religio Christi est unica adimpletio veteris Testamenti; ergo est unica.

17. 2° Christus mittit Apostolos ut *prædicent Evangelium*, (non *Evangelia*), *omni creaturæ* [2]; *ut doceant omnes gentes, servare omnia quæcumque mandavit* [3]; ergo unam eamdemque religionem, totamque Christi doctrinam, Apostoli omnibus prædicare jubentur; ergo Christus religionem instituit unicam.

18. 3° Ephes. IV, 5: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

1 Ubi demonstratum fuit, Christum divinitus constituisse legem universalem, æternam. Cf. tract. *De relig., christ.* cap. 1, art. 3, n. 345.

2 Marc. ult. — 3 Matth. ult.

PROPOSITIO II.

Christiana religio, quæ a Christo tradita est et ab Apostolis promulgata, hodiedum perdurat.

19. PROB. 1° Vera religio Christi hodiedum perdurat, si divini auctoris sui voluntate perpetuo durare debet; atqui ita est; ergo.

20. *Prob. min.* Verbis Christi, Matth. XXVIII, 19: *Euntes ergo docete omnes gentes..... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

21. 2° *Consensu* omnium societatum christianarum, quæ semper contenderunt, et etiamnum contendunt, se veram Christi doctrinam possidere.

22. COROLLARIUM. Ergo, inter diversas christiani nominis sectas, una est, et non nisi una, quæ sit vera religio Christi.

PROPOSITIO III.

Christi religio ita est immutabilis ut perfectibilitate careat.

23. Sensus propositionis est, religionem a Christo statutam nequaquam esse variabilem; nec ullo pacto, non tantum in deterius, sed neque in melius mutari posse.

24. *Perfectibilitas* hic intelligitur *objectiva* et *substantialis*, ac sensu protestantico accepta; in hoc nempe consistens, ut religio Christi in perfectiorem mutari, et dogmata ejus in dogmata perfectiora renovari possint; fere ut Antiquum Testamentum per Novum in melius mutatum ac renovatum est: perinde ac si religio christiana, quemadmodum humana industria, progredi et perfici possit.

25. Hæc perfectibilitas objectiva et substantialis, non est confundenda cum perfectibilitate *subjectiva* et *accidentali*, quæ potius est explicatio vocanda; qua nimirum illud ipsum verbum, per Christum et Apostolos seminatum, evolvitur et explicatur, ita ut non mutetur in aliud, sed idem in se permanens, majorem quoad nos claritatis gradum acquirat. — Hujusmodi profectus, aut si placet, perfectibilitas, admitti potest et debet; quatenus, ut pulcherrime Vincentius Lirinensis exponit, *vere profectus est ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquæque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum; quæ licet*

annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quæ erant permanent... Ita etiam christianæ religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumque permaneat; et universis partium suarum mensuris, cunctisque quasi membris ac sensibus propriis, plenum atque perfectum sit, quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullum definitionis sustineat varietatem [1].

26 PROB. 1° Si christiana religio in perfectiorem mutari posset, hoc ideo fieret, quia Apostoli eam imperfecte tradiderunt vel quia Christus eam imperfecte docuit; atqui neutrum dici potest. Joan. XVII, 4 : *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* — Ibid. XV, 16 : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* — Ibid. XIV, 26 : *Paracletus Spiritus sanctus... vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.*

27. 2° Perfectio religioni accederet, vel per incrementum, vel per imminutionem traditorum dogmatum : at neutrum dici potest. Hujusmodi enim in lege evangelica mutatio legitime fieri non posset, nisi de Christi legislatoris auctoritate ; atqui nemini Christus hanc auctoritatem commisit aut committet unquam. -1) Non commisit : etenim Apostolis suis nihil, præter Evangelii sui promulgationem atque custodiam, demandavit, Matth. ult.: *Docete..... servare omnia quæcumque mandavi vobis.*—Gal. I, 8: *Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* -2) Neque committet unquam : etenim *a*) id clare innuunt citata verba ad Gal. I; *b*) idem ex eo patet, quod fides Ecclesiæ dicitur una, atque fundata super fidem Apostolorum [2] ; *c*) idem docent unanimiter SS. Patres, ut Irenæus [3], Hieronymus [4], Vincentius Lirinensis [5].

PROPOSITIO IV.

Distinctio inter articulos fidei fundamentales et non fundamentales, sensu Protestantium, admitti non potest.

28. Dicitur *sensu Protestantium* [6] quia articuli *fundamentales* sensu *catholico* distingui etiam possunt. Non enim immerito *fundamentales* vocaveris illos fidei articulos, quos fide explicita scire et credere debent omnes, necessitate medii ad salutem ; *non fundamentales* vero, illos, quos si quis citra culpam suam ignoret, non ideo pereat.

[1] *Commonit.* c. 23. Quod caput integrum, imo totum opusculum, summa utilitate legetur. — [2] Eph, IV, 5 et II, 20. — [3] *Cont. hæres.* l. 3, c. 3.
[4] In illud Ps. 86: *Dominus narravit in Scripturis populorum et principum, horum qui fuerunt in ea.* — [5] *Commonit.* c. 2 et 22 — Cf. Suar. tom. XI, *de fide*, disp. 2, sect. 6.—[6] Cf. Regnier. *Tract. de Eccl.*, sect. 2, apud Migne, *Cursus theol.* tom. 4, col. 264 et seqq. ; item Bergier, *Dictionn.* art. *Fondamental.*

29. Sensu itaque *Protestantico*, articuli *fundamentales* sunt quædam dogmata, quæ ideo credi debent ad salutem, quia illis negatis negatur tota christiana religio, iisdem tanquam fundamentis superstructa. *Non fundamentales* ii sunt qui, licet fidei partes dicantur a quibusdam christianis societatibus, impune tamen rejici possunt. Sic, Christi divinitas fundamentalis articulus ; primatus vero Romani Pontificis, et transsubstantiatio Eucharistica, non fundamentales possent appellari.

30. Hæc distinctio primum posita ab Hunnio, adoptata fuit a multis Protestantibus, præcipue a Jurieu, qui systema suum *de unitate Ecclesiæ* [1] in ea fundavit. Ideo scilicet distinctio illa assumitur, ut imminuto dogmatum credendorum numero, plures sectæ possint Ecclesiæ ac fidelium cœtui annumerari.— At definire nequaquam potuerunt Protestantes, quinam articuli fundamentales sint. Nec ipse Jurieu illud stabilire potuit duplici, quam statuit regula, nimirum : 1ª *habeatur pro errore fundamentali, quodlibet doctrinæ genus, quo destruatur, vel gloria Dei, vel hominum beatitudo ;* 2ª *habeatur pro fundamentali veritate, dogma quodcumque, perpetuo et universali Christianorum assensu confirmatum.* Cujusmodi regularum inanitatem et incertitudinem nemo non videt.

31. PROB. Distinctio illa ipsis Protestantibus rejiciendaest, si 1° probari non potest ex Scriptura, 2° evertit auctoritatem Christi, 3° destruit legem Christi, 4° absurda trahit consectaria, 5° ipsum Protestantium schisma condemnat; atqui etc.

32. 1° *Non probatur ex Scriptura.* 1° Nam Scriptura de hoc systemate non tantum silet, sed illud excludit diserte. Matth. et Marc. ult. : *Docete... servare omnia quæcumque mandavi...— Prædicate Evangelium.... qui non crediderit condemnabitur. — O Timothee, depositum custodi* [2]. *Et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere* [3]. *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum* [4], *devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* [5].

33. 2° *Evertit auctoritatem Christi,* adeoque totam fidem. Si enim vel unicum Christi verbum negligere licet, eodem jure omnia licebit negligere ; siquidem omnia eadem auctoritate divina sancita sunt.

34. 3° *Destruit legem Christi,* eam tradendo cujusque arbitrio.

[1] Ipse Bayle, hujus operis impietate commotus, vehementer auctorem exagitavit, edita confutatione sub hoc titulo : *Janua cœlorum reserata cunctis religionibus, a celebri admodum viro Dno Petro Jurieu ;* cum epigraphe: *Porta patens esto nulli claudatur honesto.* — [2] I Tim. VI, 20. — [3] II Tim. II, 2.
[4] II Tim. I, 13. — [5] I Tim. VI, 20, 21.

Cum enim Protestantes definire non possint, qui sint vel non sint articuli fundamentales, eos omnium arbitrio permittunt ; ita ut unusquisque, contendendo se fundamentalia tenere, quæ libuerit amplecti possit.

35. 4° *Absurda consectaria trahit.* -1) Admisso istiusmodi systemate periret fides et obligatio credendi ; nam, cum articuli fundamentales seu obligatorii non possint determinari, non datur obligatio certa credendi ; ergo practice obligatio nulla. -2) Tuta salutis via præcluderetur, quam Christus tamen tutissimam aperuit [1]. -3) Admittendus esset indifferentismus ; si enim vera fides determinari non potest, non est cur una confessio alteri præferatur. -4) Vera fides fuisset ignota per 15 sæcula, cum de articulis fundamentalibus nihil usque ad sæc. XVI fuerit auditum. Etenim, omni tempore, hæretici damnati sunt, non quia articulos fundamentales non recipiebant, sed quia novitates inferebant ; nec ullus hæreticus fuit, qui quod facillimum erat, sese defenderit dicendo : *Fundamentalia non lædo.*

36. 5° *Ipsum Protestantium schisma condemnat.* Tunc enim solum ab Ecclesia Romana legitime recedere potuissent, cum fuisset probatum, ipsam articulos fundamentales non amplius habere : atqui hoc nunquam probatum fuit : ergo nullam legitimam rationem habuerunt Protestantes ab Ecclesia Romana deficiendi.

37. OBJIC. Dicit Apostolus I Cor. III, 10 seq.: *Ut sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est.* Ergo Apostolus distinguit inter fundamentalia fidei, et alia, quæ unusquisque libere superaddere potest. — R. *Neg. conseq. seu interpretationem.* Etenim -1 hæc interpretatio de articulis fundamentalibus liberisque Protestantium, nulla probabilitate nititur ; cum ante seculum XVI fuerit inaudita, neque ex Apostoli verbis extorqueri, nisi per summam violentiam, possit. — Sensus probabilior, atque obvius hujus loci est, ut nomine *fundamenti* a Paulo positi, tota Evangelii doctrina significetur quam Apostolus prædicavit, quamque Apollo, Cephas, aliique secundarii præcones fidelibus explicare tenebantur. Verum, uti videtur, quidam ex his præconibus, non debita simplicitate, sed mundanæ quadam ostentatione facundiæ, illud ministerium obibant ; adeo ut alii præ aliis, audientium favorem captarent, atque ita divisionibus ansam præberent. Quem abusum perstringit Apostolus.

38. Si tamen Apostolus hic alludat ad præconum minus rectam doctrinam, censendus est de illa doctrina loqui, quæ non fidem corruptam, sed tantum superfluas legis Mosaicæ obser-

[1] Joan. III, 16.

vantias, vel temerarîa quædam philosophiæ placita fidelibus commendaret. Fatetur enim super Christum eam esse fundatam. — Propterea etiam hujusmodi defectus in docendo, cum fidei substantiam non lædant, pœna tantum temporali mulctandos esse asseverat; eum vero qui aliquo errore corruperit doctrinam, assimilat violanti templum Dei, quem certus interitus manet: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* I Cor. III, 17.

PROPOSITIO V.

Non datur indifferentia, aut libera optio inter varias sectas christianas.

39. PROB. Propositio nostra, quæ statuit tolerantismum protestanticum damnandum esse, id jure merito statuit, si falsus est ille tolerantismus, impius et pernisiosus; atqui talis est. Ergo.

40. 1° *Falsus* est: nam inter omnes sectas non est nisi una vera Christi religio [1]; hæc autem prorsus necessaria est ad salutem.

41. 2° *Impius*: quia Christo attribuit doctrinas contradictorias. Varias enim confessiones, inter se pugnantes, æque Christum auctorem habere, Deoque placere supponit.

42. 3° *Perniciosus*: nam, si vel probabile tantum sit, inter confessiones christianas existere unam, qua sola Deus coli et homo finem suum consequi possit; perniciosa sane res esset hanc unam non amplecti; nec minus perniciosa illa doctrina, quæ hominis arbritio permitteret, ut hanc unam confessionem amplecteretur vel non amplecteretur; atqui confessionem unam esse, qua sola Deus coli et homo finem suum consequi possit, non solum probabile sed certum est (supra Prop. II.); ergo.

43. *Conclusio generalis*: Ergo inter varias christiani nominis confessiones, una et genuina Christi doctrina existit, quam omnes integre amplecti sub pœna damnationis, adeoque et sincero animo inquirere tenentur. — Hanc autem genuinam Christi religionem ab Ecclesia Romano-Catholica non distingui, sed eamdem ipsam esse, hoc Tractatu asserimus et demonstramus.

44. Quæ demonstratio quo clarius procedat, Evangelii circa Christi Ecclesiam doctrina, in decursu Tractatus probanda, jam hic in limine oculis subjicienda videtur.

§ IV. Genuina Evangelii doctrina circa Ecclesiam Christi.

45. *Prænot.* Scribitur in titulo doctrina *Evangelii*, non vero doctrina *catholica*, seu Ecclesiæ catholicæ; quia supponimus adversarios hactenus Evangelium quidem, nondum vero Ecclesiæ catholicæ fidem, tanquam veritatis normam, amplecti. Postquam agnoverint divinam auctoritatem Ecclesiæ catholicæ,

[1] Supra, prop. 2, coroll. n. 22.

tunc ab ore ejus recipient, tanquam dogmata fidei, ea quæ nunc, ut veritates historicas, per rationem et humanam auctoritatem demonstratas, admittunt. Hinc intelliges, hæc duo puncta : *Christi religio est divina ;* et, *Ecclesia Romano-catholica est vera Christi Ecclesia ;* — esse simul præambula ad fidem et fidei dogmata. 1° Sunt præambula ad fidem, respectu subjecti fidem inquirentis et recipientis. Hujusmodi enim homo naturalibus rationibus, cooperante gratia, debet cognoscere Christi religionem esse divinam, et Ecclesiam ejusdem religionis esse interpretem. Hæc duo, licet intelligat esse divinitus revelata, et ea credere possit *fide divina* [1] ; nondum tamen habet ut *dogmata fidei catholicæ*, quia nondum ea credit ut ab Ecclesia proposita [2], et ut Ecclesiæ subditus. — At 2° postquam Ecclesiam agnovit ut divinum Christi oraculum, ipsam audit bina illa puncta proponentem et dicentem : *Christi religio est divina, — et ego sum ejusdem interpres infallibilis constituta.* Tunc itaque homo Ecclesiæ discipulus, eadem puncta audit tanquam dogmata fidei catholicæ, eaque *fide catholica* credit. Hinc intelligitur, theologos non incidere in circulum vitiosum, neque revelationem christianam per Ecclesiam, et eamdem Ecclesiam per revelationem, perpetua petitione principii probare.

46. Quibus præmissis, en circa Ecclesiam Christi Evangelica doctrina :

47 1° Christus instituit Ecclesiam ; religionis suæ depositariam, unam, sanctam, catholicam, apostolicam ; extra quam nulla est salus [3].

48. 2° Christi Ecclesia non est invisibilis, nec constat ex solis prædestinatis [4], aut ex solis justis [5] ; sed eos omnes et solos complectitur qui non sunt infideles, cathechumeni, hæretici, schismatici, aut excommunicati [6].

49. 3° Ecclesiæ corpus constituitur ex clericis et laicis, divino jure ab invicem distinctis [7] ; clerici autem hierarchice dividuntur in Episcopos, Presbyteros et Ministros [8].

50 4° Dotes, Ecclesiæ a Christo collatæ, sunt indefectibilitas in existendo, infallibilitas in docendo, auctoritas in regendo.

51. 5° Ecclesia Christi perpetua est, immutabilis et prorsus indefectibilis usque ad consummationem sæculi [9].

[1] Cf. Tract. *De virtutibus*, cap. 2, art. 2, sect. 3. — [2] Cf. *Prolegom.* c. 2, art. 3, n. 151. — [3] Later. IV. — [4] Damn. art. 1, 3, 5, 6, 21 ex 30 Joann. Huss, damnatis a Concil. Constant. et Martino V, per Bullam *Inter cunctas*. 8 Kal. Mart. 1418, et Bullam *In eminentis*, ejusd. diei. — Item Quesnell. 72.

[5] Trid. Sess. 6, can. 28 ; Quesn. 72, 78 ; Pistor. 15. — [6] Cf. infra, c. 1, art. 2. Quæst. *de extensione corporis Eccles.*, n. 183. — [7] Trid. Sess. 23, cap. 4, can. 7. — [8] Ibid., can. 6 et 7. — [9] Joan. XXII, *Constitut.* 1318 *contra Fratic.* ; Quesn. 35 seqq.

52. 6° Eadem infallibilis est [1], in iis omnibus quæ ad fidem et mores pertinent; nec non in factis dogmaticis decernendis [2]. Ejus quoque est, judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum [3].

53. 7° Ecclesia divinitus accepit potestatem, tum legislativam tum coactivam, ut independenter et supremo jure sanciat exteriorem disciplinam, et cogat fideles ad eam observandam, atque devios et contumaces salutaribus pœnis coerceat [4].

54. 8° Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia, Una, Sancta, Catholica et Apostolica, omnium Ecclesiarum mater et magistra [5].—Romanus autem Pontifex, Beatri Petri Apostolorum principis successor, ac Jesu Christi Vicarius, in universum orbem tenet primatum; totiusque Ecclesiæ caput est, et omnium Christianorum Pater ac Doctor; ipsique in B. Petro, pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, a D. N. J. C. plena potestas tradita est [6].

§ V. Errores contrarii.

55. Hostes Ecclesiæ alii sunt Schismatici, alii Hæretici.

56. 1° *Schismatici* præcipui, qui se a Romani Pontificis auctoritate subtraxerunt, sunt: *Novatiani* [250], *Donatistæ* [311], *Acaciani* [480], *Photiani* [860], seu *Græci*, ad quos referuntur et *Russi* [1450]; demum *Anglicani* [1535].

57. 2° *Hæretici* sunt sequentes: *Donatistæ* [311], qui docebant solis justis, et ab omni saltem graviori crimine alienis, Ecclesiam constare. Dein destruebant Ecclesiæ catholicitatem, contendentes eam, ob communionem cum Cæciliano, ubique terrarum velut contagione exstinctam, in sola Africa penes Donati partes remansisse; ideoque extra suam sectam baptizatis jubebant iterari sacramenta.

58. *Aeriani* [350] destruebant hierarchiam, cum presbyteros Episcopis æquarent.

59. *Albigenses* [1140] negabant jurisdictionem ecclesiasticam.

60. *Circumcelliones* [1249], Waldensium soboles, docebant Ecclesiam defecisse; verbum Dei a Pontifice, Episcopis et sacerdotibus fuisse corruptum.

1 Luth. 27, ubi supra; item Œcum. VII, Nic. II, an. 787 in *Defin.*
2 Clem. XI, Constit. *Vineam Domini;* Pistor. 13. — 3 *Professio fidei*, Trident. a Pio IV præscripta. — 4 Pistor. 5, 68; art. 12 Wicleff. damn. a Conc. Constant. et Mart. V; — Bulla Joan. XXII, *Licet juxta doctrinam.* Cf. Litteras apostol. Pii IX, quibus damnat errores Nuytz, 22 aug. 1851.
5 *Professio fid.* Trid.; *Professio fid.* Clem. IV, Lugd. II.
6 *Professio fid.* Trid.; *Decret. Unionis Græcorum*, in Flor.; *Prof. fidei de primatu*, Clem. IV in Lugd. II. Hæc autem omnia solemniter confirmata et declarata sunt Vaticana Constitutione *Pastor æternus.*

61. *Dulcinistæ* [1308] docebant, a tempore S. Sylvestri Romanam Ecclesiam defecisse.

62. *Fratres spirituales, aut de vita paupere* [1318], contendebant, sub adventum S. Francisci Ecclesiam Romanam factam esse meretricem Babylonicam, Papam vero Antichristum; Ecclesiam penes se stare paupertate firmatam.

63. *Marsilius Patavinus* et *Joannes de Lauduno* [1327], B. Petri primatum et Ecclesiæ potestatem negabant.

64. *Wicleffitæ* [1377] docebant, Ecclesiam Christi solis constare prædestinatis; Ecclesiam Romanam esse Synagogam Satanæ; non esse de necessitate salutis credendum, illam esse inter alias Ecclesias supremam; Papam non esse proximum et immediatum vicarium Christi.

65. *Hussitæ* (1402) erroribus Wicleffii addebant: non oportere esse unum visibile caput Ecclesiæ; Petrum hujusmodi caput non fuisse; Rom. Pontificem nequaquam Ecclesiæ universalis, imo ne particularis quidem Romanæ Ecclesiæ esse caput, saltem si malus sit aut reprobus.

66. *Petrus de Osma* et *Joannes de Wesalia* [1490], circa auctoritatem et infallibilitatem Ecclesiæ errarunt.

67. *Janseniani et Quesnellistæ* docuerunt, Ecclesiam non esse infallibilem in decernendis factis dogmaticis [1]; Ecclesiam conflari ex solis justis et electis; Pastores Ecclesiæ non habere potestatem excommunicandi nisi ex consensu, saltem præsumpto, totius fidelium corporis. Idem principium statuerat Richerius [1612], docens[2] potestatem fuisse collatam corpori Ecclesiæ, a quo confertur Pastoribus, qui eam nomine populi exercent; sicut visio, aiebat, data est corpori, sed per oculos exercetur.

68. *Protestantes* rejiciunt auctoritatem Ecclesiæ, et primatum Romani Pontificis; tollunt hierarchiam omnem divinitus institutam. Dein, Episcopos et presbyteros confundunt sub nomine *Seniorum*. Hujus erroris præcipui patroni fuerunt Moshemius, Salmasius, Blondellus et Basnagius. — Anglicani servarunt hierarchiæ speciem, sed civili potestati mancipatam. Visibilitatem quoque Ecclesiæ Lutherus et Calvinus negarunt, ut ea sublata, facile suos errores promulgarent, qui visibilis Ecclesiæ lumine jam detegi non possent. Lutherus[3]: *Quis*, ait, *Ecclesiam nobis monstrabit? cum sit occulta in spiritu, et solum creditur: Credo Ecclesiam sanctam*. Calvinus[4]: *Nobis*, inquit,

[1] Occasione Constitutionis Innoc. XI, 1653, damnantis quinque propositiones desumptas ex libro Jansenii cui titulus *Augustinus*.
[2] *De eccles. et politica potestate.* — [3] Libro *De abroganda Missa*.
[4] *Institut.* l. 4, c. 1.

invisibilem, solius Dei oculis conspicuam Ecclesiam credere necesse est. — Mutarunt nihilominus Protestantes sententiam suam. In Confessione enim Augustana, quam Melanchton cudit, legitur [1]: *Ecclesia est congregatio sanctorum, in qua recte docetur Evangelium, et recte administrantur Sacramenta;* ideoque per illa Ecclesiam reddi visibilem affirmatur. — Cum vero a Catholicis objiceretur, Lutheranam et Calvinianam sectas, utpote novitias, neque ante Lutheri et Calvini tempora visibiles, esse non posse veram Christi Ecclesiam; Protestantes, ut se a molesta objectione expedirent, asseruerunt, ecclesiam suam primævis temporibus pulcherrime floruisse; per aliquot vero sæcula, Pontificum ac monachorum tyrannide oppressam, latitasse, donec per Lutherum et Calvinum pristinæ libertati restitueretur. Qua in re veteres hæreticos Donatistas strenue imitati sunt, qui, teste Augustino [2], asserebant, veram Christi Ecclesiam per totum orbem periisse: eamque in sola Africa ita occultam permansisse, ut pluribus annis cognosci non potuerit, usque ad tempora Donati.

§ VI. Divisio Tractatus.

69. Tractatus dividitur in duo capita, juxta sequentem ratiocinii processum. Generalis propositio Tractatus est: *Ecclesia Catholico-Romana est sola vera Christi Ecclesia.* — Ad quod probandum ita ratiocinamur: Ecclesia Romana est sola genuina Christi Ecclesia, si Christus Ecclesiam instituit qualitatibus cognitis instructam, et si Ecclesia Romana sola has qualitates habet; atqui hæc duo constant; ergo. *Minor* probanda continet duo Tractatus capita:

Caput I, *de Ecclesiæ Christi constitutione.*
Caput II, *de Ecclesiæ Christi cum Ecclesia Romana identitate.*

[1] Art. 7, Cf. Mœhler, *La Symbolique*, c. 5, § 46.
[2] Lib. *De hæresib.* c. 69.

CAPUT PRIMUM.

DE ECCLESIÆ CHRISTI CONSTITUTIONE.

70. Ut plene quæ ad Ecclesiæ pertinent constitutionem pertractemus, non solum ostendere debemus Ecclesiam a Christo fuisse institutam ; sed etiam qualis instituta fuerit, e Scripturis et Christianorum traditionibus aperire.

71. Tota scilicet Ecclesiæ a Christo constitutæ forma delineanda est ; et quæ sit ejus natura, quæ proprietates ac dotes ejus, et quibus notis fulgeat, demonstrandum. Hæc tribus articulis complectemur.

Articulus I, *De Ecclesiæ institutione.*
Articulus II, *de ejus natura.*
Articulus III, *de ejus proprietatibus et notis.*

ARTICULUS I.

DE ECCLESIÆ INSTITUTIONE.

Quæstiones *de Ecclesiæ notione.*
Propositio I, *de Ecclesiæ institutione.*
Propositio II, *de hujus institutionis fine.*

QUÆSTIONES.

1° *Quid significat* ECCLESIÆ *vocabulum ?* — 2° *Quæ sunt variæ nominis* ECCLESIÆ *acceptiones ?* — 3° *Quæ est essentialis notio veræ Ecclesiæ Christi ?* — 4° *Quomodo definitur vera Christi Ecclesia ?* — 5° *Quomodo differunt hæc tria : fides, religio, Ecclesia ?* — 6° *Quibus nominibus Ecclesia in Scriptura designatur ?* — 7° *Quibus figuris et parabolis adumbratur ?

72. QUÆR. 1° *Quid significat Ecclesiæ vocabulum?* — R. Vox *Ecclesiæ*, a verbo græco Ἐκκαλέω, idem sonat ac *evocatio*, seu evocatorum cœtus. Differt a voce *synagogæ* quæ, a verbo græco συνάγω derivata, *congregatio* est. Hoc posterius nomen populo Judæo, prius e contra populo christiano designando inservit. Et merito : nam juxta S. Augustinum [1], *Judæi, quod carnales essent, pecorum more congregari dicebantur ; Christiani vero, quod spirituales sint, more creaturarum ratione præditarum evocari debent.*

[1] *Comment.* in Epist. ad Rom.

73. Q. 2° *Quæ sunt variæ nominis Ecclesiæ acceptiones?* — R. Vox. *Ecclesia* -1) usurpatur, vel *tropice*, pro loco ubi evocatio fit, ut I Cor. XI, 18 : *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio esse scissuras ;* vel *proprie*, pro cœtu ac multitudine evocatorum.

74. -2) Ecclesia proprie usurpata, accipitur vel *in bonam partem*, ut Ps. CXLIX : *Laus ejus in ecclesia sanctorum ;* — vel *in malam*, ut Ps. XXV : *Odivi Ecclesiam malignantium ;* — vel *in indifferentem*, ut Ps. CVI : *Exaltent eum in ecclesia plebis.*

75. -3) Ecclesia in bonam partem accepta, sumitur vel *late* vel *stricte*. — *Late*, pro *cœtu colentium Deum:* et sic complectitur, tum Ecclesiam triumphantem, tum patientem, tum militantem seu homines viatores in terris. — *Stricte* pro *cœtu fidelium*, quæ denominatio proprie viatoribus seu Ecclesiæ militanti convenit.

76. -4) Ecclesia *stricte sumpta*, accipitur iterum vel *communius*, vel *singulariter*. — *Communius*, pro cœtu *credentium præcise Deum verum;* unde et *Ecclesia Dei* dicitur, continetque fideles qui vixerunt a principio mundi, in quovis statu, Naturæ scilicet, Legis et Gratiæ. — *Singulariter*, pro cœtu *credentium explicite Christum ;* unde *Ecclesia Christi* vocatur, et Christi discipulos, hoc est, per se loquendo, omnes baptizatos complectitur.

77. -5) Ecclesia *singulariter dicta*, seu *Ecclesia Christi*, est vel *universalis*, si accipiatur pro tota Christianorum gente per universum orbem diffusa ; — vel *particularis*, si pro parte, hoc est pro Christianis certi temporis, loci vel confessionis usurpetur [1].

78. Eadem iterum est vel *vera* vel *falsa*, prout vel Ecclesia genuina est, quam Christus instituit ; et hæc simpliciter et antonomastice *Ecclesia* dici solet ; vel e contra, adulterina et a Christi institutione digressa.

79. Q. 3° *Quænam est essentialis notio veræ Christi Ecclesiæ ?* — R. Ecclesiæ a Christo fundatæ notio essentialis, est notio alicujus *societatis :* cum Ecclesia quædam institutio sit, ad genus societatum pertinens. Hac enim ratione fundata est, ut sit *societas Christi fidelium.*

80. Porro *societas* est *coadunatio plurium in communem finem ;* seu *cœtus hominum ad communem finem conjunctis viribus tendentium* [2]. In qua notione tria implicantur elementa: pluralitas hominum, communis finis, et tendentia coadunata. Essentiæ pars formalis in tertio elemento, in coadunatione nempe tendentiæ, consistit.

[1] Cf. Prolegom. c. 2, art. 2, § 3, n 79. — [2] Cf. Taparelli d'Azeglio, *Essai théorique de droit naturel basé sur les faits*, t. I, liv. 2 chap. 2 et 3, n. 307, 424. Tournai, Casterman. 1857. Item De Decker, *Cours de philosophie*, t. IV, n. 141.

81. Hujus autem coadunationis conditio est aliquod commune vinculum, quo plures ad communem tendentiam adstringantur. Secus enim, posset quidem eadem esse tendentia plurium, sed non esset conjuncta, nec efficeret *ex pluribus unum* quoddam unum systema seu corpus morale, quod conceptu societatis in cluditur.

82. Vinculum autem illud adstringens directioni communi, est, in societate humana, morale vinculum legis, vel cujuspiam statutæ obligationis, quæ active sumpta vocatur *auctoritas*.

83. Hæc porro auctoritas est societatis conditio, seu potius, ejus anima et forma [1]. Hæc a societate est exercenda atque subeunda ; unde necessario duæ partes constitutivæ societatis : una imperans, altera obediens.— Hinc facile cernitur, quomodo societas a mero cœtu, multitudine, vel collegio æqualium, essentialiter differat.

84. His positis, ut ad notionem veræ Christi Ecclesiæ redeamus, hæc genere suo societas esse probabitur ; ac proin auctoritatem ut conditionem essentialem includere.

85. Hinc vera Ecclesia Christi non est mera aggregatio, non schola philosophica, classis aut cœtus hominum, Christi nomen utcumque profitentium : sed *cœtus est hierarchicus*, vera societas, imo societas omnium humanarum societatum perfectissima [2], habens se ad instar totius, ceu corporis moralis ac personæ viventis, duplici parte, i. e. anima et corpore constantis [3]. Hinc etiam fit ut vel inadæquate, secundum alterutram partem ; vel adæquate, secundum utramque spectari possit.

86. Verum notandum est, duplici sensu accipi posse denominationem *corporis et animæ* Ecclesiæ. Prior est sensus supra indicatus, juxta quem corpus Ecclesiæ significaret multitudinem fidelium, anima vero auctoritatem qua ordinantur. Iste sensus inter Theologos usitatus non est. Posterior sensus est ille juxta quem corpus significat Ecclesiam ut societatem visibilem, præscindendo tamen ab internis gratiæ dotibus ; anima vero significat hanc ipsam societatem quatenus præfatis dotibus præditam. Iste sensus, quem statim accurate definiemus, cum sit in Theologia usitatus, a nobis constanter retinebitur, quoties sermo incidet de corpore et anima Ecclesiæ.

87 Q. 4° *Quomodo vera Christi Ecclesia definitur?*—R. Vera Christi Ecclesia *inadæquate*, id est, *secundum corpus tantum*, considerata, est *societas baptizatorum, ejusdem fidei christianæ professione, et eorumdem sacramentorum communione, sub uno Christi in terris vicario adunata.* — Hæc definitio corpus Ecclesiæ integrum complectitur. Potest autem Ecclesiæ corpus

[1] Cf. Taparelli, ibid. n. 429. — [2] Cf. Taparelli, ibid. n. 309, et tom. 3, l. 7, cap. 1. — [3] Cf. S. August. *Brevicul. collat.*, coll. 3ª diei, c. 10, n. 20.

tiam spectari partialiter, si nempe pro parte *hierarchica*, docente ac regente ; vel pro parte *laica*, audiente ac obediente, accipiatur.

88. Ecclesia Christi rursus considerata *inadæquate*, id est, *secundum animam tantum*, est *societas vocatorum ad Christi fidem, supernaturalibus dotibus cum Christo conjuncta.* — Supernaturales illæ dotes sunt fides, spes, charitas, cum reliquis virtutibus et Spiritus Sancti donis, quæ hujus conjunctionis spiritualis vincula sunt ac proportionata media, ut ex eorum natura et officio intelligi potest [1].

89. Ecclesia Christi *adæquate, secundum corpus simul et animam* sumpta, est *societas fidelium baptizatorum, quos interius quidem animat fides, spes et charitas: exterius autem fidei ejusdem christianæ professio, et eorumdem sacramentorum communio adunat, sub uno capite Christo in cœlis, et Deo in terris vicario, Summo nempe Pontifice.*

90. Hæ definitiones, quas claritatis causa in antecessum ponimus, veram Ecclesiæ Christi naturam exhibent qualem deinceps probabimus, qualemque semper christiana traditio intelexit. Sic enim Ecclesiam definit S. Cyprianus : *Est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens.* Epist. 69. — S. Ambrosius autem : *Congregatio quæ in unum connexum corpus atque compactum, unitate fidei et charitate assurgit.* De offic. 1. 3, n. 19, Maurin [2].

91. Q. 5° *Quomodo differunt hæc tria : Fides, Religio, Ecclesia?* — R. Religio christiana differt a fide, si duo hæc objective sumantur, sicut ædificium differt a suo fundamento. In fide enim tota christiana religio fundatur. — Religio autem et fides differunt ab Ecclesia, sicut abstractum a concreto : Ecclesia enim est fides ipsa et religio christiana, in credentibus quodammodo incorporata ac vivens.

92. Q. 6° *Quibus nominibus Ecclesia in Scripturis designatur?* — R. Ex iis vocibus quæ Ecclesiam metaphorice in Scripturis denotant, illas præ cæteris referendas censemus, quibus præcipui ejus characteres commendantur. Dicitur itaque : 1) *Domus Dei* [3] ;—2) *Domus magna* [4] ;— 3) *Civitas Dei, Civitas sancta Jerusalem*, cui opponitur Babylon [5] ; — 4) *Civitas supra montem posita* [6] ; 5) *Regnum cœlorum, Regnum Dei, Regnum Christi quod non est de hoc mundo* [7] ; — 6) *Castro-*

[1] Cf. tom. 2, *De virtutibus.* — [2] Cf. Epist. ad Ephes. I, 22, 23 ; II, 1-16. — [3] Tim. III, 5 ; Hebr. III, 6 ; Eph. II, 20. — [4] II Tim. II, 20. — [5] Ps. XLVII, 1, 2 ; Apoc. XVII, XVIII, XXI. — [6] Matth. V, 14. — [7] Matth. XIII ; Luc. XIII, 18, 20 ; Jo. XVIII.

rum acies ordinata et propterea terribilis [1]; — 6) *Semen Abrahæ* [2]; — 3) *Corpus Christi* cujus ipse Caput [3]; — 9) *Ovile Christi* [4]; — 10) *Sponsa Christi* [5], unde et *Mater* a SS. Patribus vocatur [6], — 11) *Regina* [7]; — 12) *Columba, hortus conclusus, fons signatus, paradisus* [8].

93. Q. 7° *Quibus figuris et parabolis adumbratur?* — R. Figuræ seu typi Ecclesiæ, octo præsertim deprehenduntur in libris V. T., quinque vero in Novo. *In V. Testamento* :- 1) *Paradisus terrestris*; — 2) *Eva*, cujus formatio figurabat Ecclesiæ formationem de latere Christi; — 3) *Arca Noë*; — 1) *veterum patriarcharum uxores*; —5) *gens Judaica* [9]: - 6) *urbs Jerusalem* [10]: — 7) *templum Jerosolymitanum*; — 8) *lapis abscissus de monte sine manibus*, qui factus est mons magnus et implevit universam terram [11].

94. *In Novo Testamento*; -1) *ipse Christus* typus est seu potius archetypon et exemplar Ecclesiæ suæ, quam ipse sibi formavit similem sui, ad imaginem suam, de carne sua et de ossibus suis [12]; quæ sicut ipse Christus proportione servata est divina simul et humana, pertransitque benefaciendo, humiliata et exaltata, moriens et resurgens, ac per multas tribulationes intrans in gloriam suam. — 2) *Navis Apostolorum, navicula Petri*. — 3) *Vestis Dominica*, seu *tunica inconsutilis*. — 4) Duplex *piscatio* jussu Christi facta, Luc. V, Joan. XXI.—5) *Vas de cœlo descendens* in visione Petri, Act. XI.

95. Sunt quoque in Novo Testamento parabolæ quibus Ecclesia describitur. Differt autem parabola a figura, eo quod figura sit factum vel res gesta, adumbrans aliud factum; parabola vero, sermonis modus, allegoria scilicet, seu fictio comparativa. Parabolæ itaque Ecclesiam adumbrantes præcipuæ sunt : *area* [13]; *convivium* [14]; *retia* [15]; *pascua, ovile, grex ovium* [16]; *ager, vinea, hortus* [17]; *granum sinapis* [18]; *decem virgines* [19]; *vitis vera cum palmitibus suis* [20]. — Hujusmodi parabolas, allegorias et figuras passim SS. Patres explanant. S. Ambrosius : *Corpus Jesu sindone involutum posuerunt in*

[1] Cant. VI, 10. — [2] Gal. III, 16.; — [3] Coloss. I, 18, 24; Eph. I, 22, 23; IV, 12. — [4] Joan. X. — [5] Cant. IV, 8; Apoc. XXI, 9; Eph. V. 23, seqq. — [6] Cypr. I, *De Unit., Eccl.* — [7] Ps. XLIV : *Astitit Regina a dextris tuis*, etc. — [8] Cant. II, 10; IV, 12. — [9] Cf. Ps. LXXIX, 9. — [10] Cf. hymn. *Cœlestis urbs Jerusalem*, in officio dedicat. Eccl., ubi parallelismus et connexio indicatur cœlestis Ecclesiæ et terrestris, quem parallelismum SS. Patres, præsertim Alexandrini, persequuntur. Unde patet Jerusalem fuisse typum Ecclesiæ, et vicissim Ecclesiam ipsam typum esse cœli, quod est archetypon finale et consummata veritas. — [11] Dan. II, 34. — [12] Gen. II, 18 seqq ; Eph. V, 27, 30; Rom. VIII, 29; I Cor. XI, 1; Matth. X, 24; Joan. XV, 20 Cf. quoq. Mœhler, *Symbolique*, ch. 5, § 36, n. 2. — [13] Matth. III, 12. — [14] Matth. XXII; Luc. XIV. — [15] Matth. XIII, 47. — [16] Matth. XXV, 32; Joan. X, 9; Luc. XV. 4. — [17] Matth. XIII, 24 seqq.; ib. XX, 1. — [18] Luc. XIII, 19. — [19] Matth., XXV. — [20] Joan. XV. Cf. Regnier, *Tract. de Eccl.*, apud Migne. *Cursus theol.* t. IV.

horto, cui frequenter Ecclesia comparatur, quæ diversorum habet poma meritorum, floresque virtutum [1].—S.Gregorius : *Patris familias similitudinem tenet Conditor noster, qui habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quod sanctos protulit, quasi tot palmites misit* [2].

PROPOSITIO I.

Christus instituit Ecclesiam.

96. Propositio est *de fide*, ut patet ex omnibus Symbolis.

97. Sensus propositionis est, Christum aliquam instituisse Ecclesiam, quæ nondum in individuo designata supponitur. Et quoniam nulla specialis definitio Ecclesiæ hactenus demonstrata est, eam in præsenti sub conceptu generali *societatis Christi fidelium* accipimus.

98. PROB. 1° Ex historia, 2° ex traditione, 3° ex facto perdurante, 4° ex ratione.

99 1° *Ex historia Novi Testamenti*, ubi verba et facta, tum Christi tum Apostolorum, Ecclesiæ institutionem demonstrant. Nimirum *promittit Christus* Ecclesiam se ædificaturum, Matth. XVI, 18 : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... Et tibi dabo claves.* — Reipsa, Petro et reliquis Apostolis tradit potestatem suam, et mittit eos in mundum universum, ut-1) prædicent, -2) sacramenta administrent, -3) omnes credentes et baptizatos suscipiant regendos. Matth. XXVIII, 18 seq.; Joan. XXI, 15 ; Luc. X, 16.

100. *Apostoli* autem Christi mandatum adimplent, quod ex Act. et Epistolis patet. Exierunt enim docentes, baptizantes, coadunantes fideles in spirituale regnum, cui ipsi divina auctoritate præerant. Etenim eos in Actibus et Epistolis, non tantum docere et baptizare, sed imponere præcepta videmus, statuere leges, minari, punire, ordinare ac instituere diaconos et presbyteros ; præsident concilio Hierosolymitano, Paulus indignos excommunicat. pœnitentem Corinthium iterum in communionem recipit ; crescente autem fidelium numero, adjutores sibi eligunt Episcopos, quibus eamdem potestatem suam per impositionem manuum conferunt, et simul mandant, ut alios porro similiter ordinent et instituant [3]. — Ita Ecclesia instituta, plantata et propagata est.

101. 2° *Ex traditione* perpetua, quæ in omnium Patrum

[1] *Serm. in Luc.*, c. 23. — [2] *Homil.* 19 *in Evang.* post principium.

[3] Cf. Act. II, 41-47 ; IV, 32-37; — I Cor. V, 5 ; — I Tim. I, 20 ; — Cor. X ; — Act XIV, 22 ; — Tit. I. 5.

scriptis, et in omnibus Symbolis apparet : *Credo... sanctam Ecclesiam catholicam.*

102. 3° *Ex facto* existentis alicujus Ecclesiæ, aptissimo regimine ad instar corporis organici constitutæ, quæ, tanquam vivens monumentum, se a Christo originem habere testatur. Hoc autem testimonium, quamvis ut mere humanum spectetur, non sane minoris fidei est, quam inscriptio quælibet æri vel marmori publico incisa.

103. 4° Confirmatur *ex ratione :* sapientiæ divinæ maxime consentanea erat ejusmodi societatis institutio, qua fidei puritas, æternum duratura, ab omni corruptione illibata servaretur ; ergo existimandum est institutionem illam reapse factam fuisse.

104. COROLL. Ergo Ecclesia est *positiva Christi institutio*, sicut ædificium, vel statua, est positivum opus artificis ; ergo talis est ejus forma et constitutio, qualem Christus conditor eam esse voluit. — Ergo forma hæc, constitutio seu natura, nulla humana facultate immutari potest aut potuit.

PROPOSITIO II.

Finis Ecclesiæ a Christo institutæ, est conservatio ac dispensatio religionis christianæ, ad hominum salutem.

105. Propositio est *fide certa*, ut ex argumentis patebit, et his Vaticani Concilii verbis indicatur : *Pastor æternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam ædificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur.* Constitut. de Ecclesia. prœem. Cf. Constit. *Dei Filius*, cap. III.

106. Finis statuitur duplex : proximus, religionis conservatio ac dispensatio ; remotus hominum salus.

107. Finis Ecclesiæ dicitur esse *conservatio religionis*, hoc est, ut conserventur incorrupta fides et sacramenta, quæ duo religionem Christi, quatenus est medium salutis humani generis procurandæ, constituunt : *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.* Marc. XVI. — Dicitur quoque *dispensatio*, hoc est, ut fides prædicetur et sacramenta administrentur hominibus. — Hæc duo, conservatio et dispensatio, per modum unius probabuntur ; constituunt enim revera finem Ecclesiæ unicum, missionem unicam, quæ non est alia quam missionis Christi Salvatoris continuatio.

108. PROB. 1° *Ex missione Christi*, Christus missus est ut mundum per religionem suam salvaret [1] ; ergo magna, seu potius unica ejus institutio, Ecclesia, hunc finem habet ; ergo finis

1 Joan. III, 17 ; — VI, 38 et seqq.

Ecclesiæ quoque est, homines per religionem Christi in perpetuum salvare.

109. 2° *Ex missione Ecclesiæ* a Christo conditore disertis verbis collata. Joan. XX, 21 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Matth. XXVIII, 19 : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* — Consonant verba Apostoli, I Tim. III, 15 : *Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.*

110 3° *Ex professione ipsius Ecclesiæ catholicæ* [1], quæ non alium sibi præstitutum finem agnoscit. Etenim, ut ex tota historia ecclesiastica patet, intactum servare depositum doctrinæ, et salutem hominum procurare per sacramentorum administrationem, ac totius cultus christiani observationem, semper Ecclesiæ labor ac sollicitudo unica fuit.

ARTICULUS II.

DE ECCLESIÆ NATURA.

111. Naturam Ecclesiæ hic intelligimus ejus quasi physicam essentiam, complectentem partes constitutivas, quibus Ecclesia coalescit. Porro quoniam Ecclesia natura sua societas est, se instar personæ moralis habet, constatque *anima* et *corpore, capite* et *membris.* Quare has partes singulas ex ordine considerabimus ; ac primo de corpore agemus, dein de anima. — Corpus capite constat et membris. Caput si formaliter consideratur est potestas; sin vero spectatur materialiter, subjectum est potestatis, seu Clerus hierarchicus. — Post considerationem capitis sequetur disquisitio de membris, qua tota quæstio de Ecclesiæ corpore absolvetur. Quæstioni autem de corpore quæstio de anima, tanquam complementum, subjungetur.

Quæstiones *de notione potestatis ecclesiasticæ.*
Propositio I, *de Ecclesiæ potestate triplici.*
Propositio II, *de subjecto potestatis seu Clero.*
Propositio III et IV, *de hierarchiæ gradibus.*
Propositio V, *de hierarchico primatu.*
Propositio VI, *de Ecclesiæ membris.*
Quæstiones *de extensione corporis Ecclesiæ, deque anima ejus.*

[1] Cujus auctoritatem ut humanam quidem sed irrecusabilem afferimus, donec eamdem quoque divinam esse demonstremus.

QUÆSTIONES.

DE NOTIONE POTESTATIS ECCLESIASTICÆ.

1° Quid est potestas universim sumpta, seu potentia; et quomodo dividitur? — 2° Quomodo distinguitur potestas moralis generaliter? — 3° Quomodo dividitur quatenus est auctoritas? — 4° Quæ est generatim potestas Ecclesiæ, et quotuplex distinguitur? — 5° Quænam est doctrina Protestantium de ecclesiastica potestate?

112. QUÆR. 1° *Quid est potestas universaliter sumpta, et quomodo dividitur?* — R. Potestas, seu potentia activa, vis, universalissime considerata, est facultas aliquid agendi; et describi posse videtur: id quo proxime subjectum evadit activum; vel etiam: principium unde proxime est actio, seu, ut aiunt, *actionis principium* QUO *proximum* [1]. — Porro dividitur potestas in *physicam* et *moralem*. Physica est principium actionis physicæ: moralis autem est vis, non physica, sed physicæ analoga, relationem dicens ad facultates intellectuales.

Quod si minus universaliter accipiatur (et prout nos eam accipimus), potestas moralis erit describenda: eadem vis, quatenus in facultate intellectuali, adeoque in persona aliqua residens.

113. Q. 2° *Quomodo potestas moralis distinguitur generaliter?* — R. Potestas moralis, ultimo loco definita, multiplex distingui potest; nos duplicem tantum speciem, pro scopo nostro, proponemus: nimirum potestatem *per rationem*, et potestatem *secundum rationem*.

114. Potestas *per rationem*, quæ etiam dicitur *auctoritas improprie dicta* (gallice *ascendant*), est facultas aliquid per rationem, seu *motivum*, a voluntate aliena obtinendi, exsurgens ex potestate physica inveniendi et proponendi motiva efficacia. Hujusmodi potestate pollet e. g. homo eloquens, dives.

115. Potestas *secundum rationem* describi potest: potestas moralis circa aliquam rem, exsurgens in persona ex eo præcise, quod ratio, seu ordo rationis, adeoque Auctor ejus, personæ illi talem rem *saltem* permittat. — Porro potestas secundum rationem dicitur *licentia*, quatenus respicit præcise rem præstandam seu obtinendam; dicitur vero *jus*, quatenus respicit alteram personam ut obligatam ad non refragandum hujusmodi potestati. Unde jus, prout distinctum a mera licentia, definiri potest: potestas secundum rationem irrefragabilis [2].

116. Jus distingui debet in *simplex* et *auctoritativum*. Jus auctoritativum, seu *auctoritas proprie dicta*, describi potest: *Jus*

[1] Cf. infra, *Tract. de Trinit.* Introd. 12°, n. 38.
[2] Cf. Taparelli, *Droit naturel*, t. I, l. 2, ch. 3.

obligandi voluntates alienas [1]. — Notandum, vocem *auctoritatis*, quæ hic abstracte sumitur, non raro usurpari pro concreto, scilicet pro auctoritatis subjecto, seu persona, quæ auctoritatem obtinet, vocaturque *superior*.

117. Q. 3° *Quomodo potestas moralis, quatenus est auctoritas, dividitur?*— R. Dividitur -1) ratione *objecti :* in potestatem *imperandi* et potestatem *gratificandi*, quæ etiam *ligandi et solvendi* dicuntur. -2) Ratione *personarum :* in *paternam, herilem, regiam*. -3) Ratione *societatis :* in *domesticam, politicam, ecclesiasticam*. -4) Ratione *gradus :* in *supremam* seu independentem, et *subordinatam* seu dependentem. -5) Ratione *originis:* in *naturalem* vel *positivam, humanam* vel *divinam*. Quanquam omnis potestas, mediate saltem, divina est : ipsa enim potestas naturalis, quæ omnis potestatis humanæ radix est, provenit a Deo, utpote auctore ordinis naturalis, qui ordo est expressio voluntatis divinæ. Quod præclare testatur Apostolus ad Rom. scribens: *Non est potestas nisi a Deo : quæ autem sunt* (potestates) *a Deo ordinatæ sunt*. XIII, 1. — Et Prov. VIII, 15 : *Per me reges regnant*.

118. Q. 4° *Quæ est generatim potestas Ecclesiæ, et quotuplex distinguitur?* — R. Potestas Ecclesiæ, de qua propositus est hic nobis sermo, facultas moralis est, divinitus facta Ecclesiæ, tum quatenus est *licentia et jus*, tum quatenus est *auctoritas*.

119. Potestas autem Ecclesiæ *triplex* distinguitur : potestas *docendi, ministrandi, imperandi*. — Quæ tria, et præsertim duo ultima, generali nomine vocari solent *potestas Clavium*, seu *Claves Ecclesiæ :* cum hæc Clavium denominatio, tota sua latitudine sumpta, omnem facultatem quam Christus suæ Ecclesiæ contulit, complectatur, in utroque foro, tum externo tum interno, exercendam[2].— Illa eadem triplex potestas, alia ratione distinguitur in potestatem duplicem : *Ordinis* et *jurisdictionis*[3], quarum una oritur ex sacramento, altera ex missione; una respicit rem faciendam, altera personas afficiendas.

120. Nos vero, ut pro nostro instituto Ecclesiæ naturam exponamus, potestatem illam triplicem considerare debemus. Ecclesia nimirum, cum ex Christi institutione depositaria sit et dispensatrix salutis, instruenda fuit potestate ad suam missionem implendam necessaria. Missio autem hæc triplex est : -1) prædicandi fidem : *Docete omnes gentes ;* -2) mysteria seu sacramenta dispensandi ; *baptizantes eos... ministri Christi et dispensatores mysteriorum;* -3) propriæ conservationi seu gubernationi prospiciendi : *docentes servare omnia quæcumque mandavi vobis... usque ad consummationem sæculi*. Matth. ult., 1 Cor. IV, 1.—Cui triplici missioni triplex respondet pote-

[1] Cf. Taparelli, ibid. Item De Decker, *Cours de philosophie*, t. IV, n. 158.
[2] Matth. XVIII, 7 et Joan. XX, 23.— [3] Cf. t. II, *De Pœnit.* cap. I, art. 1 et c. 2, art. 1, nn. 67, 232 seqq.

stas : docendi, ministrandi, regendi : seu *magisterii. ministerii, regiminis.*

121. Hæc est potestas in abstracto considerata. Quod si consideretur in concreto, ea non toti Ecclesiæ corpori, ut in singulis fidelibus resideret; sed certis designatisque personis, duodecim nempe Apostolis, eorumque successoribus, fuit concredita. Ecclesiam nempe Christus in duos ordines divisit, alterum Apostolorum, alterum eorum ad quos mittebantur; docentium et audientium, baptizantium et baptizandorum, regentium et subditorum : quæ omnia ordinatis propositionibus demonstrabuntur.

122. Q. 5° *Quænam est doctrina Protestantium de Ecclesiastica potestate?* — R. Protestantes, si potestatem aliquam Ecclesiæ concedunt, illam non ut divinam, sed ut humanam ac mere socialem habent. Censent enim Ecclesiæ ministros ea pollere potestate, quam a populo seu populi repræsentante, Principe, recipiunt; eamque tamdiu retinere quamdiu placuerit populo, a quo nempe omni auctoritate eos exui, et in conditionem communem, quemadmodum societatis civilis ministros, rejici posse arbitrantur [1].

PROPOSITIO I.

Christus Ecclesiæ suæ contulit potestatem docendi, ministrandi et regendi.

123. *De fide,* ut patet ex prop. 5 pseudosynodi Pistor. damnata per constitutionem *Auctorem fidei ;* item ex prop. 27 inter 41 Lutheri, damn. a Leone X. Cfr. Constit. Vatic. *Pastor æternus,* cap. III.

124. Dicitur Christus *contulisse Ecclesiæ suæ,* scilicet instituisse in ipsa et pro ipsa, *potestatem docendi ;* hoc est, facultatem docendi nomine Dei, jure divino et auctoritate divina : ita ut non tantum docere possit jure negativo, adeoque licite, seu docere permittatur; sed ita, ut id præstare possit jure positivo, vi cujus eam homines audire teneantur. — *Potestatem ministrandi,* hoc est, non tantum conficiendi sed administrandi sacramenta, totumque cultum publicum peragendi. — *Potestatem regendi,* hoc est, potestatem *legislativam, judiciariam* et *coactivam,* quæ tria in potestate regiminis, seu principali, continentur.

125. Propositio itaque tres partes habet : Christum nimirum in Ecclesia sua magisterium authenticum, ministerium authenticum, et regimen authenticum instituisse.

126. PROB. I PARS, *magisterium.*—Matth. et Marc. ult.: *Docete omnes gentes, prædicate Evangelium omni creaturæ... Ecce ego vobiscum sum.* — Luc. X, 16: *Qui vos audit me audit.* —

[1] Cf. Mœhler, *Symbolique,* chap. 5, § 45. — Item. Trid. Sess. 23, cap. 4, can. 7.

Act. V, 28 : *Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto ; et ecce repletis Jerusalem doctrina vestra. Respondens autem Petrus et Apostoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* — Hoc magisterium nomine Dei exercent Apostoli in suis epistolis ; et similiter, post eos, omni tempore universa Ecclesia exercuit.

127. II PARS, *ministerium.* — Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* — Joan. XX, 21 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos...Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* — I Cor. IV, 1 : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.*

128. III PARS, *regimen.* — Matth. XVI, 18 ; XVIII, 18 ; Joan. XXI, 15 : *Dabo tibi claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis.— Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo... Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. — Pasce agnos meos, pasce oves meas.* — Act. XX, 28 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* — His verbis collatam intelligimus Apostolis, ut Ecclesiæ ducibus, potestatem ligandi, pascendi et regendi ; atqui hæc est potestas regiminis completa; ergo. — Iterum : his verbis apparet collata potestas legislativa ; atqui hæc judiciariam et coactivam involvit, cum vera lex sanctionem requirat; ergo. Cf. I. Cor. V.

PROPOSITIO II.

Christus Ecclesiæ suæ potestatem dedit in manu Apostolorum, ordinisque clericalis, quem propterea a laicis divina ordinatione distinxit.

129. *De fide*, ut patet ex Trid. Sess. 23, cap. 4 et can. 6 et 7 ; item ex art. 26 et 28 ex 30 Joann. Huss., damn. a Concil. Constant. et Martino V.

130. Jam agitur de subjecto, in quo potestas Ecclesiæ divina institutione residet ; quod subjectum esse Clerum, ad exclusionem laicorum, seu populi, asserimus. *Clerus*, seu *ordo clericorum*, dicitur certa hominum classis, qui, ut olim tribus Levi in Tabernaculo, ita nunc in Ecclesia, ad regimen et cultus divini ministerium deputati sunt. Vocantur *Clerus*, id est *pars et hæreditas*, quia sunt pars Domino consecrata, sicut veteres Levitæ. Num. 12 : *Ego tuli Levitas a filiis Israel... eruntque Levitæ mei ;* et ipse Dominus est pars et hæreditas ipsorum : *Dixit Dominus ad Aaron : In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos : Ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel.* Num. XVIII, 20. Cf. Ps. XV, 5. — Contra clericos distinguuntur *laici*, qui nulla auctoritate

in Ecclesia pollent, et sunt pars christianæ societatis solummodo ad audiendum atque obediendum ordinata.

131. Propositio simul Richerii, Jansenianorum et Lutheranorum erroribus opponitur.

132. Dicitur : *Christus dedit*, h. e. Christus ipse per se dedit Apostolis potestatem, non vero per Ecclesiam : quasi immediate potestatem contulisset toti Ecclesiæ corpori, ut Ecclesia deinde eam pastoribus transmitteret.

133. Dicitur : *in manu Apostolorum ordinisque clericalis*, scilicet per modum unius. Etenim Christus certos homines, Apostolos, exclusive deputando ad potestatem perpetuo in Ecclesia tenendam, hoc ipso instituit ordinem potestatis depositarium, quem clericalem nominamus. — Altera propositionis pars, distinctionem essentialem utriusque ordinis statuens, tanquam corollarium, ut patet, fluit ex priore ; quam proin solam demonstrabimus.

134. PROB. Propositio vera est, si 1° Christus ipse elegit determinatos Apostolos ; 2° ipsis omnem illam potestatem concessit, quam in Ecclesia sua instituit ; 3° eamdem contulit illis immediate; 4° exclusive ; 5° in perpetuum successoribus eorum transmittendam : atqui hæc quinque constant ; ergo.

135. 1° *Christus elegit Apostolos.*—Luc. VI, 12 : *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et quum dies factus esset, vocavit discipulos suos ; et elegit duodecim ex ipsis* [*quos et Apostolos nominavit*] *: Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream*, etc.

136. 2° *Illis contulit omnem potestatem.* Patet ex eo quod triplex Ecclesiæ potestas, juxta Scripturam, Apostolis detur et ab ipsis exerceatur. Joan. XX, 21 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*. Cf. prop. præced.

137. 3° *Immediate.* Patet ex iisdem testimoniis. Præterea non potuerunt Apostoli mediante Ecclesia recipere potestatem, cum potestatem prius exercere debuerint, quam Ecclesia concrete formata existeret : debuerunt enim docere et baptizare, antequam esset credentium et baptizatorum societas, quæ est Ecclesia.

138. 4° *Exclusive.* Patet ex verbis Domini ad ipsos solos prolatis, ut constat perpetua traditione, imo expresso Apostolorum testimonio, Act. X, 40 : *Hunc Deus suscitavit tertia die et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo.* — Idem probari potest ex facto, quod in ipsa Ecclesia primitiva, et nondum, adversariis fatentibus, corrupta, exstitisse testatur historia ecclesiastica : videlicet tunc temporis, sicut

nunc in Ecclesia Romana, solos clericos sacram potestatem exercuisse.

139 5° *In perpetuum eorum successoribus transmittendam*. Patet -1) ex eo, quod Christus Apostolis conferat potestatem exercendam ab eis *in omnem creaturam, usque ad consummationem sæculi*, Matth. et Marc. ult. Id enim demonstrat Apostolos, qui physice mortales erant, tanquam moraliter immortales a Christo fuisse constitutos ; ita ut in successoribus suis usque ad finem mundi, cum ea potestate de qua agimus, perdurarent.-2) Ratio ob quam potestas Apostolis fuit concessa, eadem usque perseverat, conservatio nempe Christi religionis et Ecclesiæ. -3) Apostoli successoribus suis potestatem suam reapse transmittunt, ab iis porro ad alios transmittendam. Etenim, Tit. I, 5 : *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.*

PROPOSITIO III.

Christus in Ecclesia sua instituit hierarchiam Ordinis, constantem ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris.

140. *De fide*, Trid. Sess. 23, can. 6 et 7, cap. 4.

141. In præcedenti propositione statuimus, divinitus institutum esse Clerum, tanquam partem seu ordinem potestativum Ecclesiæ. Verum ipse quoque clericalis ordo in varios gradus, qui dicuntur hierarchici, et quorum complexus hierarchiam constituit, divinitus distinguitur.

142. *Hierarchia*, quæ vox sacrum principatum sonat, est sacra potestas, subordinatis gradibus distincta. Habetur duplex, cœlestis et terrestris. — *Cœlestis*, est subordinatio, quæ inter novem Angelorum choros, seu cœlestis Ecclesiæ gloriosos exercitus, intercedit [1]. — *Terrestris*, est inæqualitas potestatis et subordinatio inter Pastores et Ministros Ecclesiæ terrenæ disposita.

143. Hæc Ecclesiastica hierarchia iterum duplex distinguitur, pro duplici potestatis genere, *Ordinis* et *Jurisdictionis*, quarum una confertur per sacramentum Ordinis, altera per canonicam institutionem.

144. Utraque hierarchia plures complectitur gradus : scilicet hierarchia Ordinis constat gradibus septem, qui sunt septem *Ordines sacramentales :* Ordo Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi et Sacerdotis.— Hierarchia Jurisdictionis constat variis *ordinibus dignitatum ac munerum*, qui sunt : Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Primatia,

[1] S. Dionysius novem Angelorum choros distinguit in hierarchiam triplicem.

Archiepiscopatus, Episcopatus, Prælaturæ Episcopatu inferiores [1].

145. Horum graduum alii sunt jure divino, alii tantum ecclesiastico determinati. Spectato tantum jure divino, hierarchia Ordinis constat Sacerdotibus et Ministris, seu (si primi et secundi ordinis Sacerdotes explicite separemus) : *Episcopis*, *Presbyteris* et *Ministris*.— Hierarchia vero Jurisdictionis constat : Primatu Apostolico, Episcopatu et Presbyteratu.

146. Propositio posita, ut jam patet, enuntiat divinam hierarchiæ Ordinis institutionem ; seu statuit, saltem tres gradus potestatis sacramentalis, a Christo institutos fuisse.

147. PROB. Christus hujusmodi hierarchiam instituit, si instituit Episcopatum, Presbyteratum et Diaconatum, tanquam tres distinctos potestatis sacramentalis gradus,alterum alteri subordinatos ; atqui sic habet ; ergo. — Etenim ab Apostolorum tempore Ecclesia Episcopos, Presbyteros et Diaconos habuit, distincto ritu ordinatos, et inæquali potestate instructos; cujus rei nulla alia ratio, præter divinam institutionem, afferri potest. S. Ignatius Epist. ad Smyrn., cap. 8, ait : *Omnes Episcopum sequimini ut Jesus Christus Patrem, et Presbyterium ut Apostolos ; Diaconos autem revereamini ut Dei mandatum* [3].

PROPOSITIO IV.

Christus instituit in Ecclesia sua hierarchiam Jurisdictionis, qua imprimis Episcopi sunt presbyteris superiores jure divino.

148. Una propositionis pars,qua statuitur *superioritas Episcoporum super presbyteros*, est *de fide*, ex Trid. Sess. 23, can. 7 ; — altera, quæ illam superioritatem asserit esse *de jure divino*, non est definita ; sed *certa* prorsus, cum contradictoria damnata sit in Marsilio Patavino, Constitut. Joan. XXII, 4 Kal. Nov. 1327 [3] ; et utraque pars iisdem fontibus probetur.

149. Propositio agit de hierarchica *jurisdictione*, quæ generatim est potestas sacra, homini in alium sibi subditum tradita; hic autem jurisdictionis nomen simul dignitatem, gradum et potestatem complectitur.

1 Cf. t. II, *De Sacram. Ordinis*, c. 1, a. 2, n. 29 seqq.
2 Cf. *Tract. eumd.* c. 1, a. 2, n 39 seqq.
3 Cf. quoque Pistor. 9 et 10. — Ne confundatur jus divinum superioritatis Episcoporum, cum immediata origine potestatis episcopalis. Hæc enim alia quæstio est, quæ ita poni potest : An Episcopi accipiunt potestatem suam immediate a Deo ? — R. Episcopus supremus, Rom. scilicet Pontifex, omnem suam potestatem accipit immediate a Deo : Episcopi vero reliqui similiter accipiunt a Deo potestatem Ordinis, potestatem vero jurisdictionis,probabilius juxta plerosque Theologos, immediate obtinent a R. Pontifice.

150. Dicitur *imprimis ;* quia et alius gradus est divinitus institutus, nempe Primatus, de quo in prop. sequenti agetur. — Hæc autem positio quæ Episcopis principatum asserit, quo non gaudent presbyteri, opponitur Blondello, Salmasio et Presbyterianis reliquis.

151. PROB. Propositio vera est, si traditio Christianorum perpetua hujusmodi superioritatem agnovit : atqui ita habet.

152. Nam 1° Aërius sæculo IV, presbyteros Episcopis adæquans, statim ab universa Ecclesia, testibus Epiphanio et Augustino [1], ut novator atque hæreticus habitus est.

153. 2° Clemens Romanus : *Summo quippe Sacerdoti sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua munia incumbunt. Homo laicus præceptis laicis constringitur.* Ad Cor. 1, c. 40. — S. Ignatius : *Omnes Episcopum sequimini ut Jesus Christus Patrem, et presbyterium ut Apostolos.* Ad Smyrn. c. 7, 8. Et : *Episcopo subjecti estis ut Jesu Christo.* Ad. Trall. c. 2. — Unde liquet presbyterium, vel presbyterorum cœtum, secundum tantummodo locum obtinuisse, iisque præfuisse Episcopum jure divino, quemadmodum Christus Apostolis præfuit.

154. 3° Episcopi, ipsique soli, semper habiti sunt ut Apostolorum in Ecclesiarum regimine successores. Tertullianus : *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt.* De præscr. 32.

155. 4° Accedit consensus omnium ecclesiarum Orientalium, earumque librorum ritualium testimonia [2].

156. OBJIC. 1° Iidem viri qui vocantur presbyteri etiam dicuntur Episcopi, Act. XX, 17 et 28 ; ergo non datur inter Episcopos et presbyteros inæqualitas. — R. *Conc. antec. ;* saltem hoc sensu, quod ibi iisdem viris utramque denominationem græcus textus accommodet ; at *neg. conseq.* Potuerunt enim vocari nomine communi, licet distinctione reali differrent ; potuerunt etiam omnes, ut tunc magis necessitas postulabat, episcopali dignitate esse insigniti, ita ut unus principaliter, vel plures simul in unione charitatis, regerent Ephesinam ecclesiam, cui tamen paulo post, anno nempe 64, Episcopus unicus, S. Timotheus, fuit præpositus [3].

157. *Obj.* 2° S. Hieronymus omnimodam Episcoporum et presbyterorum, saltem de jure divino, æqualitatem propugnat,

[1] Epiph. *Hæres.* 75, cap. 3 ; August. lib. *De hæres.*, c. 53. — [2] Cf. Perrone, *De Ordine*, n. 93. — [3] Cf. tom. II. *De Ord.* c. 1, a. 1, n. 62.

præsertim in *Comment. in Epist. ad Titum*, cap. I, ubi scribit: *Idem est ergo Presbyter qui et Episcopus... Et Episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate, Presbyteris esse majores.* Ergo saltem auctoritas S. Hieronymi positæ assertioni adversatur. — R. *Trans.* argumentum totum. Antiquissimæ traditionis unanimitas, unius quamvis eruditissimi Doctoris oppositione, labefactari nequit, etiamsi sententia ejus nullam benigniorem interpretationem pateretur. — At licet duriora esse S. Doctoris verba fateamur, non tamen desunt rationes, cur veram ejus sententiam a totius Ecclesiæ sensu non fuisse absonam judicemus. Nam -1) S. Hieronymus in suspicionem hæreseos Aërii nunquam venit; -2) in allato Commentario, Episcopale regimen ad Ecclesiæ primordia refert; -3) tales ibidem rationes adducit, quæ Episcoporum et Presbyterorum æqualitatem nequaquam evincant; -4) in Epistola ad Evagrium, ubi quoque presbyterorum dignitatem exaggerat, ordinationis potestatem tanquam singulare jus Episcoporum prædicat: *Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* -5) Demum in præcitato Commentario, utitur exemplo Moyses dicens: *Qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret* [1].

PROPOSITIO V.

Christus in Ecclesia sua Primatum jurisdictionis instituit, quem S. Petro contulit, et in Ecclesia perpetuo durare voluit.

158. *De fide*, ut patet ex Decreto Flor. *pro unione Græcorum*, in quo legitur: *Definimus sanctam Apostolicam Sedem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri... et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, a D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse.* Cfr. concil. Vatic. Constitut. *Pastor æternus*, capp. I et II.

159. Primatus, de quo agitur, est hierarchicæ jurisdictionis complementum et culmen. Definiri potest: *præeminentia, qua in Episcoporum collegio unus supra cæteros divino jure principatum tenet.* — Porro potest quis esse princeps, vel honore ac dignitate tantum, vel auctoritate et jurisdictione. Hinc primatus duplex distinguitur: alter *honoris ac dignitatis*, quæ mere præsidentia est, et ad summum aliquam potestatem mere directivam continet; alter *auctoritatis ac jurisdictionis*, qui in proprie dictæ potestatis præstantia consistit.

160. Propositio adversus omnes ecclesiastici Primatus hostes

[1] Cf. Kenrick, *Theol. dogm.*, t. I, tract. *de Eccles.*, c. 15.

agit, qui sunt : Græci, et generatim omnes schismatici ; Protestantes et omnes sectæ sæc. XVI ; Janseniani, Quesnelliani sequaces M. Antonii de Dominis [1], Richerii [2], Febronii [3] : qui omnes, plus minus directe Primatum ejusque jura impugnant.

161. Ad probandam propositionem sufficit demonstrare, I. Christum S. Petro contulisse Primatum, II. Primatum esse perpetuo duraturum.

162. PROB. I PARS. 1° *Ex Scripț.* Christus S. Petro contulit Primatum juridictionis, si super Petrum promisit suam se ædificaturum Ecclesiam, et claves regni cœlorum se ei daturum pollicitus est : ac reipsa utrique promisso stetit, eidem soli tanquam vicario suo, pascendum seu regendum committens universum gregem suum ; atqui ita est. Nam Matth. XVI, 18, dicit Christus Petro : *Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis.* — Joan. XXI, 15 : *Simon Joannis diligis me plus his?... Pasce agnos meos... Pasce oves meas.*

163. Confirmatur hoc argumentum ex observantia singulari, qua ubique in Scriptura Petrus exhibetur ut princeps ; primus nominatur in enumeratione Apostolorum, nominatim docetur de resurrectione : *Dicite discipulis ejus et Petro*, Marc. XVI, 7 ; Petrus Christi redivivi apparitione speciatim fruitur ; ipse in cœnaculo loquitur, ipse primus prædicat Judæis, primus prædicat gentilibus, Act. X, nimirum, ut S. Chrys. ait, *qui omnium Pastor a Domino fuit institutus, ex omnibus gentibus cogere cœpit oves*. Hom. 3 ad pop. Antioch.

164. 2° *Ex traditione*. Patres Verba Christi, supra citata, unanimiter de Primatu jurisdictionis Petro collato intelligunt. Quare passim vocant Petrum *Caput, Apostolorum principem, Apostolorum verticem, et os Apostolorum, primum mundi Præsidem*, etc. [4].

165. E particularibus et expressis testimoniis, quæ innumera apud auctores inveniuntur, speciminis causa citemus tantum bina ex Græcis, bina ex Latinis [5]. S. Basilius de Petro ait : *Ille beatus qui cæteris prælatus discipulis fuit ; cui claves regni cœlestis commissæ sunt*. Serm. de Judicio Dei. — S. Chrysostomus : *Post gravem illum lapsum, iterum eum* [Petrum] *evehit : Ecclesiæ præfecturam ipse per universum mundum tradidit*. Homil. 5 de Pœnit.

[1] In opere de *Ecclesiastica republica*, edito 1620. — [2] *De Ecclesiast. et polit. potestate*, 1611. — [3] *De præsenti statu Ecclesiæ, liber singularis*, 1760.
[4] Ut Origenes, *hom.* 2 *de divers.*, Hieron., Hilar., Chrysost. Leo, etc. Cf. Perrone, *De Eccl.* n. 499 seqq. — [5] Cf. Infra, c. 2, n. 271 seqq.

166. Cyprianus : *Ecclesia, quæ una est, super unum, qui et claves ejus accepit, Domini voce fundata est.* Epist. 73. — S. Augustinus : *Quis enim nescit, illum* [Petri] *apostolatus principatum cuilibet episcopatui præferendum?* De Bapt. cont. Donat. l. 2, c. 1, n. 2.

167. II PARS. *Primatus est duraturus perpetuo*, hoc est, non cum Petro exstinguendus, sed ipsius successoribus transferendus, quamdiu subsistet Ecclesia.

168. 1° Ex Matth. XVI. Primatus est fundamentum Ecclesiæ, proindeque ad constitutionem ædificii illius a Christo conditi pertinet ; ergo, quamdiu Ecclesia, tamdiu primatus duraturus est. — Primatus est modificatio summi momenti, quam Apostolorum potestati Christus apposuit ; atqui Apostolorum potestas, qualis a Christo modificata fuit, perpetuo durare debet, ex Matth. ult. ; ergo pariter primatus durare debet. — Primatus institutus est a Christo, ad Ecclesiæ suæ unitatem constituendam et conservandam, adeoque ad Ecclesiæ essentiam pertinet : unitas enim, ut postea probabitur, Ecclesiæ essentialis est ; et primatum tanquam unitatis medium institutum esse Patres unanimiter docent, cum S. Hieronymo dicente : *Unus inter duodecim eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Adv. Jov. l. 1, c. 14. Ergo, quamdiu Ecclesia, tamdiu primatus duraturus est.

169. 2° *Ex tradit.* Patres enim Petri primatum perpetuo in Romana cathedra perdurare docent, vocantes eam *Petri cathedram, contra quam nunquam prævalituræ sunt superbæ inferorum portæ* [1] ; *ex qua profluxit quidquid in Episcopis auctoritatis est* [2]. — S. Leo : *Sicuti permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit... Manet ergo dispositio veritatis, et B. Petrus, in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non relinquit.* Serm. 3 De Natali ipsius [3].

170. OBJIC. 1° In testimonio Matth. XVI, verba hæc : *super hanc petram*, referuntur ad Christum, non ad Petrum. Non enim dicit Christus, *super Petrum* sed *super petram*. Deinde, Paulus I Cor. X, 4, ait : *Petra autem erat Christus:* et I Cor. III, 11 : *Fundamentum positum est, quod est Christus Jesus :* ergo Petrus non est fundamentum Ecclesiæ [4]. — R. *Neg. antec.*

[1] S. August. in *Psalmo contra partem Donati.* — [2] S. Innoc. *Epist. ad Victric. Rothom.*, c. 2. — S. Greg. Nazian. in orat. *Adversus eos qui reprehensiones ægre ferunt.* Vid. Perrone n. 576. — [3] Ex hac propositione cum præcedenti collata, determinari potest Ecclesiastici regiminis forma, quam non immerito *aristocratico-monarchicam* vocaveris. Cf. Perrone, *De Eccl.* n. 114.

[4] Mirum est, quot modis testimonia hæc spiritus superbiæ et indocilitatis sectariorum in sensus pravos detorserit. Sed frustra ; cum lux veritatis tanta sit, ut nullis obductis nebulis obscurari queat. Quare egregie S. Fr. Salesius dicit : *Les ministres tâchent, tant qu'ils peuvent, de troubler si finement la claire fontaine de*

Super *petram* idem est ac super *Petrum ;* nam hæc duo efferuntur eodem vocabulo syriaco *Kephas*, quo Dominus usus est ; cf. Joan. I, 42. — Ad probat. *nego parallelismum*. Christus quidem est petra, et S. Petrus est petra ; Christus est fundamentum Ecclesiæ, et Petrus, imo Apostoli omnes fundamentum sunt Eph. II, 20 ; sed longe diverso modo : nimirum Christus est fundamentum *primarium et lapis angularis*, Petrus *secundarium participativum et subordinatum*.

171. *Obj*. 2° Omnes Apostoli sunt æquales ; omnes *pro Christo legatione funguntur*, II Cor. V, 20 ; omnes sunt *ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, I Cor. IV. 1 ; omnes demum eadem potestate donati sunt : ergo Petrus nequaquam primatum jurisdictionis accepit. — *Dist. antec*. Omnes sunt æquales potestate Ordinis et Apostolatus, *conc. ;* jurisdictionis, *neg*. Et in eumdem sensum *disting. probat*.

172. *Obj*. 3° Atqui omnes sunt æquales potestate jurisdictionis ; siquidem ea æqualiter in omnes creaturas, Marc. ult. extenditur : ergo. — R. *Dist. antec*. Sunt æquales potestate jurisdictionis, si spectetur genus, aut etiam actualis ejusdem extensio, *conc. ;* si spectetur gradus, *neg*. Apostolorum jurisdictio, licet universalis, tamen subordinata erat jurisdictioni Petri ; nec talis erat ut cum sua universalitate ad Episcopos successores eorum, sicut jurisdictio suprema Petri ad successores ipsius, transmitti deberet [1].

173. Quæ ut clare intelligantur, duo sunt animadvertenda. -1) Duplex est in Apostolis distinguenda potestas, pro duplici eorum munere, Apostolatus nimirum et Episcopatus. Ratione *Apostolatus*, cum dono miraculorum acceperant auctoritatem prædicandi Evangelium per orbem, et docendi omnes gentes verbis et scriptis canonicis, baptizandi, baptizatis alia sacramenta conferendi, omniaque præstandi quæ, ex parte sive Ordinis sive jurisdictionis, ad formandam Ecclesiam pertinebant. — Ratione *Episcopatus*, acceperant potestatem, congregatis secum fidelibus Episcopos et Pastores præficiendi, ritus ac disciplinam, leges ac pœnas statuendi, omniaque faciendi, quæ ad gubernandam hanc particularem ecclesiam spectabant.

174. -2) Utramque potestatem a Christo omnibus Apostolis immediate fuisse collatam, communis sententia est. — Prior erat *omnibus æqualis*, ut quæ ad jactanda per orbem Ecclesiæ fundamenta, esset quodammodo necessaria : sed tamen *inæqualiter collata*, quia a Petro, tanquam ordinario Pastore, ad suc-

l'Evangile, que S. Pierre n'y puisse plus trouver ses clefs... Mais si ceci n'est pas violer l'Ecriture, jamais homme ne la violera... Et s'il est permis d'aller ainsi devinant sur des paroles claires, il n'y aura plus rien de l'Ecriture qui ne se puisse plier à tout sens. Serm. 33 *de Eccl*.

[1] Cf. Liebermann, tom. II, *De Eccles*. cap. 2, art. 1 ; Perrone, n. 454 seqq.

cessores transferenda ; ab Apostolis autem ut delegatis, sine novo mandato non transitura. — Posterior erat *inæqualis*, quia gubernatrix Petri potestas ad omnes omnino Ecclesias, aliorum autem Apostolorum, duntaxat ad eas quas fundaverant, porrigebatur ; *inæqualiter* etiam *collata*, quia Petri auctoritas protendebatur supra Apostolos, non item Apostolorum supra Petrum [1].

175. *Obj.* 4° Patres nomine *petræ* intelligunt Christum ipsum; ergo Patres datæ interpretationi Matth. XVI, 18, non suffragantur. — R. *Dist. antec.* Patres nonnulli nomine petræ intelligunt Christum ipsum, ut petram principalem et meritoriam firmitatis Simonis, qui erat petra secundaria, *conc.* ; ad exclusionem petræ secundariæ, *neg.* Nullus ex Patribus sensum litteralem hujus loci a nobis expositum rejicit ; plurimi expresse tradunt ; sed ulterius pro more suo, in sensum mysticum et moralem inquirunt [2].

PROPOSITIO VI.

Ecclesiæ membra non sunt soli justi aut soli prædestinati : sed etiam peccatores et non prædestinati.

176. *De fide*, ex damn. articulis 1, 2, 3 etc. inter 30 Joannis Huss. damn. a Concilio Constant. et Martino V : — item ex Trid. Sess. 6, can. 28 : — item. ex damn. Prop. 72, 78, Quesnelli, et Pistoriensium 15.

177. Ab Ecclesiæ potestate, seu capite, gradum facimus ad membra ejus. Hic una occurrit controversia, adversus Protestantes et Jansenianos, qui excludunt ab Ecclesiæ gremio fideles gratia sanctificante destitutos, quippe qui membra viva non sint : aut etiam eos, qui aliquando reprobi futuri, membra Ecclesiæ gloriosæ nunquam erunt.

178. Propositio quoad omnes suas partes, probatur per modum unius, sequentibus argumentis.

179. PROB. 1° *Verbis Domini*, qui dicit Matth. XVIII, 15 : *Si peccaverit in te frater tuus... dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* — Et Matth. III, XIII et XXV, Ecclesiam suam describit variis parabolis, agri, areæ, sagenæ, decem virginum, nec peccatores nec reprobos excludentibus.

180. 2° *Praxi Apostolorum*, qui peccatores hortantur ad pœnitentiam ; non vero eos extra Ecclesiam versari declarant. Cf. I Cor. V; Joan, I et II.

181. 3° Consentit universa *traditio*. S. Gregorius : *Sancta Ecclesia decem virginibus similis esse denuntiatur. In qua, quia*

[1] Theol. Wirceb. *De Eccl.* c. 3, art. 1.
[2] Cf. Perrone, n. 474. — Bellarm. *De Rom. Pontif.*, l. 1, c. 10.

mali cum bonis, et reprobi cum electis admixti sunt, recte similis virginibus prudentibus et fatuis esse perhibetur. Hom. 12 in Evang. Cf. August. I. De unit. Eccl., cap. 12.

182. *N. B.* Ad solvendas difficultates, distinguenda sedulo est Ecclesia *terrena* et militans, de qua hic agimus, ab Ecclesia *gloriosa;* Ecclesia *adæquate* sumpta, ab Ecclesia sumpta *inadæquate ;* Ecclesia sumpta *secundum animam*, ab Ecclesia sumpta *secundum corpus*. Distinguendum similiter inter membra *viva* ac *perfecta*, et membra *imperfecta*, *languida*, *inanimata*, quæ tamen membra sunt, quamdiu non separantur a corpore, cujus neque essentiali sanctitati officiunt. Nam sicut errores privatorum non nocent Ecclesiæ fidei, ita nec vitia sanctitati.

QUÆSTIONES.

183. 1° *Quinam ad Ecclesiæ corpus, tanquam membra, pertinent ?* — R. Ad corpus Ecclesiæ vere pertinent ii omnes et soli, qui corpori huic Christi mystico per Baptismum inserti sunt, nec ab eo per hæresim, schisma aut excommunicationem, publice separati. Seu, ii omnes et soli Ecclesiæ membris sunt accensendi, qui non sunt infideles, catechumeni, aut publici hæretici, schismatici vel excommunicati. — Non sunt Ecclesiæ membra *infideles ;* quia nunquam fidelium cœtui fuerunt adjuncti, nec in Christi familiam ingressi. De iis dicit Paulus I Cor. V, 12 : *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare* [1] *?* — Non *catechumeni ;* licet enim a Patribus quandoque dicantur *fideles,* hæc tamen appellatio non stricte est accipienda. Nam Patres passim, ut Gregorius Nyss. [2], catechumenos ut peregrinos qui sunt in vestibulo, non ut filios spectant ; et Baptismum ut Ecclesiæ portam, et tanquam nativitatem spiritualem habent, qua proselytæ generantur in filios. — Non *hæretici* publici. Tales sunt ii omnes et soli *qui, in re ad fidem pertinente, pertinaciter et palam adversantur certæ et ipsis indicatæ definitioni Ecclesiæ*. Hi ab Ecclesia exulant ; nam -2) vocantur in Scriptura antichristi, lupi rapaces, naufragi, ethnici et publicani, indigni omni alloquio et conversatione fidelium. -2) SS. Patres ab iis tanquam a perfidis hostibus summopere abhorrent. Cum S. Polycarpus sub Aniceto Papa in urbem venisset, ibique ei occurrens Marcion dixisset : *Cognoscis nos ?* sanctus Episcopus respondit: *Cognosco primogenitum diaboli*. Notam Christi fidelium propriam non habent, quæ est nota unitatis in fide [3], ut infra videbimus.

Non sunt Ecclesiæ memba *schismatici* manifesti. Sicut hæretici rumpunt vinculum fidei, ita schismatici vinculum sol-

[1] Cf. Trid. Sess. 14, c. 2. — [2] Orat. 40. Cf. Regnier, tract. *De Eccl.*, part. 2, sect. 2. Apud Migne, *Cursus compl.*, t. 4.
[3] Joan. XVII, 21 et 23. Cf. Epist. ad Tit. III, 10.

vunt charitatis. Schismatici sunt *ii, qui ita sese subtraxerunt ab obedientia legitimorum præpositorum Ecclesiæ, ut omni cum iis communione careant* [1]. Exulant ab Ecclesia : nam -1) Ecclesia est unum corpus per auctoritatem ; ergo qui auctoritati non subjacet, ab unitate corporis separatus est. -2) Ita senserunt omnes Patres, qui damnantes schismata Novatiani et Donati sæc. III et IV, schismaticos, aiunt, *Christi vestem inconsutilem scindere* [2]. — Demum non pertinent ad Ecclesiam *excommunicati* denuntiati ; isti enim sunt legitima potestate separati, et membris abscissis, aut civibus in exilium ejectis assimilandi [3].

184. Q. 2° *Quinam ad Ecclesiæ animam pertinent?* — R. Quamquam Ecclesia spectata ut sponsa Christi, æternum cum ipso regnatura, omnibus et solis ad gloriam electis constet ; falsum tamen est, ad ejusdem animam omnes et solos prædestinatos proprie et immediate pertinere. Etenim ad eamdem primo ac præcipue *justi ;* altero autem veluti gradu ii spectant omnes, qui vita supernaturali tantum inchoata fruuntur.

185. Scilicet ecclesiæ anima consistit *in interno spiritu seu influxu Christi per gratiam spiritaliter vivificantem*. Hæc autem *spiritalis* vivificatio gradus admittit, quorum primus est *fides*, secundus *spes*, tertius et summus est plenitudo vitæ christianæ, nimirum *gratia sanctificans*, quacum necessario connexa est *charitas*. Itaque ad Ecclesiæ animam præcipue pertinent qui gratia sanctificante, seu vita Christi vivunt, scilicet justi ; deinde vero, quasi secundario, ii omnes qui hanc supernaturalem vitam aliquatenus, id est, per spem vel saltem per fidem, participant, in quibus duobus vita inchoata consistit.

ARTICULUS III.

DE ECCLESIÆ PROPRIETATIBUS ET NOTIS.

186. Hactenus considerantes quonam pacto societas a Christo instituta, fidelium multitudine, sub una potestate tanquam capite coadunata, in unum corpus coalescat ; ipsam naturam seu essentiam Ecclesiæ physicam perpendimus. Jam de proprietatibus ejus et notis agendum.

QUÆSTIO PRÆVIA.

187. *Quid sunt proprietates, dotes et notæ Ecclesiæ.* — R. Proprietates generatim dicuntur omnia quæcumque enti insunt, præter ipsam essentiam. Hoc generali sensu, proprietatum nomine vocantur etiam attributa, qualitates, dotes vel perfectiones entis.

1 Cf. Regnier, tract. *De Eccl.* part. 2, sect. 2.
2 August. *Tract.* 118 *in Joan.* Cf. S. Cyprian. *Epist.* 69.
3 Cf. Regnier, ubi supra. Item Wirceb. Theol. *De Eccl.* cap. 1, art. 2.

PROPOSITIO I.

Christus Ecclesiam suam instituit ut societatem necessariam, ita ut extra illam nulla sit salus.

195. *De fide* ex Later. IV, cap *Firmiter : Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.* Idem ex Brevi Greg. XVI ad Episcopos Bavariæ, *de Matrim. mixt.*

196. Dicitur *Ecclesiam esse necessariam*, hoc est, omnes eam ingredi, et membra corporis ejus fieri, divino mandato teneri. — Duplici sensu Ecclesia potest dici necessaria : 1° *quoad se ac institutionem* suam, 2° *quoad nos ac ingressionem* nostram. De posteriore sensu in Propositione agitur, quo Ecclesia dicitur necessaria, tanquam medium salutis.— *Extra illam nulla salus :* hoc est, extra illam culpabiliter versantibus, ac proinde nec ad animam nec ad corpus Ecclesiæ pertinentibus, nulla salutis via remanet.

197. PROB. I PARS. *Necessaria est.* 1° Marc. ultimo: *Prædicate Evangelium omni creaturæ : qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit : qui non crediderit, condemnabitur.*—Confirmatur ex Joan. XXI et XIV : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. — Nemo venit ad Patrem nisi per me*

198. 2° Omnes jure divino tenentur veram Christi religionem sequi; sed hæc non invenitur nisi in vera Ecclesia, quam Christus unicam instituit suæ religionis depositariam; ergo jure divino omnes intrare Ecclesiam tenentur.

199. II PARS. *Extra Ecclesiam nulla salus.* 1° Ecclesiam intrandi obligatio est de jure positivo divino ; atqui sine hujusmodi obligationis impletione nulla est salus ; ergo.

200. 2° Apostoli et Patres idem docent. I. Tim. I, 19 : *Quidam circa fidem naufragaverunt ; ex quibus est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.* Quibus verbis Apostolus innuit, eos qui veram fidem deserunt esse blasphemos, e navi Ecclesiæ delapsos, et in fluctibus perituros, nisi salutari pœna emendati resipiscant.

201. S. Cyprianus : *Habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. Si potuit evadere quispiam qui extra arcam Noë fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuit, evadet.* Lib. de Unit. Eccl.

202. 3° Ex consensu ecclesiarum acatholicarum. Omnes, etiam Protestantes, saltem practice, tenuerunt, nullam esse extra veram Ecclesiam salutem. Ideo Ecclesiæ gremium per systema articulorum fundamentalium, ultra modum dilatare conati sunt, ut plures sectæ possent salvari.

PROPOSITIO II.

Christus Ecclesiam suam instituit in existendo indefectibilem.

203. *De fide*, quod in Symboli articulo de Ecclesia continetur Cf. Propositionem damn. Quesnelli 95, et Pistor. 77.

204. *Indefectibilitas* proprietas est cum præcedenti connexa. Si enim omnes homines Ecclesiam intrare tenentur, hæc indefectibilis esse debet. Indefectibilitas nimirum est ea Ecclesiæ dos, vi cujus ipsa, qualis a Christo constituta est, eadem illa persona moralis quæ de Christo nata est, cum omnibus proprietatibus suis, usque immutabilis perseverat. Includit ergo perpetuitatem, qua tamen latius extenditur; nam *perpetuitas* sua notione *durationem* importat nunquam interrumpendam; *indefectibilas* vero durationi immutabilitatem superaddit [1].

205. PROB. Christus Ecclesiam suam constituit indefectibilem, si voluit eam esse perpetuam et immutabilem; atqui utrumque voluit; ergo.

206. 1° *Voluit eam esse perpetuam.* — Luc. 1,32: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* — Matth. XVI, 18: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* — Ibid. XXVIII, 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi...*

207. Ecclesia instituta est propter Christi religionem, quæ debet esse perpetua; ergo Ecclesia ipsa perpetua sit necesse est.

208 2° *Voluit eam esse immutabilem.* — 1) Ecclesia perpetuo duratura, ea est quam Christus instituit; ergo immutabilis est: secus enim, non ea ipsa perduraret quam Christus instituit.

209.—2) Ecclesia ab ipsa Christi religione realiter non distinguitur, seu eadem reapse est cum Christi religione; atqui hæc probata fuit esse immutabilis [2]; ergo pariter Ecclesia immutabilis est.

PROPOSITIO III.

Christus Ecclesiam suam instituit in fide infallibilem.

210. *De fide*, saltem definibili, ut ex probationibus patebit. Dico *saltem* definibili: quia infallibilitatem ita aperte semper Ecclesia supposuit et professa est, ut hæc professio definitioni æquivaleat. Sic. ex. gr. loquuntur Patres Nic. II, an. 787: *Sequentes catholicæ traditionem Ecclesiæ: nam Spiritus Sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat...* Et nuper Vaticani Patres scripserunt: *Fidei doctrina... est tanquam divinum depositum Christi Sponsæ tradita, fideliter*

[1] Immutabilitas hæc intelligenda sensu supra explicato, introd. § III, prop. 8, n. 23. — [2] Supra, n. 23.

custodienda et infallibiliter declaranda. Constit. *Dei Filius*, cap. 4.

211. Dicitur *infallibilis* Ecclesia, nimirum prout est docens et prout est credens. Itaque infallibilitas statuitur, tum in docendo, quæ proprie *infallibilitas* est, tum in credendo; quæ proprie *inerrantia* vocatur. Hæc duo intime connexa sunt ; ita tamen, ut inerrantia ab infallibilitate magisterii pendeat. — Porro, cum Ecclesia docendi munere fungitur, triplex implet officium : *testis*, *judicis* et *magistræ*. Testis est in exponendis fidei veritatibus, quas a Christo accepit : judex, in dirimendis controversiis circa fidem ; magistra, in ministerio quotidiano prædicationis exercendo. — In unoquoque ex his tribus infallibilem Ecclesiam esse, docent Catholici ; negant, practice saltem, Protestantes : quippe qui Ecclesiæ auctoritati systema spiritus privati, afflatus interni, vel privatæ cujuscumque sacrarum Scripturarum interpretationis, substituant.

212. PROB. I PARS. Ecclesia est *infallibilis in docendo*. Matth. lt. : *Docete omnes gentes... Ecce ego vobiscum sum* (docentiuus) *usque ad consummationem sæculi*.— Joan. XVI, 16, 26 : *Ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum... ille vos docebit omnia*. Et XVI, 13 : *Ille docebit vos omnem veritatem*.

213. II PARS. *Infallibilis in credendo*. Ecclesia est perpetuo duratura ; ergo in fide indefectibilis : secus enim non jam esset Ecclesia, seu vera *societas Christis fidelium*, illa nempe quam Christus instituit.

214. I Tim. III, 15 : *Scias quomodo oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis*.

PROPOSITIO IV.

Christus Ecclesiam suam instituit ut societatem visibilem.

215. *Propositio certa ac fidei proxima*, ex art. 1, 3, 5, 6, 21, Joann. Huss. Damn. a Conc. Constant. et Mart. V; item ex Quesn. 72ª seqq. imo, apertissime Concilium Vatic. Constit. Dei Filius cap. III, sic est locutum : *Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci*.

216. Ecclesiæ visibilitas connexa est cum ejus necessitate : si enim adiri ab hominibus debet, necesse est ut videri et agnosci possit.

217. *Visibilis* autem Ecclesia dici potest *materialiter* et *formaliter* : materialiter, quatenus constat ex hominibus qui oculis videri possunt ; et ita omnes justi sunt visibiles, licet justitia eorum videri non possit. — Formaliter, quatenus videri potest qua Ecclesia est, et characteres præfert conspicuos divinitatis

suæ. Ita ipse Christus Dominus visibilis fuit in terra, non tantum qua Homo erat, sed etiam qua Homo-Deus ; cum divinitas ejus signis manifestis effulgeret.

218. Protestantes visibilitatem formalem Ecclesiæ negarunt, dicentes, Ecclesiam constitui solis justis aut prædestinatis ; vel saltem absconditam in vere credentibus delitescere. – Nos Ecclesiam ex Christi institutione visibilem dicimus ; sed ita ut, qua Ecclesia Christi est, inter omnes sectas sit visibilibus characteribus conspicua.

219. PROB. 1° *Ex Scriptura.* Isai. II, 2 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* — Matth. V, 14 : *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* — Act. XX, 28 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

220. 2° *Ex traditione.* Origenes : *Ecclesia plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem.* Homil. in Matth. — S. Chrysostomus : *Facilius est solem exstingui, quam Ecclesiam deleri.* Hom. 4 in cap. LX Isaiæ.

221. 3° *Ex natura Ecclesiæ.* Ecclesia est societas hominum ; atqui hæc est necessario visibilis. Nam in omni societate humana est aliqua auctoritas ; hæc autem, cum non nisi in subditos cognitos et spectabiles exerceri possit, visibilitatem in societate supponit. — Præterea Ecclesia est societas necessaria ; ergo hominibus innotescere debet [1].

PROPOSITIO V.

Unitas simul proprietas et nota veræ Christi Ecclesiæ est.

222. Prima pars *de fide* est, ex Symbolo Constantinop. : *Credo... unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.* — Altera pars, asserens unitatem esse simul notam, fide certa est, ut ex probatione patebit.

223. *Unitas* Ecclesiæ in eo consistit, ut ad instar individui hominis viventis, pluralitatem et divisionem excludat ; complectitur itaque duo : unicitatem et unionem.

224. *Unitas* excludit pluralitatem Ecclesiarum, tum simultaneam tum successivam.

225. *Unio* excludit divisionem, et in eo consistit, ut ex omnium Ecclesiæ partium ac membrorum connexione, compositum quoddam unum, seu corpus efficiatur, perfecte, tam ratione *sui*, quam ratione *temporis et spatii, indivisum.* 1° *Ratione sui*, unio ex triplici unitate partiali constituitur, *fidei* scilicet, *hierarchiæ* et *cultus.* — Unitas fidei, cui connexæ sunt spes et charitas, quæ ex fide consequi solent, merito quoque *unitas animæ*, vel

[1] Non desunt ipsorum Protestantium testimonia nobis suffragantia, ut art. 12 Confess. Saxonicæ. Cf. Wallenburgicos. *De unit. Eccl.* l. 1, c. 5.

animorum, dicitur. — Unitas hierarchiæ in una auctoritate suprema sita est, a qua totum corpus gubernatur et regitur : hæc merito *unitas corporis* vocatur. — Unitas cultus consistit in uno eodemque sacrificio, in iisdemque sacramentis, quibus religio exercetur : hæc quoque recte *unitas operationis* vocari potest. — 2° — *Ratione temporis et spatii*, Ecclesiæ unitas perfecte indivisa esse concipitur, si omnibus sæculis quibus exstitit, omnibus quoque mundi partibus quibus disseminata est, una eademque apparet in fide, in hierarchia et in cultu; haud secus ac sol idem semper esse conspicitur, eademque perpetuo luce omnes mundi partes illustrat.

226 Dicitur in propositione, unitatem esse *simul proprietatem et notam :* scilicet, proprietas est, quatenus elementum seu charisma divinitus Ecclesiæ inditum; nota vero, quatenus illa indita virtus extrinsecus conspicua apparet.

227. PROB. I PARS. *Unitas est Ecclesiæ proprietas*, si Christus Ecclesiam suam esse unam voluit in fide, in hierarchia et in cultu, quamdiu et ubicumque ea esset exstitura ; atqui id Christum voluisse Scriptura et Traditio demonstrant; ergo.

228. 1° Societas Christi fidelium vocatur *Ecclesia Christi*, non Ecclesiæ ; *ædificium, templum* [1], *domus* [2], quam ipse ædificavit ; *regnum Christi, corpus Christi unum, ovile Christi* cujus unus pastor [3].

229. Joann. XVII, 11 seqq. : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos... Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me ; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus quia tu me misisti.*

230. Eph. IV, 3 seqq. : *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et pater omnium, qui est super omnes, et per omnia et in omnibus nobis.* — I Cor. X. 17 : *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.*

231. 2° *Traditio.* S. Ambrosius Ecclesiam vocat *congregationem, quæ in unum connexum corpus atque compactum, unitate fidei et charitate assurgit.* De offic. l. 3, c. 3.

232. S. Cyprianus : *Quomodo solis multi radii, sed lumen unum : et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum : et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copia largitatis, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore*

[1] Eph. II, 2. — [2] Hebr. III, 3. 6. — [3] Joan. X, 16.

frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic et Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit : unum tamen caput est, et origo una, et una mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est et pudica Unam domum novit, unius cubilis sanctitatem casto pudore custodit. De unit. Eccl. n. 20.

233. II PARS. *Unitas est Ecclesiæ nota*, si extrinsecus apparet, et ab ipso Christo, ac SS. Patribus, tanquam veræ Ecclesiæ tessera exhibetur ; atqui talis est unitas. — Etiam unitas spiritus extrinsecus apparet, tum in unitate Symboli seu confessionis, tum in unitate regiminis seu communione pastorum, tum denique in unitate sacrificii et sacramentorum ; et quidem pro omni tempore et loco, ad quæ vera Christi Ecclesia extenditur.

234. Exhiberi autem unitatem tanquam tesseram, ex citatis Joan. XVII et Cypriani verbis facile cernitur.

PROPOSITIO VI.

Sanctitas est simul proprietas et nota veræ Christi Ecclesiæ.

235. Pars prior est *de fide*, altera, *fide certa*, ut dictum est de Unitate.

236. Ecclesia dicitur sancta, fere sicut arbor dicitur fructifera. Arbor fructifera dicitur, tum quia naturam fructiferam habet, ac virtutem continet fructificandi ; tum quia reapse fructus producit : ita Ecclesia non solum ex Christo, tanquam ex divina radice, virtutem habet ferendi fructum multum [1] ; sed etiam revera fructus omnigenos et mirabiles sanctitatis perpetuo fundit.

237. Hæc porro sanctitas simul Ecclesiæ proprietas est et nota. Ut est *proprietas*, multipliciter spectari potest. Est enim Ecclesia sancta 1° in Auctore suo, 2° in essentia seu constitutione sua, 3° in fine suo, 4° in mediis suis, 5° in capite suo Christo, 6° in ipso corpore seu membris suis, quæ divinis charismatibus, nempe gratia sanctificante et dono miraculorum, pollent.

238. Sanctitas, ut est *nota*, spectari potest dumtaxat in corpore et membris Ecclesiæ ; consistitque 1° in cultu eximiarum virtutum, 2° in miraculis. Hæc enim duo intuentium oculos tanquam cœlesti fulgore percellunt, adeo ut viri sancti et thaumaturgi *luceant sicut luminaria in mundo* [2].

[1] Cf. Joan. V. — [2] Phil. II, 15.

229. PROB. Sanctitas est simul proprietas et nota Ecclesiæ, si 1° divinus Auctor et Caput ejus eam sanctam esse voluit in essentia seu constitutione sua, in fine et mediis suis ; et si 2° eam in corpore et membris dotavit charismatibus iis, quæ sese tum virtutibus eximiis, tum miraculis proderent ; atqui hæc duo facta constant ; ergo.

240. 1° *Auctor divinus Ecclesiæ voluit eam esse sanctam.*— Cum enim Ecclesiæ Auctor et Caput sit ipse Christus, constitutio sit opus Christi, finis sit hominum sanctificatio ac salus, media sint doctrina sancta et sacramenta ; sponte patet, in omnibus his Ecclesiam, voluntate Auctoris sui, esse sanctissimam.

241. 2° *Christus voluit Ecclesiam suam pollere tum gratia et virtutibus eximiis, tum dono miraculorum.*

242. -1) *Gratia et virtutibus.* — *a*) In genere. Eph. V, 25 : *Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ ; ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi : sed ut sit sancta et immaculata.* — Joan. X, 10 : *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.*—Matth. V, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* [1].

243. *b*) In specie, Christus Ecclesiam suam pollere voluit *divina charitate, constantia usque ad sanguinis effusionem, triplici perfectione paupertatis, virginitatis et obedientiæ* [2].

[1] Cf. Phil. II, 15; Tit. II, 14; Rom. VIII, 29; Eph. I, 4. Item Matth. XIII, 24 seqq., Numer. XXII, 5 seq.; Ps. XLIV, 10 seq.

[2] Hæ tres virtutes *consilia evangelica* vocantur, quorum observatio vitam perfectionis constituit. Quod si observatio consiliorum suscipiatur modo stabili et in perpetuum, enascitur peculiaris vitæ status, qui status perfectionis sive status religiosus vocatur, a statu vitæ communis, seu mandatorum, divina ordinatione distinctus. Stabilitas ad statum religiosum requisita, regulariter in tribus, ut aiunt, religionis votis fundatur, quibus homo in perpetuum se tradit, consecrat ac devovet divino obsequio. Fideles qui hunc in modum se Deo consecrant, *religiosi*, vel etiam *regulares* nuncupari solent ; cujusmodi omni tempore, licet varia forma, in Ecclesia floruerunt. Non tantum enim religiosorum origo ad sæculum quartum vel tertium ascendit, quod quidam falso asseruerunt ; sed ut ipse Protestans Mosheim fatetur (*Hist. Christ.* sæc. 2, § 35 ; et sæc. 3, § 28), et alius Protestans, Bingham, probat (*Orig. Eccl.*, t. 3, l. 7, c. 1), ad ipsa Christianismi primordia pertingit. Imo dici potest, religiosam vitam ab ipsis Apostolis fuisse cultam, quippe qui consilia et exempla Domini perfectissime secuti sunt ; quemadmodum testantur, Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus* &c., quibus verbis vitam consiliorum enuntiant, de qua Dominus occasione adolescentis loquebatur. Et si minus Apostoli votis se obstrinxerunt, quod tamen multi Patres affirmant ; negari non potest, ipsos se stabili modo et in perpetuum, relictis omnibus, Domino tradidisse et consecrasse. — Porro sicut ab Ecclesiæ primordiis vita religiosa coli cœpit, ita deinceps nunquam florere desiit, neque desitura censenda est. Etenim est Ecclesiæ connaturalis, et quodammodo necessaria, non quidem necessitate essentiæ, sicut sacerdotium ; sed necessitate integritatis, et efficaciæ verborum Domini. (Cf. Suarez, tom. 14, *De Relig.* tract. 7, q. 3, c. 2 ; S. Thom. 2. 2, q. 184, art. 5, et q. 183, art. 2. — Item hujus op.

244. Joan. XIII, 34 : *Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem sicut dilexi vos...In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* — I Joan. III, 16 : *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

245. Joan. XV, 20 : *Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt et vos persequentur.* — Matth. X,19 : *Quum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.*

246. Matth, XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus,et habebis thesaurum in cœlo ; et veni sequere me.* — Ibid. 12 : *Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.* Cfr. V, 28, 29 ; Luc. IX,23. — Joan. XIII,15 : *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.*

247. -2) Christus Ecclesiam suam ornatam voluit *dono miraculorum.* Joan. XIV, 12 : *Amen, amen,dico vobis : qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet.* — Marc. ult. : *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur....*

248. Idem ratio suadet : Synagoga enim, sponsa repudianda, dotata fuit potestate miraculorum ; ergo multo magis Ecclesia, sponsa perpetua, eodem charismate dotata est.

tom. 2, tract. *De Virtutibus*, cap. 3, art. 3, quæst. 17 et 18, n. 371 seqq.) — Dominus nimirum vitam consiliorum instituens, verbo suo semen jactavit, quod sterile esse non potest. Quam in rem egregie Balmes adversus Protestantes scribit : « On a dit que la Religion pouvait vivre sans les institutions religieuses... « Il y a là un sophisme grossier. De ce qu'une chose n'est point nécessaire à « l'existence d'une autre, il ne s'en suit pas que cette première chose n'ait « point son origine dans la seconde. L'arbre peut exister sans ses fleurs et ses « fruits ; fleurs et fruits peuvent certainement tomber sans que le tronc robuste « perde sa vie ; mais tant que l'arbre existera, cessera-t-il jamais de donner des « preuves de sa vigueur et de sa beauté, d'offrir aux yeux les charmes de ses « fleurs, et au palais les délices de ses fruits ? Le ruisseau peut courir sans cesse « dans un lit de cristal sans les verts tapis qui embellissent ses bords ; mais « tant que la source versera son onde, tant que la bienfaisante et féconde liqueur « s'infiltrera dans les veines du sol, les heureuses rives pourront-elles rester « sèches, stériles, sans couleur et sans parure ? Appliquons ces images à l'objet « qui nous occupe... Il est certain qu'il y a dépendance nécessaire entre les « communautés religieuses et la Religion ; voilà pourquoi l'on voit partout où la « Religion prend racine, les communautés religieuses germer aussitôt. » *Le Protestantisme comparé au Catholicisme*, tom. 2, chap. 38.

PROPOSITIO VII.

Catholicitas est simul proprietas et nota veræ Christi Ecclesiæ.

249. Pars prior *de fide*, altera *fide certa*, ut dictum est de Unitate.

250. Catholicitas, *qua proprietas*, est missio Ecclesiæ ad humanum genus, tum tempore tum spatio universum ; ejusque proin ad fructificandum ubique aptitudo et tendentia.

251. *Quatenus nota*, est ejusdem moralis per totum orbem diffusio [1], ita ut omnium gentium religio esse appareat. — Hæc diffusio catholica requirit duo : *unitatem et numerum*. Requirit unitatem, sicut vitis aliqua non dicitur late diffusa, nisi quatenus suos palmites *stirpi semper conjunctos* quaquaversus extendat. Requirit numerum *absolute amplum*, ut Ecclesia spectabilis appareat inter populos terræ : et forte postulat etiam [2] *relative majorem singulis sectis*, ut sectas dissidentes pateat non esse nisi rebelles, et provincias ab imperio deficientes.

252. Adversatur hæc catholicitas omni particularitati, sive loci, qua olim Synagoga, sive ditionis politicæ, qua omnes sectæ acatholicæ constrictæ sunt.

253. Quoniam catholicitas, quatenus proprietas est, immediate se prodit ad extra et notam efficit, eamdem proprietatem et notam esse simul probabimus.

254. PROB. 1° *Ex Vet. Testamento.* — Isai. XI, 10 : *Radix Jesse, qui stat in signum populorum : ipsum gentes deprecabuntur.* — Ibid. LIV, 1 : *Lauda sterilis, quæ non paris : decanta laudem et hinni, quæ non pariebas : quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas : longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis ; et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit.*

255. 2° *Ex N. T.* — Luc. XIII, 19 : *Regnum Dei simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit et factum est in arborem magnam ; et volucres cœli requieverunt in ramis ejus.* — Rom. XI, 25 : *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc : quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.*

256. 3° *Ex traditione*, Symbol. apost. : *Credo... Ecclesiam catholicam.* — S. Ignatius ad Smyrn. scribit : *Ibi Christus,*

[1] Non defuerunt probati Theologi, ut Canus et Bellarminus, qui ad notam catholicitatis, universalitatem successivam sufficere senserint. Cf. Bellarm. *De notis Ecclesiæ*, l. 4, c. 7. — [2] Cf. Suarez, tom. 21, *Defensio fidei catholicæ*, l. 1, c. 16.

ubi est Ecclesia catholica. — S. Pacianus : *Christianus mihi nomen, Catholicus vero cognomen.* Ad Sympron. Epist. 1, n. 4. — Augustinus : *Hæc est Ecclesia unica Catholica, quæ toto orbe copiose diffunditur, quæ usque ad ultimas gentes crescendo porrigitur.* Ep. 120.

257. 4° *Ratione theol.* Ecclesia ad conservandam Christi religionem est instituta ; atqui ad hoc requiritur ut universalis sit. Oportet enim ut fides servetur universaliter et prædicetur omni creaturæ ; quod fieri, nisi Ecclesia universalis sit, non potest.

PROPOSITIO VIII.

Apostolicitas simul est proprietas et nota veræ Christi Ecclesiæ.

258. Pars prior *de fide*, altera *fide certa*, ut dictum est de Unitate.

259. Apostolicitas, qua *proprietas*, in eo consistit quod, ex Christi voluntate, Ecclesia super Apostolos, hoc est, super Apostolorum et doctrinam et missionem fundata permaneat. Unde apostolicitas duplex, *doctrinæ* et *missionis*, quæ et *successionis* dici solet, distinguitur. — Apostolicitas *doctrinæ* in eo sita est, ut qualis ab Apostolis tradita fuit doctrina Ecclesiæ, talis ab Ecclesia fideliter custodiatur ; *successionis* vero, in eo, quod Pastores ab Apostolis instituti, sine interruptione, legitima serie succedant : adeo ut persona Apostolorum in ipsorum successoribus moraliter perseveret ; et missio atque auctoritas divina, ab Apostolis tanquam patriarchis, spirituali quadam generatione perpetuo propagetur.

260. Apostolicitas, qua *nota*, est apostilicæ originis, apostolici quasi seminis manifestatio : 1° quidem per doctrinam apostolicam, quam ab Apostolis in Ecclesia receptam fuisse et inviolabiliter custoditam, factis externis appareat ; 2 vero et præcipue, per successionem Pastorum legitimam, quorum series ab ipsis Apostolis exordiatur. — Hæc autem series ut vere apostolica sit, non est necesse eam in singulis Ecclesiis immediate ad Apostolos pertingere : sed sufficit apostolicam originem obtineri mediate ; nimirum per communionem cum Ecclesia saltem una, quæ seriem Pastorum suorum ab Apostolis immediate exorsam, ad nos usque legitime perduxerit.

261. PROB. Apostolicitas est propietas simul et nota, si Ecclesia vere super Apostolos fundata est, et si factum illud perspicuum est, ac tanquam veræ Ecclesiæ indicium a Patribus exhibetur ; atqui res ita se habet ; ergo.

262. Eph. II, 19 : *Estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in*

Domino. — Appoc. XXI : *Veni, et ostendam tibi sponsam uxorem Agni... Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de cœlo a Deo... Et murus civitatis habens fundamenta duodecim : et in ipsis duodecim, nomina duodecim Apostolorum Agni.*

263. Tertullianus : *Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.* De præscr. c. 32. — S. Irenæus : *Traditionem itaque Apostolorum, in toto mundo manifestatam, in Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint audire ; et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt quale ab his* (hæreticis) *deliratur.* Adv. hær. l. 3[1].

[1] Cf. Perrone, *De Eccl.* n. 173 seqq.

CAPUT SECUNDUM.

DE ECCLESIÆ CHRISTI CUM ECCLESIA ROMANA IDENTITATE.

264. Descriptis Ecclesiæ Christi qualitatibus, ad alterum quod propositum erat, gradus est faciendus: ut qualitates illas Ecclesiæ Romano-Catholicæ, eique soli, convenire demonstremus. Sic illud integre conficietur quod a principio tractatus institutum est, probare nempe, Ecclesiam Romano-Catholicam esse veram Christi Ecclesiam.

265. Ecclesia Catholica vera Christi Ecclesia esse manifestabitur, si ipsa præ se fert illam quam supra delineavimus imaginem, nullaque alia secta huic formæ seu exemplari respondeat. Porro exemplar, supra delineatum, duos characteres præfert insigniores : *primatus Petri* et *quatuor notarum*. Hos duos characteres Ecclesiæ Romanæ soli proprios esse et peculiares, ostendemus, duplici usi argumento : 1° Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia, si ipsa primatum B. Petro concessum possidet ; atqui illum primatum possidet ; ergo. — 2° Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia, si quatuor notas, Ecclesiæ Christi exclusive proprias, ipsa inter omnes sectas christianas præfert sola ; atqui ita est ; ergo. — Unde tres articuli :

Articulus I, *de primatu Romani Pontificis.*
Articulus II, *de notis veræ Ecclesiæ in Romana Ecclesia consideratis.*
Articulus III, *de absentia notarum in sectis acatholicis.*

ARTICULUS I.

DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

266. Primatus Romani Pontificis, uti mox demonstrabitur, est ipse primatus B. Petri, Romanis Pontificibus, tanquam legitimis principis Apostolorum successoribus et hæredibus, transmissus. Definiri potest : *Præeminentia, qua Romanus Pontifex, tum honorem ac dignitatem, tum jurisdictionem ac potestatem in universam Ecclesiam divino jure obtinet. — Dicitur :* qua obtinet *honorem ac dignitatem*, quali v. g. gaudet Imperator inter Reges non sibi subditos, vir nobilis inter plebeios, præses collegii inter collegas æquales. — Dicitur : *jurisdictionem obtinet ac potestatem*, quali nimirum gaudet Princeps quilibet aut magistratus in subordinatos sibi officiales: sic Rex inter omnes principes sibi subditos primatum tenet.

267. Primatus Romani Pontificis est nota et quidem adæquata, hoc est exclusive propria, veræ Christi Ecclesiæ. Etenim si Romanus Pontifex Ecclesiæ Christi principatum tenet, hoc ipso veræ Ecclesiæ caput est, et centrum unitatis catholicæ. Ergo Ecclesia ipsi adhærens, est genuina Ecclesia Christi. Ubi namque centrum est, ibi circulus ; et ubi caput est, ibi et corpus esse cognoscitur : valetque conclusio : *Ubi Papa ibi Ecclesia*, sicut alio nomine sed eodem sensu dicebant Patres: *Ubi Petrus ibi Ecclesia* [1].

268. Hinc patet cur primatus R. Pontificis recte dicatur esse cardo, circa quem reliquæ omnes volvuntur controversiæ, inter Ecclesiam Romanam et sectas agitatæ. Hoc si admitterent dogma, illico omnes heterodoxi fierent catholici.

269. *Heterodoxi omnes*, præsertim recentiores sæculi XVI, negant RR. Pontifices esse B. Petri in primatu successores; imo ex iis quidam longius progressi, B. Petri Romæ fuisse Episcopum, contra omnium sæculorum testimonium, negare ausi sunt. Horum primus fuit, sæc. XIV, Marsilius Patavinus, qui levissimis conjecturis ductus, ad fovendum Ludovici Bavarici schisma, rem absque ullo successu inficiatus est. Dein sæc. XVI, alii in eumdem sensum de hoc argumento scripserunt, plurimis e suis cohæreticis contradicentibus [2] ; inter quos Grotius sic ait : *Romæ Petrum fuisse, nemo verus Christianus dubitavit* [3].

270. *Catholici omnes* unanimi consensu docent et credunt, Episcopum seu Pontificem urbis Romæ, esse B. Petri successorem in primatu supremo, omnibusque privilegiis quæ eidem annexa sunt ; ita ut, quemadmodum fuit B. Petrus, sic R. Pontifex vere Christi in terris Vicarius existat ; Romanum nempe Pontificem legitime occupare credunt Petri cathedram, quam B. Apostolus ex Christi ordinatione omnibus suis prærogativis ornatam, successoribus suis tanquam hæredibus reliquit. Itaque R. Pontificem esse hæredem primatus et potestatis B. Petri, consentiunt omnes ; et si qua inter ipsos controversia est, ea circa designandos hujusce potestatis limites versatur.

Propositio unica, *de veritate primatus Rom. Pontificis.*
Corollaria, *de natura et juribus primatus Romani.*
Quæstio, *de jure divino Romanæ Sedis.*

[1] Ambros. In Psalm. 4, n. 30. — [2] Cf. Bellarm. *De Summo Pontif.*, lib. 2.
[3] Comment. *In I Epist. Petri.*

PROPOSITIO UNICA.

Primatus, B. Petro a Christo concessus, in Romano Pontifice perseverat.

271. *De fide,* ex decreto Concilii Flor. *pro unione Græcorum;* item, ex Confessione Fidei, quæ Michaeli Palæologo Imperatori a Clemente VI, anno 1267, proposita, et vicissim ab ipso in Conc. Œcumenico Lugd. II, 1274, Gregorio X fuit oblata. In hoc documento legitur : *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum, super universam Ecclesiam catholicam, obtinet ; quem se ab ipso Domino in B. Petro, Apostolorum principe sive vertice, cujus R. Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter et humiliter recognoscit.* Idem declarat et sub anathemate definit Concil. Vatican. Constit. *Pastor æternus,* cap. II. — Cf. Profess. fid. Trid. et Pistor. damnat. prop. 3.

272. PROB. 1° *Ex primatus necessitate.* Primatus Petro collatus debet in Ecclesia perseverare ; atqui nullibi perseverat nisi in Ecclesia et in Episcopo urbis Romæ ; ergo — *Minor* patet, eo quod nullus unquam Episcopus, vel Petri successorem se esse contenderit, vel potuerit aliqua probabilitatis specie contendere ; præter Episcopos RR., qui semper, omnes, unanimiter se tales esse dixerunt : ergo tales revera sunt.

273. *Ex facto Petri et jure successionis.* Ille Petri primatum possidet qui est legitimus ejus successor ; atqui talis est R. Pontifex. *Prob. min.* Successor Petri est Romanus Episcopus, si Petrus Romæ sedem suam episcopalem habuit, et eam ibidem moriendo RR. Pontificibus tanquam successoribus reliquit ; atqui hoc est factum omni certitudine historica et traditionali [1] confirmatum. S. Hieronymus ad Damasum scribit : *Cum successore Piscatoris, et discipulo crucis loquor. Ergo Beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior : super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio.* — S. Augustinus : *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, et in qua nunc Anastasius sedet ?* Contra litt. Petiliani, l. 2, c. 51. — S. Cyprianus : *Navigare audent ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.* Epist. 55 ad Cornel [2].

274. 3° *Ex constanti universalis Ecclesiæ traditione circa Romani Pontificis primatum.* In Conc. Ephes. 431, actione IV, Juvenalis, Hierosolymitanus patriarcha, sic loquitur : *Oportebat quidem Joannem, reverendissimum Antiochiæ Epis-*

1 Ut probabilius tenetur, Petrus Romam venit anno 41 æræ vulg., 10 a passione Christi; mortem autem ibidem oppetiit an. 66 æræ vulg., 35 a passione Domini, Neronis vero 14. — 2 Cf. Iren. *Hæres.* l. 3, c. 3; alios apud Bellarm. *De summe Pontif.* lib. 2, cap. 3 et 4.

copum, hac sancta et magna et œcumenica Synodo considerata, confestim ut de iis quæ ipsi objiciuntur se purgaret, accurrere ad Apostolicam Sedem magnæ Romæ nobiscum considentem... præsertim cum apud illam Sedem Antiochenæ ipsi sedi, ex apostolico ordine et traditione, mos sit dirigi, et apud ipsam judicari.

275. In Conc. Chalced. an. 451, Paschasinus, S. Leonis Papæ legatus, aliis legatis præsentibus, dixit : *Beatissimi atque Apostolici viri Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus* (Alexandrinus Episc.) *non sedeat in Concilio.* — Idem Concilium, actione I, II et III, passim vocat Leonem *universalis Ecclesiæ Pontificem.*

276. 4° *Ex ipso hujus primatus exercitio*, quod historia testatur. Etenim habemus ex I sæculo S. *Clementis* Rom. *potentissimas litteras*, ut S. Irenæus ait [1], ad Corinthios, ob exortas in ea Ecclesia dissensiones, datas. — Sæc. II, *Victor* Papa magnam auctoritatem exercuit, in eo, quod cum Asiaticis quartodecimanis habuit, dissidio ; magnam sæc. III *Stephanus*, in causa rebaptizantium. Eodem sæculo contigit, ut S. Dionysius Alexandrinus, ob hæresis suspicionem, a Catholicis apud S. *Dionysium* Papam accusaretur; *a quo, re diligenter perpensa*, ut S. Athanasius scribit [2], *absolutus est Dionysius.* — Sequentibus sæculis, cum, pace Ecclesiæ data, liberius tractari possent negotia ecclesiastica, et internis dissidiis gravius quam unquam antea conflictaretur Ecclesia, frequentiora etiam et illustriora occurrunt hujus supremæ potestatis exempla. Notum est, Romanos Pontifices semper coegisse œcumenica Concilia, iisque saltem per legatos suos præsedisse [3]. Notum est, quid *Julius* Papa egerit in causa S. Athanasii aliorumque Episcoporum, qui ab Arianis depositi fuerant ; quid *Liberius* in causa Eustathii Sebasteni, et *Innocentius* in causa S. Joann. Chrysostomi, qui iniqua sententia damnatus, ad auctoritatem apostolicæ Sedis confugit, et in 1ª epist ad Innocentium data, inter alia ait : *Scribite precor, et auctoritate vestra decernite, hujusmodi inique gesta, nobis absentibus et judicium non declinantibus, nullius esse roboris.*

COROLLARIA.

277. COROLL. I. Primatus Rom. Pontificis non est tantum honoris et dignitatis, sed *potestatis et jurisdictionis*. Etenim 1° primatus R. Pontificis idem est ac primatus B. Petri jugiter in successoribus ejus perseverans. — 2° Testimonia christianæ antiquitatis, et exercitium perpetuum pontificiæ potestatis, non primatum honoris tantum, sed etiam jurisdictionis indicant.

[1] *Hæres.* l. 3, c. 3. — [2] Apud Baron. ad an. 263. — [3] Cf. Perrone, *De Rom. Pontif.* tom. 8, n. 661.

278. COROLL. II. Ergo R. Pontificis auctoritas est auctoritas vere *episcopalis* super omnes Episcopos; ita ut Petri successor, non primus inter pares, sed princeps sit inter subditos. Quapropter ad solum R. Pontificem, vi sui primatus spectat, Concilia œcumenica cogere, iis præsidere, eaque confirmare. Cfr. Constit. *Pastor æternus*, cap. III, *de vi et ratione primatus Romani Pontificis.*

279. COROLL. III. Ergo primatus R. Pontificis, quatenus est ipse successor Petri, non est juris ecclesiastici, sed divini; a Domino enim statutum est, ut Petri successor plenitudine potestatis Petri gauderet. Quare Pius VI, propositionem 3^am^ Pistoriensium damnando, sic ait: *Insuper, propositio quæ statuit, R. Pontificem esse* CAPUT MINISTERIALE, *sic explicata ut R. Pontifex, non a Christo in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiæ caput, pollet in universa Ecclesia; hæretica.* — Eamdem doctrinam prædicabat S. Leo, his verbis: *Itaque, dilectissimi, in persona humilitatis meæ ille intelligitur, ille honoretur, in quo et omnium Pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat; et cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit.* Serm. 2 in annivers. Assumptionis suæ.

QUÆSTIO.

280. *An successio in locum Petri adhæret Romanæ Sedi jure divino?* — Resp. Romanus Pontifex, ut modo diximus quatenus de facto est Petri successor, jure divino Petri privilegiis gaudet. Hic autem ulterius inquiritur, utrum Sedes *Romana* sit *Cathedra Petri jure divino*, ac proin, utrum necessario Petri successor debeat esse Episcopus *urbis Romæ*. Communis et longe probabilior sententia [1], respondet affirmando, summum Ecclesiæ Pontificem, B. Petri hæredem, jure divino atque ordinatione Christi, non alium esse posse ac Episcopum *Romanum* nec in Ecclesiæ potestate esse, ut Petri privilegia in aliam Sedem transferat. Etenim B. Petrus, dum Romæ, qua Episcopus simul et Papa sederet, ibidem mortuus est, et Episcopatum ac Primatum suum indivise, ibidem moriendo, successoribus reliquit.

281. OBJIC. 1° Potuit Petrus Episcopatum suum a Primatu separare, adeo ut, qua Episcopus particularis sederet in uno loco, et qua Papa in alio; atqui, eamdem adhuc separandi facultatem habet Petri successor, vel ipsa Ecclesia; ergo primatus non jure divino Romanæ sedi est alligatus. — R. *Trans. maj.* De hujusmodi separabilitate nihil, neque in Scriptura, neque in Traditione insinuatur; e contra, episcopalis et papalis po-

[1] Cf. Bellarm. *De Rom. Pontif.* lib. 2, c. 12. — Wirceb. Theol. *De Eccl.* c. 3, art. 2.

testes, in una Sede Petri, ubique conjunctæ supponuntur. **Ad minorem**: *neg.* Etenim, quoniam Ecclesiæ Caput necessario Petri successor esse debet, jam alius esse non potest quam Episcopus Rom. Non enim Antiochenus : cum Petrus sedem Antiochenam deserens, primatum secum Romam transtulerit, ubi sedem ultimo fixit. Unde Antiocheni Episcopi primatum nunquam sibi vindicarunt. Alibi autem Petri successor haberi non potest, cum alibi Petrus non sederit.

282. *Obj.* 2° Primatus R. Pontificis fundatur in facto humano, nimirum in electione Sedis Romanæ a Petro facta; ergo non est juris divini. — R. *Dist. antec.* Fundatur in facto humano tanquam conditione, *trans.*; longe enim abest ut probatum sit, S. Petrum sine Christi monito aut instinctu, sedem urbis Romæ, quæ mundi centrum erat, elegisse ; — fundatur in facto humano, tanquam causa et origine ac vero principio, *neg.* — Sicut Eucharistia pendet ab electione *talis panis* in particulari, tanquam conditione ; a verbo autem Christi tanquam vero principio, nec potest per hominem tolli consecratio semel facta ; ita R. Sedes, etiamsi daretur eam electam fuisse humanitus, obtineret potestatem papalem divinitus. — Proinde Theologorum communis est doctrina, Primatum a Romana Sede non amplius separari posse. Potest quidem alio transferri *residentia*, non vero *Sedes et Sedis titulus*. Sic aliquando RR. Episcopi seu Pontifices residere potuerunt Avenione; sed ut simplex Episcopus Avenionensis sit Papa, summus Pontifex, successor Petri, fieri nequaquam posset. Quare cum olim Avenionensi Papæ, qui Italis erat infensus, quidam familiaris suaderet, ut Papatum Romæ eriperet, et Cadurcum transferret in Vasconiam: consilium Pontifex ridendo excepit : *An ignoras*, ait, *me tunc Episcopum Cadurcensem, illum qui Romæ præfuerit Papam fore*[1] ?

ARTICULUS II.

DE NOTIS VERÆ ECCLESIÆ IN ROMANA ECCLESIA CONSIDERATIS.

283. Præter R. Pontificis primatum, aliud datur criterium ad veritatem Ecclesiæ Romanæ dignoscendam, *criterium quatuor notarum*, quibus Ecclesiam Christi, ex Capite suo jam cognitam, uberiore luce cernimus coruscantem. Scilicet, non sine sapienti Dei benignitate, plura signa veræ Ecclesiæ dantur, 1° ut multiplicatis signis magis abundet claritas ; 2° ut sic argumenta accommodentur variis hominum ingeniis, quorum alii hoc, alii illo signo moveri solent.

Quæstiones præviæ *de notis.*
Propositio I, *de quatuor notis in genere.*
Propositio II, *de nota unitatis et sanctitatis in Ecclesia Rom.*
Propositio III, *de nota catholicitatis et apostolicitatis in Ecclesia Rom.*

[1] Petrarcha, in lib. Epistolar. sine titulo, ep. 15.

QÆSTIONES PRÆVIÆ DE NOTIS.

1° Quis est proprius notæ conceptus? — 2° Quotuplex notarum distinctio? — 3° Quænam sunt conditiones ad veram notam requisitæ? — 4° Quæ notæ Ecclesiæ assignantur a Protestantibus, quæ a Theologis catholicis?

284. QUÆR. 1° *Quis est proprius notæ conceptus?* — R. Nota Ecclesiæ, ut supra vidimus [1], est *proprietatis Ecclesiæ, divinitus inditæ, externa manifestatio.* — Unde conceptus notæ duo continet : externum effectum,et connexionem cum interna causa quæ est proprietas ; ita ut nota formaliter sumpta, semper cum elemento divino intrinseco, hoc est, cum proprietate, sit connexa.

285. Q. 2° *Quotuplex notarum distinctio occurrit?* — R. Duplex : distinguitur enim, -1) nota formalis et materialis. *Formalis* dicitur ea quæ connexa est, et spectatur ut connexa cum elemento divino intrinseco quod vocatur proprietas : ex. gr. externa Ecclesiæ Romano-catholicæ unitas nota formalis est, quatenus consideratur ut ab interno unitatis spiritu dimanans.— Nota *materialis* est ea, quæ spectatur præscindendo a connexione cum interna proprietate ; et *mere materialis* appellatur, si hujusmodi connexione destituta est : ex. gr. unitas Ecclesiæ Græco-schismaticæ, cum ab interno unitatis charismate non proveniat, si nota vocetur, mere materialis dicenda est.

286. -2) Distinguitur nota adæquata et inadæquata. *Adæquata* illa est, quæ veræ Ecclesiæ ita est propria, ut semper in ea effulgere debeat, nunquam in ecclesia falsa inveniri, ne materialiter quidem, possit. Hujusmodi nota est v. g. sanctitas,quæ, tum virtutum cœlestium cultu, tum miraculorum potestate resplendens, cum interno charismate necessario copulatur. — *Inadæquata* est illa, qua, dum vera Ecclesia carere nequit, falsæ quoque ecclesiæ, materiali tamen modo, gaudere possint ; talis dici potest *unitas*, si nempe hoc nomine nihil aliud intelligamus præter societatis christianæ qualemcumque formam, quam porro nonnullæ acatholicæ ecclesiæ retinent.

287. Q. 3° *Quænam sunt conditiones ad veram notam requisitæ?* — R. Quæ ad notam adæquatam juxta Bellarminum requiruntur, ad tria reduci possint : -1) sit notior ea re cujus dignoscendæ causa usurpatur ; -2) sit a vera Ecclesia inseparabilis ; -3) cum falsa conjungi non possit. — Ad notam inadæquatam etiam requiruntur duo priora ; non tamen tertium : cum nota inadæquata ecclesiis falsis, materiali quadam ratione, convenire possit.

288. Q. 4° *Quæ notæ Ecclesiæ assignantur a Protestantibus, quænam a Theologis catholicis?* — R. Protestantes illi qui Ecclesiæ visibilitatem admittunt, tanquam notas statuunt: -1) verbi

[1] Cap. 1, art. 3, n. 187.

Dei sinceram prædicationem ; -2) sacramentorum legitimam administrationem ; -3) professionem obedientiæ erga legitimum ministerium. — At hujusmodi notæ ineptæ sunt et rejiciendæ, cum nequaquam verarum notarum conditiones habeant. Etenim *non sunt notiores* re cognoscenda ; cum illa legitimitas in qua consistunt, vel non sit omnino sensibilis, vel saltem in dubium revocari possit et soleat. — Nec sunt exclusive *propriæ* veræ Ecclesiæ : possunt enim alibi inveniri ; vel saltem communiones variæ eas sibi vindicare possunt et solent.

289. Catholici passim Theologi notas statuunt has quatuor : *unitatem, sanctitatem, catholicitatem*, et *apostolicitatem*, illas nimirum ipsas, quas Conc. Nicæno-Constantinopolitanum expressit in Symbolo : *Credimus... et unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.* — Has notas etiam nos statuimus, ad quas aliæ, quæ aliquando afferuntur, revocari possunt.

PROPOSITIO I.

Notæ veræ Christi Ecclesiæ statui debent quatuor sequentes : unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas.

290. Propositio *communiorem Theologorem doctrinam* enuntiat : imo, si intelligatur hoc sensu, quod hæ quatuor proprietates singulæ, ad dignoscendam Ecclesiam aliquo modo conferre possint, est *fide certa* [1].

291. Hæ quatuor notæ, quas supra [2] descripsimus, ita sunt comparatæ, ut *unitas pluralitati ac divisioni; sanctitas, internæ vitæ ac virtutis defectui ; catholicitas, particularitati et sterilitati ; apostolicitas* demum, *novitati doctrinæ et legitimæ successionis interruptioni* opponatur.

292. Has quatuor notas esse *adæquatas*, si minus distributive, at saltem collective sumptas, contendimus. Qua restrictione interim non negamus, id quod multis placet, sed potius libenter admittimus, notas singulas, respectu hominum doctiorum esse adæquatas. — Illæ autem notæ, quas inadæquatas quis dixerit, non ideo sunt inutiles censendæ. Etenim, 1° majorem lucem veritati affundunt ; 2° probant *negative* contra hæreticos, cum falsam esse demonstrent sectam in qua non inveniuntur ; 3° probant *relative*, respectu nempe intelligentiarum quæ earum vim apprehendunt.

293. PROB. 1° Quatuor enumeratæ proprietates omnibus conditionibus pollent, quæ ad veras notas requiruntur ; ergo reipsa veræ notæ sunt.

294. -1) Sunt *necessariæ* seu inseparabiles : nam ab Ecclesiæ natura et proprietatibus, sicut a sole radii, sponte dimanant.

[1] Cf. quæ dicta in prop. *De propriet. et nota unitatis*, supra, n. 222.
[2] Cap. 1, art. 3, n. 222, 235 seqq.

295. -2) Sunt *notiores* re cognoscenda : nam omnium oculis apertæ sunt. Manifestatur enim unitas per fidei professionem, per cultum et sacramenta, per regimen hierarchicum. Manifestatur sanctitas per eximias virtutes et miraculorum charisma. Manifestatur catholicitas per diffusionem in varias orbis plagas, et per numerum, tum absolute tum relative spectabilem. Manifestatur apostolicitas per successionem Pastorum perennem, et doctrinam ab ævo Apostolorum immutabilem.

296. -3) Sunt *exclusive propriæ :* nam fieri nequit, ut in aliqua secta, etiam materialiter, saltem omnes simul inveniantur.

297. 2° Hæc quatuor semper a SS. Patribus pro notis fuere habita, ut supra ostensum est [1]. Unum hic juvat adjungere Augustini testimonium : *Multa sunt quæ me in Ecclesiæ gremio justissime tenent : consensio populorum et gentium ; auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta et vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus mandavit, usque ad præsentem diem successio Sacerdotum ; tenet denique ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit,ut omnes hæretici se Catholicos dici velint ; quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullas hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Lib. cont. Epist. fundam. c. 4.

PROPOSITIO III.

Ecclesia Romana habet has quatuor notas ; et imprimis notas unitatis et sanctitatis.

298. *Fide certum.*

299. PROB. I PARS. *Habet notam unitatis.* Hæc enim unitas, tum in hierarchia, tum in doctrina, tum in cultu, nostris diebus manifesta est sicut tempore Apostolorum [2],sicut tempore S. Irenæi scribentis : *Ecclesia, tametsi in universum orbem usque ad extremos terræ fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Jesum Christum Filium Dei, etc... hanc, inquam, fidem Ecclesia, tametsi per totum terrarum orbem sparsa,summo studio et cura, perinde atque unam domum incolens, conservat : ac velut animam unam, atque unum idemque cor habens, sic æque fidem accommodat et miro consensu,quasi uno ore prædita, hæc prædicat, docet ac tradit... Et sicut sol hic a Deo conditus in universo mundo unus atque idem est : ita etiam veritatis prædicatio passim lucet, omnesque homines,qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt, illustrat.* Hæres, l. 1, c. 10. Atqui ita loquitur

[1] Cap. 1, art. 3, n. 222 seqq. — [2] I Cor. X, 17.

S. Ireneæus de Ecclesia Romana, quam vocat *omnium maximam et antiquissimam, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo fundatam*. Lib. 3, c. 3. Ergo Ecclesia Romana habet notam unitatis.

300. II PARS. *Habet notam sanctitatis*, si sanctitas interna, seu spiritus Dei, quo Ecclesia animatur, per cultum eximiarum virtutum et miraculorum donum, in ejus corpore refulget : atqui sanctitatem illam duplici hoc fulgore elucere cernimus.

301. Utrumque ex historia Ecclesiastica probatur. 1° *Virtutum cultus :* hic -1) semper *resplenduit in doctrina* et disciplina, qua promovere Evangelicos mores, abusus autem impugnare, Ecclesia Romana nunquam destitit. Cujus facti testimonia continentur in Conciliis, nec non in actis et epistolis catholicis RR. Pontificum, per octodecim sæcula ad omnes Ecclesiæ generationes datis, quæ in Bullario magno collecta servantur. -2) *Semper floruit in membris* ejus : quod testantur carceres, amphitheatra, et omnes mundi plagæ sanguine martyrum tinctæ; testantur solitudines, montes et cavernæ, quo tot animæ puræ longe a sæculi corruptela convolantes, cœlestem vitam duxerunt; testantur sacra utriusque sexus cœnobia, quæ ubique terrarum, in sylvestribus locis sicut in frequentissimis urbibus, tanquam luminaria in mundo, perpetuo effulserunt; testantur christianæ beneficentiæ hospitia,aliæque institutiones omnigenis miseriis paratæ, quæ ubique in horto Ecclesiæ catholicæ florent et odorem spirant suavissimæ charitatis; testantur omnia Ecclesiasticæ historiæ monumenta, præcipue vero Martyrologia, et copiosissima Bollandianorum de Sanctorum actis volumina.

302. 2° *Miraculorum donum* nunquam ab Ecclesiæ corpore abfuisse, nullo sæculo, verius dixerim, nullo anno non emicuisse, eadem volumina testantur. Neque miracula Ecclesiæ catholicæ incerta sunt aut dubia ; sed examine probata severissimo [1], ut unusquisque cognoscere potest ex celeberrimo

[1] Ut leve specimen habeatur summæ severitatis, qua miracula Romæ expenduntur, adducere juvat factum, quod a P. Daubenton in vita S. Joan. Francisci Regis refertur. Cum Romam venisset conspicuus Anglus protestans, Prælatus quidam romanus, qui cum eodem amicitiam inierat, illi tabulas quibus plurium miraculorum probationes continebantur, legendas præbuit. Has ipse quum summa animi voluptate legisset, Prælato reddidit dicens : *Voilà certainement la plus sûre manière de prouver les miracles. Si tous ceux que l'on reçoit dans l'Église Romaine étaient établis sur des preuves aussi évidentes et aussi authentiques que ceux-ci le sont, nous n'aurions aucune peine à y souscrire, et par là vous vous sauveriez de toutes les railleries que nous faisons de vos prétendus miracles. Hé bien,* respondit Prælatus, *sachez que de tous ces miracles, qui vous paraissent si avérés et si bien appuyés, aucun n'a été admis par la Congrégation des Rites, parce qu'ils n'ont pas paru suffisamment prouvés.*—Protestans,ejusmodi inexspectato responso percitus, fassus est, non nisi præconceptis opinionibus obcæcatam mentem posse canonizationi Sanctorum obsistere ; neque arbitratum se esse, cautelam Ecclesiæ Romanæ in examine, quod ipsa instituit de miraculis, eo severitatis deduci. (*Vie du B. Jean F. Regis*, par le R. P. Daubenton. Paris, 1716, pag. 33.)

Benedicti XIV opere *De Beatif. et Canonizatione Sanctorum*, præsertim lib. 4. — Ad miracula referri possunt mirabilia, quæ Ecclesia catholica operatur in ordine morali : ejus, ad propagandam inter barbaros Fidem, ad convertendos peccatores, efficacia ; ejus, in pariendis Christo filiis, perpetua et inexhausta fecunditas [1].

PROPOSITIO III.

Ecclesia Romana habet notas catholicitatis et apostolicitatis.

303. *Fide certum.*

304. PROB. I PARS. *Habet notam catholicitatis*, si 1° moraliter universalis semper fuit, ac diffusa per omnes gentes ita, ut toti humano generi accommodata appareat ; et 2° si numero est absolute ampla, et relative amplior sectis singulis ; atqui hæc duo comperta sunt.

305. Nam 1° *illa universalis* Ecclesiæ Romanæ *diffusio*, patet, tum monumentis historicis, tum nomine *Catholicæ*. — Jam inde ab exordio, ipso Pentecostes die, Petrus, primus Ecclesiæ Catholicæ simul et Romanæ Pontifex, Evangelium prædicat variis linguis, ad viros *ex omni natione quæ sub cœlo est* [2] et de numero eorum baptizat tria millia. — Paulus de eadem Ecclesia Catholico-Romana scribit ad Coloss. I, 6 : *In universo mundo est, et fructificat, et crescit, sicut in vobis*. De eadem Ecclesia cujus Romana Sedes caput est [3], scribit, sæc. II, Irenæus : *Quanquam dispares inter se mundi linguæ sunt, una tamen et eadem est traditionis vis. Ac neque hæ, quæ in Germaniis sitæ sunt, Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt : nec quæ in Hispaniis aut Galliis, aut in Oriente, aut in Ægypto, aut in Africa, aut in mediterraneis orbis regionibus sedem habent. Verum ut sol... in universo mundo lucet*, Hæres. l. 1, c. 10. — Accedit ipsum *Catholicæ* nomen, quod Ecclesiæ Romanæ omnes sectarii, quamvis inviti concedunt. *Non enim*, ut S. Augustinus animadvertit, *possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur*. Lib. De vera relig., c. 7.

306. 2° *Ecclesia Romana sectas reliquas numero semper superavit*. Id vel ex eo patet, quod, cum sectæ acatholicæ nulla unquam ætate æque numero excreverint ac nostra, adhuc tamen Ecclesia Romana his longe numerosior est. Acatholicorum enim, ex omnibus sectis tum hæreticis tum schismaticis collectim

[1] Cf. *La Civiltà cattolica*, 3ª serie, vol. 9 : *Le missioni cattoliche e protestanti nelle Indie*. — [2] Act. II, 5-14. — [3] *Hæres.* lib. 3, c. 3.

computatis, juxta accuratissimos census, numerantur circiter 120,000,000 ; Catholicorum vero 170.000.000 [1].

307. II PARS. *Ecclesia Romana notam apostolicitatis habet*, si originem, doctrinam, et legitimam Pastorum successionem ab Apostolis deducit ; seu, quod idem est, si ab Apostolis receptum Fidei depositum usque intemeratum conservat, et ab iisdem primum constituta, perenni Episcoporum successione perseverat ; atqui utrumque in Ecclesia Romana reperitur.

308. Etenim primum, quod ad Fidei custodiam attinet, constat ex *Theologia speciali*, qua omnia et singula fidei dogmata, ab Apostolis ad nos usque, in Ecclesia Romana sine ulla adulteratione conservata esse demonstratur.

309. Alterum, quod ad successionem spectat, compertum historia est. Hæc enim RR. Pontificum legitimam seriem, et quasi genealogiam texit, inde a S. Petro usque ad Leonem XIII, feliciter regnantem, qui numero 259^{us} recensetur. — Cur ergo, ut cum S. Augustino concludam, cur ergo *dubitamus nos in ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit ?* Lib. De utilit. credendi, c. 17.

310. OBJIC. 1° Ecclesia Romana non habuit olim, nec etiamnum habet unitatem doctrinæ ; ergo non est vera Ecclesia. Etenim olim SS. Patres fuerunt inter se discordes, in quæstionibus non tantum philosophicis sed etiam dogmaticis, ut v. g. Cyprianus et Firmilianus in causa rebaptizantium ; Irenæus, Justinus, etc. circa regnum Christi millenarium. Deinde etiamnum inter Theologos catholicos litigatur, an liceat sequi sententiam minus probabilem, an gratia sit intrinsece efficax, an Pontifex Rom. se solo sit infallibilis. — R. *Dist. ant.* Nec data fuit olim, nec etiamnum datur unitas in doctrina circa ea, quæ clare ab Ecclesia decisa sunt, *neg. antec.;* circa ea, quæ nondum sunt, aut tunc nondum erant ab Ecclesia decisa, vel circa res ad disciplinam pertinentes, *conc. ant.* — *Ad probat.* 1. Patres illi tunc solummodo discordes fuere, quando veritas nondum clare ab Ecclesia erat decisa, parati semper opiniones suas judicio Ecclesiæ subjicere, quam semper ut infallibilem fidei magistram, columnam et firmamentum veritatis venerabantur. — *Ad prob.* 2. Probabilismus, et modus efficaciam gratiæ explicandi, non ad fidei dogmata, sed ad scholasticas concertationes pertinent, circa quas diversimode sentire cuique fas est, salva fide et unitate catholica, donec Ecclesia perspicuam de illis ferat sententiam. Quod spectat ad infallibilitatem R. Pontificis [2], in se solo, etiam antecedenter ad acceptationem Ecclesiæ, considerati,

[1] Cf. supra *Introduct.* § 1, n. 3.— Balbi, *in Dictionario geographico* fert Acatholicorum 121.000.000 Catholicorum vero 139.000.000.

[2] Cf. infra, tract. IV, cap. 3, art. 4, prop. 5, n. 251.

quamdiu solemni Ecclesiæ judicio illa infallibilitas non esset declarata, per constitutionem scilicet *Pastor æternus*, licet nobis ac maximæ parti Ecclesiarum particularium, certa prorsus atque indubitata esset; ab hæresis nota immunes tamen fuerunt qui contrarium sentiebant. — Catholicorum quippe pronuntiatum est: *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas.*

311. *Obj.* 2° Anno 1378, et sequentibus 40 annis, aut etiam amplius, bini fuere in Ecclesia Rom. Pontifices, Urbanus VI et Clemens VII, eorumque successores; ergo defuit longo temporis spatio unitas regiminis, ac proin Ecclesia Romana vera esse Ecclesia desiit. — R. *Dist. consequens.* Defuit unitas regiminis materialiter, *conc.;* formaliter, quasi Ecclesia in illo statu divisionis conquiesceret, *neg.* Duæ personæ regebant Ecclesiam, altera in his, altera in illis provinciis seu nationibus; quia cum manifestum omnibus non esset, utri legitime competerent supremi Pontificatus jura, nationes aliæ uni personæ ea jura convenire putabant, aliæ vero alteri. Omnes autem Catholici consentiebant, non esse nisi Pontificatum unum, nec nisi unum Pontificem esse debere; ideoque ad unitatem personæ obtinendam conspirabant omnes, conatu ac tendentia tam manifesta, ut forte nunquam alias Ecclesiæ unitas magis universo mundo patuerit.

312. *Obj.* 3° Ecclesia Christi non habet maculam neque rugam, ut Apostolus scribit, Eph. V; atqui talis non est Ecclesia Romana, quæ multis vitiis tam in laico quam in clericali ordine maculatur; ergo. — *Dist. maj.* Non habet maculam Ecclesia Christi gloriosa in cœlis *conc.;* Ecclesia Christi militans in terris, *subd.:* non habet maculam in sua essentia, hoc est in sua constitutione et forma, qualis e Christi manibus prodiit et semper immutabilis persistit, *conc.:* non habet maculam in suis membris [2], *neg. maj.* Quod si dantur in Ecclesia humanæ miseriæ, datur quoque eximia virtus et sanctitas, qualis in nulla secta unquam inventa est [2].

313. *Obj.* 4° Ecclesia Romana non est per totum orbem diffusa, ergo non est Catholica. — *Dist. antec.* Non est per totum orbem diffusa absolute, ita ut semper et simultanee in omnibus mundi plagis floruerit, *transeat;* non diffusa moraliter, ita ut prædicata fuerit et fructificaverit ubique successu temporis, et sicut sol, successive illuminaverit omnes gentes, ut possent qui vellent ad agnitionem veritatis venire, *neg. antec.* Et *dist. conseq.:* ergo non est universalis, id est, non complectitur omnes homines, *conc.;* non complectitur plurimos per totum orbem sparsos, *nego consequens.* — Dixi supra, *transeat;* quia nempe conce-

[1] Cf. August. *Retract.* l. 2, c. 18; item hujus tract. cap. 1, art. 2, propos. 6, n. 176. — [2] Cf. supra, propos. de sanctitate Eccl. Romanæ, n. 298 seqq

dendum non videtur, ad catholicitatem, ut eam intellexerunt SS. Patres, sufficere si Ecclesia tantum successiva universalitate polleat, seu tantum temporanea; at requiri ut, moraliter loquendo, Ecclesia vera Christi gaudeat *semper universalitate simultanea*[2].

314. *Obj.* 5° Ecclesia Romana abjecit doctrinam apostolicam; ergo notam apostolicitatis non habet. *Prob.* Doctrina apostolica exigebat ut fieret trina in Baptismo immersio, oratio versus Orientem, Eucharistiæ administratio sub utraque specie, abstinentia a sanguine et suffocato [2], quæ omnia in Ecclesia Romana non amplius observantur. — R. *Neg. ant.* Ad prob. *dist.* Et hæc pertinent ad dogmata fidei, *neg. ant.*; pertinent ad disciplinam et ritus accidentales, qui ab Ecclesia justis de causis mutari possunt. *conc. ant.*

315. *Obj.* 6° In Catholica Ecclesia successio Pastorum sæpius interrupta est; ergo non habet apostolicitatem successionis. *Prob.* -1) Multa facta sunt schismata, præcipue diuturnum illud, ab an. 1378 usque ad an. 1417, quo tempore tres inter se Pontifices decertabant, Joan. XXIII, Bened. XIII et Gregor. XII. 2) Aliqui violenter, alii fraudibus et simoniace pontificatum adepti sunt. -3) Sedes Romana annis 70 vacavit, Pontificibus Avenione in Gallia degentibus. — R. *Neg. ant.* Ad probationes, *neg. conseq.* et explico : -1) in magno schismate occidentali, unus ex Pontificibus litigantibus, qui nempe legitime electus erat, semper fuit verus Pontifex Rom., quamvis a contraria factione agnitus non fuerit. Licet hic diversa sint scriptorum catholicorum judicia, longe probabilius censent communiter Theologi, pro veris et legitimis Pontificibus habendos ese Urbanum VI ejusque successores, Bonif. IX, Innoc. VII; Gregorium item XII, ut legitimum habent, saltem usque ad electionem Alexandri V in Conc. Pisano, 1409; Alexandro autem V successit 1410, Joan XXIII, qui pontificatum gessit donec in Conc. Constantiensi canonice, omnibus fatentibus, electus sit Martinus V, 1417.—Invasores vero Apostolicæ Sedis fuerunt Clem. VII seu Robertus Gebennensis, et Bened. XIII, seu Petrus de Luna. -2) Etiamsi nonnullorum electio ob vitium aliquod fuisset nulla, subsequens tamen ratihabitio atque acceptatio Ecclesiæ, omnes defectus humani juris supplevit, et non legitime electos legitimos fecit Pontifices. -3) Quamvis Pontifices Avenionenses Roma abfuerint, veri tamen fuere Pontifices Romani, Petri in Cathedra Rom. successores; omnium enim judicio, absentia principis a regno, eum provinciis suis jureque supremo non spoliat.

[1] Cf. Regnier. *Tract. de Eccl.*, apud Migne in *Theol. Cursu completo*, tom. 4, col. 312 et seqq. — Item Suarez. *Defens. Catholicæ fidei*, l. 1, c. 16. opp. t. 21.
[2] Act. XV. 29; I Cor. X, 16.

ARTICULUS III.

DE ABSENTIA NOTARUM IN SECTIS ACATHOLICIS.

316. Etsi demonstratio hactenus exposita sufficiens sit, non tantum ut Ecclesiæ Romano-Catholicæ veritas luculente cognoscatur, sed etiam ut sectarum falsitas detegatur ; non tamen superfluum fuerit directam sectarum confutationem subjungere: 1° quia ex præcedentibus hæc confutatio solummodo indirecte consequitur, theologi autem est etiam directe falsitatem detegere; 2° quia inde nova accedet confirmatio, qua Ecclesiæ catholicæ veritas clariore luce coruscabit.

Propositio I, *de falsitate ecclesiarum protestantium.*
Propositio II, *de falsitate ecclesiarum orientalium.*

PROPOSITIO I.

Notæ unitatis et catholicitatis, neque conveniunt, neque convenire possunt ; notæ vero sanctitatis et apostolicitatis manifeste non conveniunt ecclesiis Protestantium.

317. Propositio *certa.*

318. PROB. PARS I, UNITAS. 1° *Non habent unitatem* fidei, cultus, corporis : quod patet ex symbolorum seu *confessionum* multitudine, nec non ex sectis variis quæ aliæ ex aliis nascuntur [1].

319. 2° *Nec habere possunt,* cum non habeant principium unitatis, quod in Ecclesiæ auctoritate consistit; sed potius principium divisionis contineant et mutabilitatis, auctoritatem scilicet privatam. Quanquam principium istud non Protestantium proprium, sed, saltem practice, omnium hæreticorum est. *Cum omnis hæresis ex novitate orta sit,* ait S. Hilarius ad Constantium Augustum, *ut hoc se titulo dignam ostendat, nunquam ab innovando desistit.*

320. II PARS, CATHOLICITAS. 1° Non habent catholicitatem neque temporis neque spatii, cum ortæ sint 15 sæculis post Apostolos, et tantum ditioni civili, cui adhærent, coextendantur. Constat enim, ante Lutherum et Calvinum, Protestantes non exstitisse ; et ab hoc tempore non extendisse se, nisi intra fines dominationis politicæ a qua protegerentur.

321. 2° *Nec habere possunt,* cum habere unitatem non possint, sine qua nulla est catholicitas. Quidam, ut Oxonienses doctores, catholicitatem sibi affingere voluerunt, ex omnibus sectis christianis conflatam : at hæc, non catholicitas, seu universalis diffusio unius Ecclesiæ, sed potius universalis diversarum sectarum confusio dicenda est.

322. III PARS, SANCTITAS. Illa societas christiana non præfert

[1] Cf. Bossuet, *Histoire des variations.*

notam sanctitatis, quæ nec origine sancta est nec doctrina, nec præclara virtutum exempla profert nec miracula : atqui tales sunt omnes sectæ protestantes. Etenim neque auctores, neque sectarii, neque ipsa doctrina sanctitatem spirant. Auctores plerique, spretis religionis votis, uxorem ducunt, bona ecclesiastica diripienda tradunt, injurias et calumnias effundunt in Catholicos ; Hassiæ Landgravio uxorem alteram, vivente priore conjuge, ducere permittunt, etc. Miracula vero a se postulari non debere, ipsimet aperte fatentur [1].

323. IV PARS, APOSTOLICITAS. Hanc protestantes manifeste non habent; cum neque originem, neque doctrinam, neque missionem seu successionem ab Apostolis receperint. Quod patet ex facto originis eorum. Protestantismi coryphæi sæculo XVI nulli prædecessori successerunt, nulla missione dogmata nova prædicarunt. Quod si dixerint, se extraordinaria missione apostolos esse ; hanc missionem præclaris miraculis comprobare debuissent ; præsertim adversus hæc Pauli verba : *Sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Gal. I, 7[2].

PROPOSITIO II.

Ex omnibus Orientalibus ecclesiis ab Ecclesia Romana separatis, nulla est, quæ omnes veræ Ecclesiæ notas habeat.

324. Propositio *certa.*

325. Ecclesiæ orientales [3], quæ vel hæreticæ sunt vel schismaticæ, multo magis quam Protestantes, Ecclesiæ Christi similitudinem referunt ; quæ similitudo in hierarchiæ specie, atque in doctrina apud orientales sectas melius servata, consistit. Illæ namque sectæ a Protestantibus, tum circa fidem, tum circa cultum et ecclesiasticam constitutionem, prorsus differunt et dissentiunt. Hinc factum est ut frustra Protestantes cum ipsis communicare voluerint. 1° Melanchthon, cum ad Patriarcham

[1] Erasmus, *Diatribe de lib. arbitr.*, de Lutheranis loquens, *nullus*, inquit, *illorum adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit.* Cui Lutherus, in lib. *De servo arbitr.*, respondebat : *A nobis, qui negamus liberum arbitrium, miracula exigi non debent.* — Et Calvinus, præfat. Institut.: *Improbe faciunt*, ait, *quod miracula a nobis poscunt.* — Attamen Hieron. Bolsec, oculatus testis, in Calvini vita refert, eum, cum excitare vellet quemdam Brulæum, cui, spe lucri ac pecuniæ, persuaserat ut se mortuum fingeret, non ficte sed vere mortuum illum invenisse. Hanc historiam ab hæreticorum oppositionibus vindicat Card. Gotti, *De Eccles.*, tom. I, c. 2, § 6.

[2] Cf. Illustriss. Malou, *La fausseté du Protestantisme démontrée* (Brux. chez H. Goemare), præsertim chap. 2, art. 3-10. — [3] Cf. supra, *Introduct.*, § 1, n. 9.

CPnum misisset confessionem Augustanam, ne responsione quidem dignatus est. — 2° Anno 1576, Tubingenses theologi a Jeremia Patriarcha repulsi sunt. — 3° Calvinistæ, anno 1621, Cyrillum quemdam Lucarin, suis erroribus imbutum per pecuniæ vim in sedem CPnam intruserunt ; at ille mox ab ecclesia Græca sede dejectus, atque a successoribus suis, altero Cyrillo et Parthenio, cum protestantica sua confessione damnatus est. — Orientales ergo, maxime Græci, non sicut Protestantes totam Christi Ecclesiam deturparunt ; sed quamdam similitudinem cum illa, ad externam speciem quod attinet, conservarunt. Nihilominus characteres quoque falsitatis præ se ferunt, quibus facile dignoscantur.

326. PROB. I. Quoad sectas hæreticas in Asia; II. Quoad schismaticos Græcos , III. Quoad schismaticos Ruthenos, seu Moscovitas.

327. PARS I. *Hæretici* non habent notam unitatis, neque sanctitatis, neque catholicitatis : neque, saltem ut plurimum, apostolicitatis.

328. PARS II et III. *Schismatici* Græci et Rutheni, neque notam sanctitatis, neque catholicitatis, imo neque apostolicitatis ullo modo ostendere possunt.

CONCLUSIO.

329. Sectæ itaque, ab Ecclesia Romano-Catholica separatæ, nequaquam sunt illa vera Ecclesia, quam ædificavit Dominus super fundamentum Apostolorum. civitatem sanctam, columnam et firmamentum veritatis ; sed civitates sunt confusionis, ædificia superbiæ, lapides de sanctuario avulsi, palmites abscissi de vite, membra a corpore sejuncta ; vel potius cadavera, dissolutioni et putredini tradita, palam esse cernuntur ; cum nihil in iis spectandum occurrat, nisi mors, tenebræ et ruinæ.

330. Has autem inter ruinas, Ecclesia sancta catholica, vera Domini vinea, per orbem terrarum palmites extendit. Dominus enim plantavit radices ejus, et ipsa implevit terram. Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei ; ipsa, lignum vitæ, fluvio aquæ vivæ irrigatum, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ejus ad sanitatem gentium. — Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei ! Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel ! Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus ! Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Gloriosa dicta sunt de te, Ecclesia Christi, Jerusalem nova, descendens de cœlo a Deo, habens claritatem Dei ! Gloriosa dicta sunt de te, Ecclesia sancta et immaculata, sponsa Christi dilectissima ; nigra quidem doloribus externis, sed intrinsecus formosa, sicut

tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis ; omnis enim gloria filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus. Quam pulchri sunt gressus tui, filia Principis ! Quam suavis et decora es, Regina, stans a dextris Regis ! Regina Mater, cujus fœtu nati sumus, cujus lacte nutriti, cujus spiritu animamur ; quæ nos Deo servat, quæ filios regno quos generavit assignat. Quis obliviscatur amoris, quis obliviscatur gemitus matris suæ ? *Si oblitus fuero tui*, Ecclesia sancta catholica, *oblivioni detur dextera mea ! Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui* [1].

[1] Ps. CXXXVI ; item LXXIX, LXXXVI et XLIV ; Numer. XXIV ; Apoc. XXI ; Cantic. I, V, VI ; Eccli. VII ; S. Cyprian. *De unitate Ecclesiæ.*

Tractatus IV.

DE REGULA FIDEI

INTRODUCTIO

§ I. *Argumentum et ratio Tractatus.* — § II. *Notiones distinctæ de Regula fidei.* — § III. *Doctrina Ecclesiæ catholicæ.* — § IV. *Errores contrarii.* — V. *Divisio Tractatus.*

§ I. Argumentum et ratio Tractatus.

1. Initio *Theologiæ Generalis,* quæstioni positæ quænam sit vera religio? responsum est: vera ac divina religio repeti debet a S. Scriptura et Traditione, sub magisterio Ecclesiæ Romano-Catholicæ. Hanc autem propositionem veram fore diximus triplici conditione: 1° si Deus religionem christianam, eamque solam, hominibus constituit; 2° si eam Ecclesiæ Romanæ commisit custodiendam; 3° si eam depositam in Scriptura et Traditione eidem Ecclesiæ dedit interpretandam. Jam vero primam, alteramque conditionem, in tractatibus *De Religione Christiana* et *De Ecclesia,* demonstravimus. Superest ut tertiam, nempe, *genuinam Christi religionem in Scriptura et Traditione contentam, Ecclesiæ Romano-Catholicæ datam esse interpretandam,* hoc Tractatu demonstremus.

2. Peracta quidem demonstratione veræ Christi Ecclesiæ, nihil jam obstare videtur, quominus, introeuntes in hoc templum Dei vivi, veritatis christianæ depositarium, purum Dei verbum audiamus; et cuncta dogmata, universasque Christi institutiones, quæ omnia ibi intemerata servantur, intueamur. Attamen prævie agendum est nobis de *Regula fidei;* quandoquidem, post demonstratam veram Ecclesiam, ipsius Ecclesiæ fides demonstranda sit, quod effici, nisi prævie fidei regulam teneamus, nullo modo potest.

3. Cognita enim Ecclesia Christi, columna veritatis, non tantum ab ea recipere fidem debemus, ut fideles ejus filii; sed præterea, ut ejusdem Ecclesiæ defensores ac theologi, fidem demonstrare tenemur. — Ut autem demonstremus eam, criterio opus est seu principio certo, quo doctrinam Christi genuinam ab adulterina secernamus. Jam vero hoc principium est *Regula fidei.*

§ II. Notiones distinctæ de Regula fidei.

4. Regula fidei [1], est *criterium quo, in Ecclesia catholica, vera fides Christi ab omni adulterina infallibiliter discernitur.* — Est quasi sigillum ipsius Christi, quo authentica ejus doctrina signatur; est quasi lapis lydius, aut instrumentum, quo, sicut verum aurum, ita vera materia fidei probatur.

5. Regula fidei distinguitur duplex : vulgaris et theologica. *Vulgaris*, quæ vulgo fidelium proportionata est, et omnibus practice sufficiens, est *auctoritas infallibilis Ecclesiæ.* — *Theologica*, quæ scientifica est, Ecclesiæ docenti et theologis est usui, atque a nobis in præsenti tractatu exponenda. Constituitur autem *Scriptura et Traditione sub magisterio Ecclesiæ ;* quod vulgata Veronii formula explicatius enuntiari potest: *Illud omne et solum est de fide catholica, quod est revelatum in verbo Dei, et propositum omnibus ab Ecclesia catholica, fide divina credendum.* Eamdem regulam sic statuit Concilium Vaticanum : *Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur.* Constit. *Dei Filius*, cap. III. Sedulo tamen hic notandum quod in fine ejusdem Constitutionis additur : *Quoniam vero satis non est, hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt ; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravæ ejusmodi opiniones, quæ isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptæ et prohibitæ sunt.*

6. Hæc regula theologica duplici cernitur constare elemento : uno constitutivo, et quasi materiali, quod est verbum Dei ; altero directivo, et quasi formali, quod est Ecclesiæ propositio. — *Verbum Dei* duplex est : scriptum et traditum, *Scriptura et Traditio*, quæ et regula fidei *remota*, etiam *externa* dicitur. — *Propositio Ecclesiæ*, est ejusdem verbi divini exhibitio per ministerium Ecclesiæ docentis ; et hæc regula fidei *proxima* vocatur.

7. Propositio per Ecclesiam facta, potest esse generalis vel particularis. *Generalis*, qua tota Scriptura totaque Traditio ut verbum Dei proponitur ; — *particularis*, qua puncta quædam singulariter ac determinate proponuntur, explicantur, aut definiuntur atque injunguntur credenda. — Porro verbum Dei quod generaliter ab Ecclesia proponitur, generaliter ad fidem pertinet ; quod autem particulariter, in se, et explicite proponitur, ad fidem quoque particulariter et explicite pertinet.

[1] Cf. Perrone, *Le Protestantisme et la Règle de foi*, tom. 1. Introduct. § 1-5.

8. Regula fidei theologica *applicari* potest *adæquate* vel *inadæquate*. Applicatur adæquate, quando veritas quæpiam in verbo Dei existere probatur, et simul etiam ab Ecclesia proponitur [1] : tunc habetur *fidei dogma definitum*. — Inadæquate, quando veritas quæpiam in verbo Dei inesse probatur, sed non ab Ecclesia explicite proponitur : tunc habetur *fidei dogma definibile;* quod quidem explicite credere tenetur ille, qui indubie novit id in revelatione contineri ; non tamen sub pœna hæresis et excommunicationis coram Ecclesia, sed solum sub pœna infidelitatis coram Deo.

9. Quum theologus regulam fidei applicat *inadæquate*, ex Scriptura et Traditione conclusionem ducens, quin *positivam* Ecclesiæ auctoritatem pro se habeat ; tunc necesse est, ut eamdem auctoritatem habeat *negative* suffragantem sibi, id est, non contradicentem ; atque ita maneat sub magisterio Ecclesiæ.

10. Hactenus exposita fidei regula integre admittitur a Catholicis : ex parte tantum ab hæreticis, qui passim Scripturam tanquam unicam regulam credendi, non vero simul Traditionem, et multo minus Ecclesiæ auctoritatem recipiunt. Quare adversus hæreticos nullius efficaciæ est, saltem directe et per se, argumentum ex auctoritate Ecclesiæ Romano-Catholicæ desumptum: sed tantum valet illud, quod ex Scriptura et traditione ducitur. — Ut autem demonstratio theologica plena sit, et simul dogmatice pro Catholicis et polemice contra hæreticos valeat ; expedit, Ecclesiæ auctoritatem vel definitionem, tanquam argumentum domesticum præmittere, et deinde argumenta Scripturæ ac Traditionis afferre, quæ polemice adversus omnes adversarios efficaciter proferuntur.

§ III. Doctrina Ecclesiæ Catholicæ.

11. Scriptura sacra est divinitus inspirata cum omnibus partibus suis [2]. Utrum vero inspiratio divina se extendat ad ipsa verba, liberæ controversiæ est.

12. Libri canonici sunt quos exhibet versio Vulgata, quæ et authentica declarata est [3].

13. Interpretari Scripturam contra unanimem Patrum consensum non licet [4]

14. Traditio est fons alter divinæ revelationis [5].

[1] Non refert, ut Veronius explicat, utrum illa propositio emanet ex Concilio aliquo universali, ex ejus decreto et definitione, an ex sensu fidelium, etc. Cf. supra tract. *De princip. theolog.*, n. 151. — [2] Trid. Sess. 4, *Decret. de canon Script.* Cf. Concil. Vatic. Constit. *Dei Filius*, cap. II, ubi doctrina Concilii Trid. de Scriptura et Traditione confirmatur. — [3] Ibid. — [4] Ibid.— [5] Trid. ibid. et Œcumen. VIII, can. 1.

15. Romanus Pontifex, vi sui primatus, in omnes Episcopos, etiam in generali Synodo collectos, suprema auctoritate gaudet [1]. Ipsi soli competit auctoritate propria et independenti, Concilia œcumenica cogere, iis præsidere, eaque confirmare. Decreta autem dogmatica Concilii œcumenici, confirmata a R. Pontifice, irreformabilia sunt ex se, seu ante consensum et acceptationem Ecclesiæ [2]. — Imo R. Pontifex ex Cathedra definiens, in rebus fidei et morum infallibilis est; ejusque dogmatica decreta, etiam antequam accedat Ecclesiæ consensus, sunt prorsus irreformabilia [3].

§ IV. Errores contrarii.

16. Scripturas V. T. rejecisse feruntur *Valentiniani*, *Marcionitæ*, *Apelles*, *Manichæi*, et horum medio ævo surculi, *Albigenses et Cathari* [4].

17. Adversarii Traditionis fuerunt: *Gnostici*, *Theodotianii*, *Ariani*, *Eunomiani*, *Aeriani*, *Pelagiani*, et omnes passim hæretici usque ad *Protestantes*. Isti omnes Traditiones rejiciebant; non tamen, præsertim antiquiores, spernebant Traditionis principium; solum suas traditiones particulares Traditioni universali Ecclesiæ substituere satagebant.

18. Infallibilitatem Ecclesiæ et Conciliorum rejiciunt Protestantes.

§ V. Divisio Tractatus.

19. Quoniam fidei regula, de qua disserimus, constat Scriptura, Traditione et Ecclesiæ magisterio, hinc Tractatus sponte in tria capita dividitur.

Caput I, *de S. Scriptura.*
Caput II, *de S. Traditione.*
Caput III, *de Ecclesiæ magisterio.*

[1] Synod. Later. V, apud Hardouin. tom. 10, col. 1828; prop. 29 et 30, inter damn. ab Alex. VIII, 7 dec. 1690; — art. 4 *cleri Gallic.* 1682, reject. ab Innoc. XI et Alex. VIII. — [2] Ita omnes Catholici adversus Protestantes, Jansen. ac Febronianos; Cfr. prop. Pistor. damn. 2 et 3. — [3] Concil. Vatic. Constit., *Pastor æternus*, cap. IV. — Cf. Sardagna, *De canone divin. libror.* tom. 2, n. 150 seqq.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRA SCRIPTURA.

—

20. Scriptura sacra *in genere*, est verbum Dei scriptum, seu litteris exaratum, vel ab ipso Deo, vel a scriba alio, Deo tamen afflante.

21. Dicitur 1° *verbum Dei*, in quo convenit Scriptura sacra cum Traditionibus divinis, de quibus infra. — 2° *Scriptum*, quo distinguitur a Traditionibus, voce duntaxat editis. — 3° *Vel ab ipso Deo*, quo etiam illa Scriptura comprehenditur, quam quidam in Decalogi tabulis, ab angelo, Dei personam gerente, signatis, factam fuisse statuunt. — 4° *Vel ab alio scriba*, quo communis verbi divini scripti modus designatur. — 5° *Deo tamen afflante*, seu inspirante, quo S. Scriptura communiter censetur discerni a canonibus et definitionibus Ecclesiæ ; cum illa fiat Deo cooperante non utcumque, sed verbum suum scribendum inspirante.

22. Scriptura S. *in specie*, est verbum Dei ipso afflante scriptum, et in Bibliis, h. e. voluminibus seu libris sacris, contentum. Sub hac præsertim acceptione a nobis in præsens Scriptura S. consideratur, quæ etiam ab Hebræis BERITH [fœdus] a Græcis Διαθήκη, a Latinis *Testamentum* dicitur, eo quod fœdus Deum inter et homines initum complectatur [1].

23. Alibi [2] de Scripturæ auctoritate humana egimus ; hic autem de ejus auctoritate divina inquirendum : quo pertinent quatuor quæstiones, totidem articulis pertractandæ.

Articulus I, *de inspiratione S. Scripturæ.*
Articulus II, *de canone S. Scripturæ.*
Articulus III, *de versionibus S. Scripturæ.*
Articulus IV, *de interpretatione S. Scripturæ.*

[1] Circa divisionem librorum S. Scripturæ, vid. quæ dicta sunt in tract. ***De relig. Christ.*** cap. 3, art. 1, n. 191 seqq. Item Cf. Schouppe, *Cursus Scripturæ Sacræ*, vol. I, part. 1. — [2] Tract. *De relig.* cap. 3, art. 1, n. 189 seqq.

ARTICULUS I.

DE INSPIRATIONE S. SCRIPTURÆ.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ

1o *Quid est divinitas et inspiratio Librorum SS.?* — 2o *Quotuplex circa Scripturæ divinitatem et inspirationem quæstio moveri potest?* — 3o *Quænam sunt Theologorum opiniones circa inspirationis modum et extensionem?*

24. QUÆR. 1o *Quid est divinitas et inspiratio Librorum SS.?* — R. A] *Divinitas* Scripturæ est auctoritas divina, qua Scriptura pollet, eo quod Deum habet auctorem.

25. B] *Inspiratio* Scripturæ, licet aliquando hoc vocabulum usurpetur ad divinitatem Scripturæ significandam; tamen proprie est ratio quasi formalis, qua fit ut Scriptura habeat auctorem Deum, ac proinde divina appelletur et sit. Unde inspiratio Scripturæ ab ejus divinitate, sicut formalis ratio rei ab ipsa re, distinguitur.

26. — Quod si spectetur generatim, et præscindendo a variis opinionibus postea ventilandis, definiri posse videtur: *Actio illa Dei, relativa ad Scripturam ejusque scriptores, vi cujus Scriptura censetur habere, et revera habet, Deum pro auctore.* — Inspirationem Scripturæ, saltem hoc generali sensu intellectam, omnes Catholici admittunt [1], et nos inferius [2] vindicabimus ut de fide credendam.

27. Porro inspiratio triplici sub respectu considerari potest: 1o *ratione modi*, quo ipsa peragi concipitur; 2o *ratione extensionis* ad objecta plura vel pauciora; 3o *ratione intensitatis*, seu intensionis, quam habere concipitur ex eo, quod in effectum potiorem vel exiguiorem influat.

28. 1o *Ratione modi*, quintuplex saltem concipi potest inspiratio. *Prima*, ea quæ perficiatur tantum per approbationem divinam, qua nempe Deus librum naturaliter scriptum approbet ac suum faciat: hæc inspiratio, ut patet, sita foret in actione Dei, scriptionem libri *mere consequenti*. — *Secunda*, ea, quæ fiat tantum per *motionem divinam*, qua Deus nempe moveat seu excitet agiographum ad scribendum: hæc inspiratio sita foret in actione Dei *mere antecedenti*. — *Tertia*, ea quæ fiat per *motionem simul et approbationem*: hæc inspiratio sita proinde foret in utraque Dei actione prædicta, simul sumpta. — *Quarta*, ea quæ fiat per *motionem simul et assistentiam mere negativam*; qua nempe Deus agiographum adjuvet mere negative, procurando ne in scribendo erret. Hæc inspiratio sita foret simulta-

[1] Vid. infra, quæst. 3, n. 33. — [2] Propos. 1 hujus articuli, n. 37.

nee, in actione Dei *antecedenti*, et in actione Dei *concomitante* quidem sed *inefficienter*. — *Quinta*, ea quæ fiat simul per *motionem et per assistentiam etiam positivam* : qua nempe Deus agiographum etiam positive juvet, suggerendo scribenda, et scriptionem dirigendo : hæc inspiratio proinde sita foret simultanee, in Dei actione *antecedenti*, et in actione *efficienter concomitante*. Hæc prostrema actio esse deberet : -1) actio Dei psychologica in homine ; -2) supernaturalis ; -3) talis, ut per eam homo possit et velit scribere ; ac reapse scribat quod Deus libris mandari voluerit. Non tamen hæc actio Dei cooperationem hominis excludit, sed quandoque manifeste supponit [1].

29. Porro inspiratio concepta juxta quemvis ex *tribus prioribus* modis, videtur valde improprie dicta ; ut ex mox dicendis de Theologorum opinionibus eruitur. — Concepta juxta *quartum* modum, appellari solet *inspiratio negativa* vel *mere directiva*. — Concepta demum juxta *quintum* modum, est *maxime propria inspiratio*, et appellari potest *inspiratio positiva*.

30. 2° *Ratione extensionis*, inspiratio concipi potest duplex : *substantialis* et *accidentalis*. — *Substantialis* quidem, si extendatur tantum ad res et sententias quæ scribendæ sunt ; *accidentalis* vero, seu *verbalis*, si præterea ad ipsam scriptionem. — Porro *substantialis* concipi potest subdivisa in *generalem* et *particularem*.. Est *generalis*, si referatur tantum ad generale argumentum Scripturæ, ita ut de illo auctor scribat ea quæ novit ; est *particularis*, si referatur ad singulas sententias et veritates, nec non ad earum texturæ ordinem. — *Verbalis* pariter concipi potest subdivisa in *perfecte* et *imperfecte verbalem*. *Perfecte*, seu totaliter verbalis est, si ad singula verba et apices, eorumque syntaxin, seu phrasin et stylum, extendatur. *Imperfecte* verbalis est, si ad plura quidem vel pauciora verba extendatur, non tamen ad omnia et singula.

31. 3° *Ratione extensionis* duplex concipi potest inspiratio : *revelativa* et *instinctiva*. — *Revelativa* est, si non solum influat in scriptionem, sed etiam præternaturaliter producat in scriptore cognitionem rerum scribendarum. *Instinctiva* est, si influat, non in cognitionem, sed in scriptionem illarum rerum quæ scriptori naturaliter innotescunt.

32. Q. 2° *Quotuplex circa Scripturæ divinitatem et inspirationem quæstio moveri potest ?* — R. Triplex : -1) an Scriptura vere sit *divina*, ita ut munita sit auctoritate Dei ; -2) an sit *inspirata*, ita ut Deum proprie habeat auctorem, et sit verbum Dei ; -3) an sit inspirata non tantum *quoad substantiam*, sed etiam *quoad verba ?*

[1] Cf. Perrone, *De locis theol.* part. 2, cap. 2, præsertim num. 95 et seqq.

33. Q. 3° *Quænam sunt Theologorum opiniones, circa inspirationis modum et extensionem ?* — R. Catholici omnes consentiunt et credunt cum Trid. Sess. 4, Scripturam quoad omnes partes suas, esse sacram et divinam, ita ut Deum habeat auctorem.

34. At *circa modum* quo facta est inspiratio Scripturæ, et *circa extensionem* ad plura vel pauciora objecta, ex iis quæ Scriptura complectitur, nequaquam omnibus una opinio est.

35. Etenim *circa modum*, -1) alii tenent, inspirationem Scripturæ esse maxime propriam, quam nos supra appellavinus *positivam :* videlicet sitam in motione et assistentia Dei etiam positiva -2) Alii tenent, eam esse *negativam* seu *simpliciter directivam*, id est, sitam in motione Dei cum ejus assistentia mere negativa. -3) Alii tandem, cum Lessio, tenuerunt, eam inspirationem quam nos appellavimus, *valde improprie dictam*, sitam nempe in mera Dei approbatione, sufficere ad hoc, ut liber aliquis efficiatur sacra Scriptura. Imo ipse Lessius aliquando [1] suspicatus est, non aliam majorem suppetere inspirationem libro II Machabæorum ; ut eruitur ex tertia ex tribus thesibus ab ipso propugnatis Lovanii, anno 1586, quæ sunt hujusmodi : I. *Ut aliquid sit Scriptura, non est necessarium singula ejus verba esse inspirata.*—II. *Non est necessarium ut singulæ veritates et sententiæ sint immediate a Spiritu S. ipsi scriptori inspiratæ.* — III. *Liber aliquis (qualis forte est liber secundus Machabæorum), humana industria sine assistentia Spiritus S. scriptus, si Spiritus S. postea testetur, ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura sacra.* — Porro duæ priores propositiones, quæ inspirationis extensionem determinant, suos habent, inter Catholicos, patronos plurimos, contra Facultates theol. Lovaniensem et Duacensem, a quibus an. 1558 eædem propositiones fuere notatæ. — Tertia vero, quæ modum inspirationis determinat, defendi non posse videtur ; unde a Catholicis passim rejicitur [2].

36. *Circa extensionem* inspirationis determinandam, differunt inter sese ii auctores, qui nihilominus consentiunt in admittenda inspiratione maxime propria quoad modum ; uti infra speciali quæstione explicabitur.

Propositio I, *de inspiratione Scripturæ.*
Propositio II, *de inspiratione Script. quoad omnes partes.*
Propositio III, *de inspirationis modo.*
Quæstiones *de inspirationis extensione.*

[1] Dico *aliquando* suspicatus est ; quia, ut adnotat P. Perrone, tract. *De locis theol.*, part. 2, cap. 2, nota 4a, sub n. 97 ; ipsi Lessius et Hamelius, a 3a illa propositione expunxerunt subinde ea, quæ intra parentheses incluserant.

[2] Cfr Marchini, *De divinitate et canonic. SS. Biblior.*, apud Migne, *Scripturæ cursus*, tom. 3.

PROPOSITIO I.

Scriptura sacra divinitus est inspirata, ita ut Deum habeat principalem auctorem, sitque proprie verbum Dei.

37. *De fide*, ex Trid. Sess. 4, Decret. de canonicis Scripturis, ubi dicitur : *Sacrosancta œcumenica et generalis Tridentina Synodus... omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor ; nec non Traditiones ipsas... tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatas, pari pietatis affectu ac reverentia... suscipit et veneratur.*

38. *Scripturæ* nomen in propositione sumitur pro aliquibus certis libris, tum *Veteris* tum *Novi Testamenti ;* quin determinetur quinam illi libri sint. Hæc enim determinatio ad quæstionem de Canone spectat, quæ infra tractabitur.

39. PROB. 1° *Ex ipsa Scriptura*, ubi tum Prophetæ, tum Christus, tum Apostoli, inspirationem testantur Scripturarum. Hæc autem testimonia esse ad probandum assumptum efficacia, inde patet, quod Prophetas V. T. veras accepisse revelationes, Christum vero et Apostolos divinam prædicasse doctrinam alibi[1] probaverimus.

40. Jam vero argumenta hoc modo proponi possunt : -1) *quod ad Vetus Testamentum spectat*, auctores ipsi non raro testantur se Deo jubente et inspirante scribere, ut Ezech. XXIV : *Et factum est verbum Domini ad me, in anno nono, in mense decimo, decima die mensis, dicens : Fili hominis, scribe tibi nomen diei hujus...* — Jerem. XXX, 2 : *Scribe tibi omnia verba, quæ locutus sum ad te, in libro.*

41. Joan. V, 39 : *Scrutamini Scripturas... illæ testimonium perhibent de me.* — Matth. XXII, 43 : *Quomodo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus... ?* — II Tim. III, 16 : *Omnis scriptura divinitus inspirata*, θεόπνευστος, *utilis est ad docendum.* — II Pet. I, 21 : *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu sancto inspirati*, ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, *locuti sunt sancti Dei homines.*

42. -2) *Quoad Novum Testamentum*, vix aliud invenitur testimonium quam II Pet. III, 16 : *In quibus* (Pauli Epistolis) *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et* CÆTERAS SCRIPTURAS, *ad suam ipsorum perditionem.* — S. Joannes quoque inspirationem Apocalypseos testatur, ut cap. XXII, 18, 19 : *Contestor omni audienti verba* PROPHETIÆ *libri hujus...*

[1] Tract *De relig. Christ.*, cap. 3 et 4. — *De Eccl.*, cap. 1, art. 2, prop. 1, seqq.; n. 123. — Cf. Patrizi, *Commentatio de Scripturis divinis*, § 5. Romæ 1851.

43. 2° *Ex publico et universali Ecclesiæ sensu*, qui manifestatur -1) ex praxi : ab exordio enim Ecclesiæ, Scriptura consideratur ut fidei regula et criterium præcipuum christianæ veritatis, salva tamen interpretatione Ecclesiæ; quare in Conciliis œcumenicis Liber Evangeliorum super thronum collocatur, ut sacro Senatui quasi præsideat [1]. — Manifestatur -2) Patrum expressis testimoniis, qui omnes passim loquuntur ut S. Clemens Romanus : *Scripturas diligenter inspicite, quæ Spiritus Sancti sunt oracula.* Epist. 1. ad Cor. [2].

PROPOSITIO II.

Scriptura sacra quoad omnes et singulas partes divinitus inspirata est.

44. *De fide*, ex Trid. Sess. 4 : *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit.*

45. Partes hic intelliguntur ea librorum fragmenta, quæ, ut caput ultimum Marci, et XVIII Lucæ, *deuterocanonica* vocantur, et rejiciebantur a Protestantibus, adversus quos Tridentini definitio lata est. Non itaque spectat Concilii decretum ad quædam minuta, de quibus disputatur utrum sint menda nec ne. — Eos quoque Protestantes anathema perstringit, qui cum Episcopio dixerunt, agiographos quidem in rebus religiosis fuisse inspiratos, minime vero in iis quæ ad humanam historiam pertinent; hæc enim ita humano ingenio scripta esse, ut nullo modo Deus eorum auctor dici possit.

46. PROB. 1° Argumenta in præcedenti propositione allata, generalia sunt, nullamque exceptionem innuunt aut patiuntur; ut illud II Tim III : *Omnis Scriptura divinitus inspirata* [3].— Patrum testimonia pariter generalia sunt; vocant enim Scripturam universim *oracula, effata Dei;* scriptores vero sacros, *organa, instrumenta Dei*...

47. 2° *Ratione theol.* Si Scriptura non esset tota et quoad singulas partes inspirata, fine suo fraudaretur inspiratio. Finis enim est, ut certo nobis constet de Dei voluntate et objecto fidei; de quibus nunquam certo constaret, si aliquid admixtum foret quod a Deo non esset, nec Dei nomine scriptum, Deive auctoritate vestitum.

48. NB. Si quis ideo quædam fragmenta non esse inspirata contendat, quia non sunt in vetere Ecclesiæ canone, sequenti articulo refutabitur.

[1] Concil. Ephes. Act. 1. — [2] Cfr. Trid. Sess. 4. — [3] Exploratum est enim, quanquam nomen γραφή articulo careat, Paulum affirmare *omne*, hoc est *totum, Bibliorum volumen esse divinitus inspiratum*. Patrizi, opusc. citato.

PROPOSITIO III.

Sacra Scriptura, non partim negativa, sed tota fuit positiva inspiratione conscripta.

49. *Communior Theologorum sententia.*

50. Dicitur *inspiratione positiva*, qua scilicet, ut supra definivimus, Spiritus S. non tantum agiographis affuit ne errarent, eosque movit ad scribendum ; sed etiam positive juvit suggerendo scribenda, scriptionemque moderando, ita ut reapse scriberent quæ ipse vellet. — Dicitur *Scriptura tota ;* quia omnes admittunt, pleraque fuisse positive inspirata, et negativam Dei cooperationem pro quibusdam solummodo partibus statuunt.

51. PROB. 1° Illa inspiratio admittenda est pro tota Scriptura, quam ipsa Scriptura et Patres supponunt : atqui supponunt inspirationem positivam. II Tim. III : *Omnis Scriptura divinitus inspirata.* — S. Clemens : *Scripturæ, quæ Spiritus Sancti sunt oracula...* Epist. 1 ad Cor.

52. 2° *Ratione.* Scriptura sacra secundum Tridentin. Sess. 4, est *a Spiritu Sancto dictata;* sed nisi Spiritus S. res et sententias suggessisset, nulla ratione Scriptura diceretur dictata a Spiritu S. ; ergo. — Quidquid credi potest fide divina, debet esse revelatum a Deo ; cum fidei motivum sit auctoritas Dei revelantis, seu loquentis : sed omnes veritates, seu res ac sententiæ in Scriptura contentæ, possunt credi fide divina ; ergo. — Præterea, admissa hypothesi inspirationis mere negativæ, minime cernitur, quo titulo Scripturæ textus quilibet dignitate præstet Ecclesiasticæ definitioni, quæ pariter, per Spiritus S. assistentiam, omni errore immunis præservatur. Porro an dicemus Ecclesiasticam definitionem cum textu Scripturæ in eodem esse dignitatis gradu [1] ?

QUÆSTIONES.

1° *An inspiratio extenditur usque ad minimas etiam circumstantias ?* — 2° *An inspiratio extenditur usque ad verba ?*

53. RESP. *Ad* 1^um^. Ratio dubitandi, utrum inspiratio extendatur ad omnes circumstantias, est, quod quædam occurrunt tantilla, tam familiaria, vel tam exigui momenti, ut ea divinæ inspirationi attribuere parum dignum videatur. Hujusmodi sunt cauda blandiens canis Tobiæ [2], Pauli penula [3], hospitium quod is Philemonem sibi parare jubet [4], salutationes quæ sunt in ejus epistolis, etc. An itaque hæc Deo inspirante conscripta esse credere oportet ? — Ad hanc quæstionem ita

[1] Cf. Wirceb. theol. *De principiis theol.* disp. I, cap. 1, art. 3. — Item Christian. *Regula fidei cathol.*, part. 2, sect. 1, c. 2, apud Migne, *Cursus theol.* tom. 6. — [2] Tob XI, 9. — [3] II Tim. IV, 13. — [4] Philem. 22.

Patrizi [1] : Si quis negaret, ait, non hunc equidem damnarem ; sed neque negare ipse illud ausim. Neque enim deest cur illa quoque θεόπνευστα esse credantur. Etenim qui Scripturas ita legit, ut Deum harum auctorem esse recordetur, menteque ad hunc assurgat ; facile in eo quod de Tobiæ catulo narratur, indicium deprehendit Providentiæ, qua Deus vel irrationabilia ipsa hominis, cujus gratia ea creavit, commodis inservire jubet. — Quod ad Pauli penulam, documentum inde habes, ut corporis quoque ac terrenorum bonorum cura minime sit negligenda. — Philemonis hospitium exemplo est hospitalitatis, illius præsertim quæ priscos inter Christianos obtinebat. — Salutationes vero epistolis additæ eo spectabant, ut salutati ab Apostolo animos ad grandiora ac generosiora præstanda sumerent ; utque horum, utpote tale merentium, memoria sacris Litteris consignata superstitaret.

54. Q. 2° *An inspiratio extenditur usque ad verba ?*—R. Sensus quæstionis, prout vulgo agitatur, hic est, an omnia verba, verborum structuram, stylum, ac summatim totam materialem sermonis texturam, divina inspiratio attingat. — Jam vero, de hac quæstione disputatur. Qui *affirmant*, hujusmodi passim afferunt argumenta : -1) Scriptura vocatur et est verbum Dei ; atqui hoc suadere videtur, ipsa vocabula a Deo fuisse agiographis inspirata, secundum illud II Pet. I, 21 : *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* — -2) S. Chrysostomus ait : *Nihil temere vel fortuito loquitur divina Scriptura, sed et syllaba, et apiculus unicus reconditum habet thesaurum.* — -3) Accedit usus Patrum, Theologorum, imo ipsius Scripturæ quæ ex vocabulo interdum argumentatur. Galat. III, 16 : *Non dicit : Et* SEMINIBUS, *quasi in multis : sed quasi in uno : Et* SEMINI *tuo, qui est Christus.*— Augustinus, Tract. 120 in Joan. : *Vigilanti verbo,* ait, *Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut aliud ; sed* APERUIT : *ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur.*

55. Qui *negant* inspirationem se porrigere usque ad omnia verba, dicunt hujusmodi extensionem per se non esse necessariam, eamque variis rationibus excludi. -1) Non est necessaria hæc extensio ut Scriptura sit vere et proprie verbum Dei : ad hoc enim sufficit, res omnes et singulas sententias esse inspiratas, verba autem saltem confuse a Spiritu S. fuisse subministrata. Quod si formalis verborum inspiratio requireretur, ipsa nostra Vulgata versio non foret verbum Dei ; cum ejus verba inspirata fuisse nemo dixerit. -2) Si reapse omnia verba fuissent inspirata, meliore conditione fuisset Synagoga quam Ecclesia ; habuisset enim exemplaria V. T. diviniora, scilicet primigenia, quæ Ecclesia non adhibet. — 3) Bibliorum scrip-

[1] *Comment. de Scripturis div.* § 6.

tores non tantum fatentur, se multum in opere exarando laborasse [1], sed se suaque excusant. II Machab. XV, 39 : *Si quidem bene, et ut historiæ competit, hoc et ipse velim : sin autem minus digne, concedendum est mihi.* — 4) S. Augustinus : *Ne putemus quasi consecratis sonis ita muniri veritatem : tanquam Deus nobis, quemadmodum ipsam rem, sic verba commendet.* Lib. 2. *De cons. Evang.* c. 66. — P. Patrizi, qui negativam hanc sententiam amplectitur, ita concludit: « Quum tamen « negamus, divinam inspirationem ad Scripturarum verba in « universum sese porrigere, non hoc evincere volumus, nulla « omnino horum verborum esse θεόπνευστα. Etenim si quæ vati- « cinia sunt, quæ non primo ore prolata, sed scripto edita fuere; « credere est etiam, verba quibus enuntiabantur, præcipua sal- « tem, subinde inspirata fuisse. Itemque sentiendum de certis « quibusdam verbis, in quibus tota sive doctrinæ sive argumenti « moles consistit, velut nomen Λόγος, *Verbum*, in scriptis « Joannis ; σπέρματι, *semini*, in Gal. III, 16 [2]. »

ARTICULUS II.

DE CANONE S. SCRIPTURÆ.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ.

1° Quid est canon Scripturarum ? — 2° Quid libri canonici et canonicitas ? — 3° Quomodo libri sacri aliquando distincti fuerunt ? — 4° Quomodo differunt inter se canon Judæorum et canon Christianorum ?

56. QUÆR. 1° *Quid est canon Scripturarum ?* — R. *Canon*, si proprius sensus vocis spectetur, idem est ac *regula*. — Canon SS. Scripturarum est collectio et publicus catalogus librorum, qui tanquam sacri et divinitus inspirati habentur. Dicitur *canon*, tum quia S. Scriptura fidei morumque regula est, tum quia ejusmodi codex auctoritate legitima confectus, fidelibus tanquam regula datur, qua libros sacros ab aliis secernere possint.

57. Q. 2° *Quid sunt libri canonici et canonicitas ?* — R. Libri canonici sunt libri inserti in canone. Dividuntur in *protocanonicos* et *deuterocanonicos*. Protocanonici dicuntur illi, qui ut sacri et divini semper ab universa Ecclesia, absque ulla contradictione, recepti fuerunt. Deuterocanonici vero, quorum divinitas non ita semper explorata fuit in universa Ecclesia, quin ab aliquibus Catholicis aliquando in dubium revocata fuerit, vel etiam negata. Tales libri sunt, ex V. T., *Esther*, quoad septem postrema capita ; *Baruch*, *Danielis pars*, nempe hymnus trium puerorum, historia Susannæ et Draconis ; *Tobias*,

[1] II Machab. II, 27. — [2] Patrizi, *Comment. de Scripturis divin.* § 6.

Judith, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *libri duo Machabæorum* ; — ex N. T., caput ultimum *Marci* a v. 9 usque ad finem ; historia sudoris sanguinei in horto, et apparitionis angelicæ Christo factæ *in Evang. Luc XXII* ; Joannis historia *de muliere adultera*, Epistola B. Pauli *ad Hebræos*, Ep. catholica *B. Jacobi*, 2ª *Petri*, 2ª *et* 3ª *Joannis*, Epistola *B. Judæ* et *Apocalypsis*. — Reliqui omnes libri, præter hic recensitos, sunt protocanonici, ab omnibus Catholicis semper recepti.

58. *Canonicitas* est *publica Ecclesiæ auctoritas, qua liber divinus ut talis proponitur ac declaratur*. Est ergo extrinseca qualitas, libro divino superveniens, qua divinitas ejus, ut veritas jam in Ecclesiæ deposito existens, in luce ponitur, et sicut aliud quodvis dogma declaratur.

59. Q. 3° *Quomodo libri sacri aliquando distincti fuerunt ?* — R. Libri ecclesiastici antiquitus dividebantur in duas classes. Ad primam classem referebantur libri ὁμολογούμενοι seu *canonici*, et tanquam divini *ab omnibus admissi*. — Ad *alterum*, ἀντιλεγόμενοι, seu illi qui tanquam divini, saltem *universaliter, non admittebantur*. Hi subdividebantur in duo genera : alii erant ἀμφιβαλλόμενοι controversi, *dubie divini* ; alii νόθοι, ψευδεπίγραφοι dicebantur, et certo pro non divinis habebantur : hi quoque vocabantur ἀπόκρυφοι, quæ vox tamen vario sensu usurpata est.

60. Alio modo, sed non alio sensu, distingui possunt in tres librorum classes, qui dicebantur γνήσιοι *genuini*, *certo divini* ; μίκτοι *mixti* ; νόθοι *spurii vel apocryphi*.

61. Has divisiones librorum ecclesiasticorum apud antiquos obtinuisse, magna ex parte probatur ex Eusebio [3], qui libros ecclesiasticos Novi Testamenti distinguit in βιβλία ὁμολογούμενα, seu libros ab omnibus receptos, at ἀντιλεγόμενα non ab omnibus receptos. In hac posteriore classe recenset Epistolas S. Jacobi, S. Judæ, 2am Petri, 2am et 3am Joannis. — Præterea duas alias librorum species indicat ad religionem spectantes, quos vocat νόθα et ἄτοπα καὶ δυσσεβῆ. Νόθα appellat libros apocryphos, id est eos, quorum constat Apostolos non esse auctores : qualia esse dicit acta S. Pauli, Pastorem Hermæ, Apocalypsin S. Petri, Epist. S. Barnabæ, Constitutiones Apostolicas, Evangelium Hebræorum ; et juxta quosdam Apocalypsin S. Joannis. — Ἄτοπα καὶ δυσσεβῆ vocat eos libros, qui non tantum sunt spurii, sed etiam ineptias vel impietates continent, qualia sunt, ait, Evangelia S. Petri, S. Thomæ, S. Matthiæ, etc.

62. Q. 4° *Quomodo differunt inter se canon Judæorum et canon Christianorum ?* — R. *Canon Judæorum* tantum libros V. T. continet. Collectionem SS. Librorum ab Esdra fuisse factam

[1] Histor. Eccles. l. 3, c. 24. Cf. Illustr. Malou, *Lecture de la Bible*, tom. 2.

post captivitatem Babylonicam, communis sententia est [1]. Canon ne Esdrinus continuisse videtur libros 22, quos enumerat Hieronymus in *Prologo galeato*. Hic canon *Judæorum*, vel iam *Palæstinensis* vocari solet. — Præter hunc canonem, qui tum libros hebraice scriptos continebat, habebant Judæi iam collectionem seu catalogum, qui libros etiam chaldaice et ece scriptos complectebatur. Hic catalogus alter quasi canon , qui *Alexandrinus* dicitur [2].

63. *Canon Christianorum* est illa Librorum sacrorum collec-, quæ a Christo et Apostolis Ecclesiæ fuit tradita, et postmo-m solemni definitione ab eadem Ecclesia sancita. Illa collectio ntinebat et hodiedum continet -1) Vetus Testamentum, ut erat canone Alexandrino ; et -2) Novum Testamentum ut a Con-io Carthag. III, anno 397, et a Tridentino, Sess. 4, recensetur.

64. Hæc SS. Librorum collectio, licet integra Ecclesiæ uni-ersali, (saltem in persona apostolorum, et etiam ut minimum n persona successorum Petri), divinitus fuerit tradita atque oncredita ; non tamen integra, prioribus sæculis, innotuit om-ibus Ecclesiis. Nimirum, uti certo constat, non integrum corpus cripturarum singulis Pastoribus, seu Ecclesiis particulari-us, fuit a principio concreditum. Hinc factum est, ut circa non-ullos libros dubitatum fuerit in Ecclesiis particularibus, donec cclesia universalis, per legitimos Pastores sub R. Pontifice gitime congregatos, integrum canonem ediderit.

65. Quod spectat ad Vetus Testam., alii cum Melitone Sardensi æc. II, et concilio Laodiceno (371), can. 59, recensionem Pa-estinensem admittebant, cui tamen Melito addebat [3] librum apientiæ, et PP. Laodiceni librum Baruch ; alii collectionem lexandrinam [4]. — Quod ad N. T. attinet, varia quoque incer-itudo exstitit tribus prioribus sæculis, ut patet ex Eusebio [5]. einceps autem paulatim videmus illos N. T. libros, qui ab Eu-ebio tanquam controversi perhibentur, inter divinos admitti, t in canonem referri. Admittuntur a S. Athanasio et S. Epi-hanio ; omnes, una excepta Apocalypsi, citantur apud Cyrillum ierosol. [6], Gregorium Nazianz. [7] et in Constitutionibus postol. — Non tamen defuere dissensiones [8], donec Ecclesia, eclaratione solemni, omnes dubitationes dissipaverit, et ho-iernum canonem proposuerit ; quem exhiberi cernimus in conc.

[1] Cfr. Bonfrerius, *Præloquia in S. Script.* cap. 3, sect. 6 : item Tournemine : *ppend. ad eadem præloq.* in edit. Menochii, tom. 3. — [2] Cfr. Klee. *Hist. des ogmes*, t. I, chap. 5, n. 3. — [3] Juxta Bellarm. *De Scriptorib. Eccles.* [4] Cfr. Schouppe, *Cursus Scripturæ sacræ*, tom. I, part. 1, cap. 1, art. 2, § 3. *De uctoritate divina et canone Scripturarum.* — [5] *Hist.* l. 3, c. 24. [6] *Catech.* 4, n 33 ; et 15, n. 13, 16. — [7] *Carm.*, 33. — [8] Cf. Illustr. Malou, p. cit.

Hipponensi anno 393 ; — in conc. Carthag. III, 397 ; — in Romano, sub Gelasio, 494; — in Epist. Innocentii I ad Exuperium, 405 ; — apud Augustinum, *De doctr. christ.* l. 2, c. 8, n. 13 ; in Decreto Eugenii IV pro Jacobitis, 1439 ; — demum in Concil. Trid. Sess. 4.

Propositio I, *de canone Tridentino.*
Propositio II, *de divinitate libror. deuterocanonicorum.*

PROPOSITIO I.

Canon Catholicorum, sive Concilii Tridentini, legitimus est.

66. *De fide,* ex Trid. Sess. 4.

67. Propositio generaliter totum Tridentinum canonem vindicat, et statuit, omnes qui in eo continentur libros, omnesque librorum partes, ad sacras et divinas Scripturas pertinere.

68. Dicitur canon *legitimus,* hoc est, jure constitutus, et simul verus ; legitimus nempe tum jure tum facto ; ita ut Trid. Concilium non tantum habuerit jus canonem statuendi, sed etiam recte illo jure fuerit usum.

69. PROBATUR utrumque : primum theologice, alterum historice.

70. I. *Theologice.* Ille est legitimus canon, qui ab Ecclesia infallibili ut talis proponitur ; atqui ita proponitur canon Tridentinus ; ergo.

71. II. *Historice,* magisque polemice. Ille est legitimus canon, qui solidum habet in antiqua Ecclesia fundamentum ; atqui talis est canon Trid. Etenim ille canon solidum in antiquitate fundamentum habere dicendus est, qui a potiore saltem parte antiquitatis reperitur admissus, nec ulla critica difficultate everti potest ; atqui talis est canon Tridentinus.

72. Nam 1° canonem hunc a potiori antiquitate fuisse admissum, probant sequentes rationes.

73. -1) Integer admittebatur ab Ecclesia Africana et Romana sæc. IV ; ut constat ex documentis supra [1] citatis.

74. -8) Omnes quos continet libri in antiquis versionibus habentur, ut ex polyglottis Waltonianis liquet.

75. -3) Omnes item a Patribus, licet non omnes a singulis, tanquam divini citantur.

76. -4) Integer admittitur ab omnibus Ecclesiis orientalibus : quamvis earum nonnullæ, quales sunt Nestorianorum, Jacobitarum vel Eutychianorum sectæ, inde a V. jam sæculo ab Ecclesia catholica divisæ sint. Quod constat ex responsione synodo Hierosolymitanæ, an. 1672, sub Dositheo patriarcha, protestantibus data, qui Græcos ad partes suas trahere tentaverant. Nu-

[1] Præv. quæst. 4o, n. 65.

meratis enim Scripturæ libris iisdem, quos in Trid. decreto legimus, addit synodus : *Hos omnes judicamus esse canonicos, et sacram Scripturam confitemur, quoniam eos tradidit antiqua consuetudo, seu magis Ecclesia catholica* [1].

77. 2° Canonem Tridentinum nulla critica difficultate everti posse, patet ex eo, quod objectiones omnes, ab adversariis eruditissimis hactenus propositas, Doctores catholici solide refutarunt [2].

PROPOSITIO II.

Omnes libri deuterocanonici, tum V. tum N. Testamenti sunt vere divini.

78. *De fide*, ex Trid. Sess. 4.

79. Hæc propositio non est, sicut præcedens, generalis ; sed speciatim libros deuterocanonicos adversus calumnias Protestantium vindicat.

80. PROB. I PARS. *Divini sunt libri deuteroc. V. T.* — 1° Sequitur ex argumento generali et theologico, quod continetur in decreto Conc. Trid. Sess. 4. Cfr. supra n. 44.

81. 2° Argumentis idem particularibus ostenditur, magisque scientificis, quæque etiam polemice valent adversus Protestantes. 1) Illi libri semper habiti sunt a Judæis, si minus ut divini, saltem ut veneratione dignissimi ; quare in canone Alexandrino et Versione LXX Interpretum fuere inserti. 2) Citantur nonnulli in Novo Testamento, saltem allusionibus non obscuris, sicut reliquæ Scripturæ [3]. -3) Citantur a Patribus antiquissimis, præsertim a S. Clemente, Epist. I ad Corinthios, ubi omnes fere libri deuteroc. allegantur. -4) Eorumdem inveniuntur vestigia non obscura in inscriptionibus lapidariis et operibus musivis. -5) Accedit de horum librorum divinitate testimonium Ecclesiarum complurium, præsertim Romanæ. Porro hoc Ecclesiarum testimonium, potius audiendum est quam Judæorum. Non enim a Judæis, ut in celeberrima ad Africanum epistola Origenes ait, sed ab Ecclesia, libros sacros recipere debemus [4].

82. II PARS. *Divini sunt libri deuteroc. N. T.* — 1° Argumentum generale suppeditat iterum decretum Trid. Sess. 4.

83. 2° Probatur per partes, et magis scientifice. -1) *De Epistola ab Hebr.* testatur S. Hieronymus ad Dardanum scribens : *Hanc Epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis orientalibus, sed ab omnibus retro ecclesiasticis*

[1] Vid. Hardouin, *Acta Concil.* tom. 12, col. 258. — [2] Cf. Perrone, *De locis theol.* parte 2, sect. 1. — [3] Cf. Perrone, ibid. part. 2, cap. 1, n. 34.
[4] Cf. *Epist. ad Afric.* n. 4, opp. t. 1.

et græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi, dicendum est. Eamdem laudant S. Clemens Rom., Irenæus, Tertullianus.

84. -2) De Epistolis *Jacobi, Judæ, 2ª Petri, 2ª et 3ª Joannis,* et de *Apocalypsi,* inter alia, existit testimonium Origenis, Homil. 7 in Josue ; nec non Hieronymi, epist. ad Paulinum, in qua hæc leguntur verba : *Jacobus, Petrus, Joannes, Judas, septem Epistolas ediderunt, tam mysticas quam succinctas, et breves pariter ac longas : breves in verbis, longas in sententiis ; ut rarus sit qui non in earum lectione exerceatur. Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta quot verba.*

85. -3) *De fragmentis deuterocanonicis,* quæ scilicet pertinent ad caput ult. Marci, XXII Lucæ, et VIII Joannis, dixisse sufficiat ea a præcipuis Patribus admitti, et in omnibus fere versionibus ac codicibus manuscr. reperiri.

86. OBJIC. 1° Tridentinum non potuit hanc controversiam dirimere, nisi ferendo judicium de Scripturis ; atqui non potuit judicium ferre de Scripturis divinis ; ergo non potuit hanc controversiam dirimere ; ac proin canon ad Trid. editus illegitimus est. *Prob. min.* Ecclesia nullam habet jurisdictionem in Scripturas ; ergo non potuit de iis judicium ferre. — R. *Dist. maj.* Non potuit hanc controversiam dirimere nisi ferendo de Scripturis judicium *discretionis,* conc.; judicium *auctoritatis,* subdist.; circa fideles, illos expresse obligando ut libros deuterocanonicos susciperent, *conc.;* circa scripturas divinas, *neg. maj.* Eumdem in sensum *dist. min. et probat.*

87. *Obj.* 2° Etiamsi Tridentinum habuisset jus, certo caruit sufficienti notitia ; ergo canon Trid. est illegitimus. Etenim notitia Tridentinorum Patrum debuit hauriri ex traditione ; atqui traditio de divinitate istorum librorum non exstitit antiquitus ; ergo Patribus Trid. non potuit sufficiens esse notitia. — R. *Neg. antec.* Ad probat. *nego minor.* Etenim, ut ostendimus, potior antiquitatis auctoritas stat pro hoc canone.

88. *Obj.* 3° Si de divinitate librorum deuteroc. Ecclesiæ ex traditione apostolica constaret, Patres traditionem illam non ignorassent ; atqui eam ignorarunt ; ergo. — *Prob. min.* Istos libros tanquam divinos non agnoverunt *Melito* Sardensis, apud Euseb. Hist. l. 4. 25 ; *S. Anathasius* in Synopsi ; concil. *Laodicenum* sæc. IV ; *Origines, S. Gregorius Naz., S Epiphanius, S. Joan. Damascenus,* aliique , ergo. — R. *Dist. maj.* Si hæc traditio recepta et conservata fuisset in omnibus Ecclesiis, *conc.;* si conservata fuit in aliquibus tantum Ecclesiis, præcipue in Romana et Patriarchatu Occidentis, *neg. maj.* — *Ad probat.* Melito Sardensis non tradit canonem Ecclesiarum Asiæ, sed Judæorum Palæstinæ. Alii Patres citati, complures libros ex deuterocanonicis tanquam Scripturas divinas allegant. Conci-

lium Laod. tantum provinciale fuit 22 Episcoporum ex Phrygia ; et cæteroquin nequaquam recenset canonem Protestantium, sed præter librum Baruch, suscipit omnes libros deuteroc. N. T., una Apocalypsi excepta.

89. *Obj.* 4° S. Hieronymus complures annos Romæ versatus, præcipue temporibus Damasi, præfatione in libros Salomonis scribit : *Sicut Judith et Tobiæ et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit : sic hæc duo volumina* [Sap. et Eccli.] *legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Aliaque similia habet præfatione in Danielem. Ergo ævo S. Hieronymi, non exstabat hæc traditio in Ecclesia Rom., vel saltem ab Hieronymo pro apostolica non habebatur.— R. *Neg. conseq.* Si enim in Ecclesia Rom. traditio illa apostolica non exstitisset, S. Innocentius I, anno 405, adeoque vivente adhuc S. Hieronymo, canonem illum divinarum Scripturarum tanquam indubium, et antiqua auctoritate munitum, non misisset ad Exuperium ; nec eum S. Gelasius, eodem adhuc sæculo in concilio Romano, quo 70 Episcopi convenerant, ratum habuisset.—Sanctus vero Hieronymus verbis allatis id unum asserere videtur, deuterocanonicos libros ad confutandos hæreticos et articulos fidei adstruendos, eo ex capite minus idoneos esse, quod Ecclesia tunc temporis nondum supremo judicio definiisset, libros illos esse vere canonicos et divinos ; cum plures in Oriente Ecclesiæ, salva pace et fide catholica, de iis dubitarent. Certe ipse S Hieronymus plures ex deuterocanonicis, tanquam divinos agnoscit et citat [1].

90. *Obj.* 5° *Ex facto.* Libri deuteroc. Veteris saltem Testamenti, non sunt divini. Etenim libri illi non fuerunt divini in Synagoga, ergo neque in Ecclesia. *Confirm.* Si fuissent Deo inspirante conscripti, Esdras eorum divinitatem agnovisset eosque canoni suo inseruisset ; atqui non inseruit ; ergo. — R. *Neg. antec.* Ad probat. *Dist. antec.* Libri illi non fuerunt in Synagoga divini, h. e. agniti et publice declarati divini, *conc.;* non fuerunt jam tunc Deo inspirante conscripti, *neg. antec.* Et *neg. conseq.* Apud catholicos iidem libri non modo divini sunt, sed etiam canonici ; quia canonem suum fideles, non a Synagoga, sed ab Ecclesia acceperunt, quæ cognita horum librorum divinitate, eos in canonem retulit. — Ad confirm. *neg. antec.* Plures fuere causæ cur libri deuteroc. V. T. in canonem relati ab Esdra non fuerint : quarum una est impossibilitas ratione temporis ; cum libri Sap. Eccli. Machab. post tempora Esdræ fuerint conscripti ; etc. [2].

[1] Cfr. Hieron. *Apolog. adversus Ruffin.* l. 2, c. 9.
[2] Cfr. Sardagna. *De canone div. libror.* n. 163.

ARTICULUS III.

DE VERSIONIBUS S. SCRIPTURÆ.

Quæstiones *præviæ de versionibus*.
Propositio *duplex, de authenticitate et auctoritate* Vulgatæ.
Quæstio *de lectione Scripturæ in lingua vulgari*.

QUESTIONES PRÆVIÆ.

1o *Quo idiomate conscripti fuere libri tum V. tum N. Testamenti?* — 2o *Quæ sunt celebriores V. T. versiones?* — 3o *Quænam dicitur versio* VULGATA? — 4o *Quid est authentia, et quonam sensu Vulgata a Tridentino declarata fuit authentica?*

91. QUÆR. *Quo idiomate conscripti fuere libri tum V. tum N. Testamenti?* — Libri V. T. fuere conscripti hebraice, paucis exceptis, nimirum libro *Sap.*, secundo *Machab.*, qui lingua græca ; *Tobiæ*, *Judith*, I et II *Esdræ*, *Danielis*, qui lingua chaldaica scripti fuerunt. Liber *Ecclesiastici* et lib. I *Machab.* hebraico quidem sermone exarati fuerunt, et Hieronymus testatur se utriusque textum hebraicum vidisse ; hodie tamen non amplius hebraice conscripti reperiuntur.

92. Libri N. T. scripti sunt græce omnes, excepto probabiliter Evangelio S. Matth., imo etiam Epistola ad Hebr., quæ ambo hebraico, seu syro-chaldaico idiomate forsan fuerint exarata.

93. Q. 2° *Quæ sunt celebriores V. T. Versiones?* — R. Versiones varias collectas videre est in *Polyglottis*, quæ plures fuerunt adornatæ, nimirum : Complutensis, Antverpiensis, Parisiensis, Londinensis quæ et Waltoniana vocatur. — Porro celebriores versiones sunt : —1) versio *Chaldaica*, quæ paraphrasis seu *Targum* vocatur, complectens tres partes a tribus diversis auctoribus scriptas, qui sunt Onkelos, Jonathan Ben-Uziel, et Rabbi Joseph. — 2) Versio *Syriaca*, quæ sicut præcedens potius paraphrasis dicenda est. — 3) Versio *Græca* LXX Interpretum, omnium antiquissima, sub Ptolemæo Philadelpho, an. 285 ante Christum, confecta. Hæc versio fuit aliquando perfectissima ; ea usi sunt ipsi Apostoli, ex ea factæ sunt versiones, quæ primum in Ecclesiis Christianis publice fuere perlectæ ; eam demum Patres et Theologi, tam Græci quam Latini, commentariis illustrarunt. At vero progressu temporis, vel hominum malitia vel incuria, non paucas adulterationes in illam irrepsisse, gravissimi Theologi, ut Bellarminus [1], opinantur. — 4) Versiones *Græcæ* Aquilæ, Theodotionis et Symmachi, quas Origenes cum versione LXX Interpretum in *Tetrapla* et dein in *Hexapla* collegit.

94. — 5) Versio *Latina* duplex, antiqua et moderna. *Antiqua* ea est, quæ a viris Apostolorum coævis adornata fuisse

[1] *De verbo Dei*, lib. 2, c. 6. — Cf. Bonfrerius, *Prælog. in Script. S.*, cap. 16, sect. 6.

videtur, vocaturque a S. Gregorio *velus*, a S. Hieronymo *vulgata et communis*, a S. Augustino *Itala*, de qua sic ait : *Itala cæteris* versionibus latinis *præfertur ; est enim verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. — Moderna*, est nostra *Vulgata*, de qua in sequenti quæstione.

95. — 6) Versiones *vernaculæ* seu *vulgares*, eæ dicuntur, quæ lingua cuilibet regioni propria et usurpata, exaratæ sunt. Hujusmodi exstant plurimæ, inter quas ab antiquitate celebrantur : *Gothica*, auctore Ulphila : *Coptica*, sive Ægyptiaca sæc. IV ; *Æthiopica* cujus jam S. Chrysostomus meminit ; *Armena* et *Persica*, cujus meminit Theodoretus.

95. Q. 3° *Quænam dicitur versio Vulgata ?* — D. Ea quæ in Ecclesia occidentali a remotissimo tempore in usu est, a Tridentino declarata fuit authentica, et Sixti V ac Clementis VIII jussu recognita et accuratius edita. Constat autem partim ex vetere Itala, partim ex versione S. Hieronymi, quam scilicet S. Doctor ex hebræo sermone latine confecit. -1) *Ex Itala* accepit totum Novum Testamentum, ab Hieronymo tamen emendatum ; item Psalterium [1], et illos V. T. libros quos Hieronymus non vertit, scilicet : Sap., Eccl., duos Machab., Baruch cum Jeremiæ epistola, appendicem libri Esther, Danielis duo ultima capita, et Canticum trium puerorum. -2) *Ex versione Hieronymiana* mutuata est reliquos libros, qui in Hebræorum canone continentur ; ita saltem, ut majori ex parte Hieronymi versionem spirent.

97. 4° *Quid est authentia, et quo sensu Vulgata versio a Tridentino declarata fuit authentica?* — R. Authentiam jam consideravimus in tract. *De Religione christiana :* at illud in genere et quoad Scripturam universim spectatam : hic autem speciatim *de versione Vulgata* quæritur, utrum, et quomodo authentica sit.

98. A] *Authenticum* a græco αὐθεντία, quod auctoritatem denotat, nomen habet ; ideoque significat proprie [2] et generatim, *auctoritate munitum*, quod facit fidem, auctoritatem.

99. Jam vero scriptum quodpiam dici potest authenticum vario modo et gradu.-1) Si est *autographum*, seu exemplar originale ; et tunc, per se, magis proprie ac stricte est authenticum. — Si est *apographum*, et tunc proprie quidem, sed minus stricte authenticum est ; cum tale non sit per se, sed quatenus cum autographo consonat.—3) Si est *translatum* seu in aliam linguam versum ; et tunc latiore adhuc sensu dicitur authenticum ; quatenus nempe cum textu primigenio concordat, ex quo ceu fonte fuerat derivatum.

[1] Psalterium Vulgatæ desumptum est ex Itala a S. Hieronymo emendata. Vetus psalterium leviter dumtaxat ab Hieronymo emendatum, usurpatur adhuc in Basilica Vaticani, in Cathedrali Mediolan., in S. Marci Venetiis et in sacello Toletano. —[2] Aliquando, sensu particulari, accipitur pro *genuinitate et integritate* scripti, ut supra tract. 2, *De Relig. christ.* cap. 3, art. 1, n. 201, 207.

100. Hi tres authenticitatis gradus possunt ita proponi : -1) *authentia absoluta*, quæ est in primitivo *autographo*, et dicitur identitatis ; — 2) *authentia relativa in apographo*, quæ est similitudinis ; — 3) *authentia relativa in versione*, et hæc fidelitatis authentia vocari potest.

101. Quæ hactenus dicta sunt pertinent ad authentiam intrinsecam. Duplex enim authentiæ genus distinguitur : altera est intrinseca et altera extrinseca. *Intrinseca* dicitur illa authentia, quæ exsurgit vel ex natura ipsius autographi, vel ex convenientia cum autographo, vel, si de versione sermo sit, ex fidelitate qua versio res et sententias archetypi refert. *Extrinseca* vero dicitur illa, quæ ex aliis rationibus fidem facientibus scripto accedit : qualia sunt sigilla, testimonia ; et si sermo sit de versione Scripturæ, auctoritativa declaratio Ecclesiæ.

102. B] *De versione Vulgata* decrevit Concil. Trid. [1] eam esse *ex omnibus latinis editionibus quæ circumferuntur, pro authentica habendam*. In quo Trid. decreto spectari potest objectum materiale, quod decreto attingitur ; deinde modus quo attingitur ; seu quo sensu aut gradu authenticitas illi objecto tribuatur. — *Quoad primum*, decretum Trid., ut ex ejus verbis patet, neque ad textus primigenios, neque ad antiquas, sive orientalis sive occidentalis Ecclesiæ, versiones pertinet : sed unice *ad latinas editiones*, quæ tunc temporis circumferebantur, per se et directe spectat. *Quoad alterum*, sensum nempe authenticitatis : omnes Catholici consentiunt, decretum non esse tantum disciplinare, quod solum statuat hanc editionem esse publice usurpandam uniformitatis causa, atque authenticitatem tribuat mere extrinsecam præscindendo ab interna, quæ ex fidelitate, ut dictum est, exsurgit ; sed tenent, decretum illud etiam dogmaticum esse, declarans scilicet inesse Vulgatæ authentiam intrinsecam, vi cujus illa, in partibus saltem principalibus, a veritate Scripturæ originalis non deflectat, licet non semper omnem claritatem, vim ac elegantiam textus orginarii exprimat. — Porro quod spectat ad extensionem hujusce fidelitatis, quam Tridentinum Vulgatæ attribuit, duplex est sententia : -1) una *fidelitatis rigorosæ*, statuit omnia esse ad minimum apicem perfecta, in rebus quoque accidentalibus et levissimis, quæ ad fidem bonosque mores non pertinent ; — 2) altera *fidelitatis latioris*, vel *minus rigorosæ*, et quæ cum plerisque Theologis [2] tenenda videtur, ea est quæ statuit *fidelitatem quoad substantiam*, hoc est, conformitatem cum Scriptura primitiva : *a*) in rebus fidei et morum ; *b*) in aliis quoque rebus et sententiis, ita tamen ut in accidentalibus quædam menda inveniri possint.

[1] Sess. 4, *Decreto de editione et usu SS. Librorum*.
[2] Cf. Sardagna, *De authentia Vulgatæ*, t. 2, n. 182.

PROPOSITIO I.

Versio Vulgata jure merito a Tridentino declarata est authentica.

103. *Ad fidem pertinens*, utpote connexa cum infallibilitate Ecclesiæ.

104. PROB. 1° *Ex auctoritate Ecclesiæ.* Authentica merito habenda est illa versio, quam a tempore S. Gregorii magni, id est, a mille jam et amplius annis, publico usu catholica consecraverat Ecclesia; atqui talis est Vulgata.

105. 2° *Ex origine.* Vulgata partim ex antiquis probatis versionibus, partim ex S. Hieronymi translatione coaluit; atqui talis Versio jure merito declarari poterat authentica.

106. 3° *Ex confessione protestantium.* Beza, in editione *Novi Testamenti*, an 1559, eam omnibus latinis versionibus anteferendam esse affirmat. Idem sentit Grotius in præfat. annotationum in Vetus Testamentum.

PROPOSITIO II.

Tridentina Synodus, Vulgatam authenticam declarando, eam hebræis et græcis fontibus non anteposuit, neque ab omni mendo puram esse definivit.

107. *Sententia communis.*

108. PROB. I PARS, ex decreto Trid. quod hujusmodi præstantiam Vulgatæ conferri non indicat.

109. II PARS, ex ipsius Concilii mandato, quo eadem Sess. 4 statuit, ut Vulgata sedulo diligenterque a viris eruditissimis emendaretur; ergo eam non habuit ut omnis prorsus mendi expertem. — Accedit Bellarmini, qui fuit de correctorum numero, testimonium, in præfatione editionis Clementinæ.

QUÆSTIO.

110. *Quid sentiendum de lectione Scripturæ in lingua vulgari?* — R. Catholicorum nemo est qui neget, Scripturæ S. lectionem, in se spectatam sanctam esse et utilem; adeoque *per se* omnibus permitti et persuaderi posse. Hinc tot versiones vernaculæ omni ævo in Ecclesia adornatæ. At *propter abusus* recentiorum præsertim temporum, Ecclesia sapienter statuit, non indiscriminatim omnibus illam lectionem permittendam; ideoque regulam *Indicis* IV^am^ sancivit, quæ ita sonat: *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri; hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii, Bibliorum a catholicis auctoribus verso-*

rum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei et pietatis augmentum capere posse : quam facultatem in scriptis habeant...

111. Hæc porro regula jure et legitime lata est. Etenim 1o lectio Scripturæ non est omnibus, ac proin nec vulgari lingua ad salutem necessaria. — 2o Dantur rationes justæ et prudentes, cur lectio Scripturæ sacræ passim non permittatur omnibus : -1) *inutilitas* legendi, cum plerique eam non intelligant ; -2) *insolentia*, cum in nulla vitæ societate usus obtineat, ut omnes indiscriminatim statuta legumque codicem pervolvant, cujus scientia et interpretatio certæ personarum classi reservatur ; -3) *periculum*, cum ex una parte Scripturarum obscuritas, ex altera vero humanæ mentis imbecillitas et superbia, gravissimis erroribus occasionem præbeant [1].

ARTICULUS IV.

DE INTERPRETATIONE SCRIPTURÆ.

112. Hactenus probatum est, Scripturam sacram, et quidem determinate eam quam præ manibus tenemus, editionem latinæ versionis Vulgatam, continere verbum Dei ; ac proin fontem esse, unde divina revelatio a nobis hauriatur. At quoniam Scriptura non in omnibus clara est, sed obscuritatem sæpe præ se fert, examinandum jam quo pacto verus ejus sensus debeat indagari.

QUÆSTIONES.

1o *Quotuplex distinguitur in S. Scriptura sensus ?* — 2o *An præter sensum litteralem admittendus est mysticus ?* — 3o *Ex quonam sensu argumentum deduci potest ad dogmata demonstranda ?* — 4o *An dantur plures ejusdem loci sensus litterales ?* — 5o *Quid est systema Accommodationis scripturisticæ Protestantium ?* — 6o *Quid est Hermeneutica, et quænam sunt studii hermeneutici subsidia ?* — 7o *Quænam sunt regulæ in S. Scripturæ interpretatione sequendæ ?*

113. QUÆR. 1° *Quotuplex distinguitur in S. Scriptura sensus ?* — R. Sensus alicujus scripti est sententia, quam verba continent et auctor significare intendit. Sensus Scripturæ S. varia ratione distinguitur. -1) *Ratione auctoris*, est vel sensus Dei, vel sensus hominis. Proprie tamen et formaliter, *sensus Scripturæ* est *sensus* auctoris principalis, *Dei*. — -2) *Ratione significationis*, distinguitur sensus litteralis et mysticus. *a*) *Litteralis* seu historicus ille dicitur, quem verba proxime ex intentione Spiritus S. significant. Duplex est : *proprius*, quem verba proprie accepta efficiunt ; et *metaphoricus* seu tropicus, quem verba metaphorice accepta constituunt. Sic, quando Christus dicitur *sedere*

[1] Cfr. Illustr. Malou, *Lecture de la Bible en langue vulgaire*, t. 1.

ad dexteram Patris, *dextera* non sumitur proprie sed metaphorice, sensusque litteralis est, Christum æqualem cum Patre gloriam habere. *b*) *Mysticus*, seu spiritualis vel typicus, ille est, qui non significatur proxime per ipsa verba, sed per rem verbis significatam. Subdividitur in allegoricum, anagogicum et tropologicum.—*Allegoricus* dicitur is, qui agit de re pertinente ad fidem vel Ecclesiam militantem ; *anagogicus*, qui de pertinente ad vitam æternam, seu Ecclesiam triumphantem ; *tropologicus* denique, seu *moralis*, qui de pertinente ad mores. Exempli gratia, per hanc vocem *Jerusalem*, sensu litterali significatur urbs Palæstinæ ; allegorico, Ecclesia militans ; anagogico, patria cœlestis ; tropologico, anima hominis.

114. -3) *Ratione analogiæ* distinguitur et sensus *accommodatitius*, qui videlicet est improprius sensus Scripturæ ; non a Spiritu S. intentus, sed ab homine, verba Scripturæ accommodante ad res quas divinitus non exprimunt significandas, propter quamdam analogiam aut similitudinem. Hunc sensum interdum usurpant interpretes et concionatores. Verum, ut sensus accommodatitius licite usurpetur, observandi sunt tres canones : *a*) ut sensus ille sit verus ; nefas enim est verbis sacris vel per meram accommodationem, falsum adscribere. *b*) Ut sensus ille sit pius, et solum referat res honestas et religiosas [1]. *c*) Ut sensus accommodatus pro divino, sive litterali sive mystico, non tradatur ; nec vicissim divinus pro accommodato.

115. Q. 2° *An præter sensum litteralem admittendus est mysticus?*—Resp. affirmative. Etenim sensum mysticum semper adhibuit Ecclesia et Patres, imo Christus et Apostoli interpretatione mystica usi sunt. Joan. III, 14 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.*— Joan. XIX, 36: *Non fregerunt ejus crura...ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo.* Atqui in his adhibetur sensus vere mysticus. — Præterea Vetus Testamentum totum fuit figura et typus futurorum, ut testatur Paulus I Cor. X, 11 : *Hæc omnia in figura contingebant illis.* Ergo datur sensus mysticus a Spiritu Sancto intentus.

116. Q. 3° *Ex quonam sensu deduci potest argumentum ad demonstranda dogmata ?*— R. Primo ex sensu litterali, ut patet.— Secundo, ex mystico, quum eum talem esse constat ; nam sensus mysticus æque a Spiritu Sancto intenditur ac litteralis ; ergo æque certus est. Dein sensum mysticum in probationem attulerunt ipse Christus et Apostoli, et post eos Ecclesia et Patres ; ergo. — Tertio, non ex accommodato : nam sensus accommodatus, licet in Scriptura fundetur, non est tamen sensus

[1] Cf. Trid. Sess. 4, *Decretum de usu SS. Libror.*, circa finem.

ipsius Scripturæ sed potius interpretis ; ergo ad probandum ex Scriptura non valet.

117. Q. 4° *An ejusdem Scripturæ loci plures interdum sunt sensus litterales ?* — R. Disputatur. Affirmativam sententiam tenent Alph. Salmeron [1], Vasquez [2], Serarius, Melchior Canus, Bellarminus, Bonfrerius, Tourneminius, et omnes passim qui a tribus inde sæculis de sacra hermeneutica scripserunt. Præcipua quibus nituntur argumenta sunt : 1) *Ex ratione.* Dignius est divina sapientia plures res una sententia complecti. Dein, plures sensus spirituales ab omnibus admittuntur ; ergo a pari plures litterales videntur admittendi. — 2) *Ex factis.* Loci non desunt, quibus sensum litteralem multiplicem subesse, videtur non posse negari ; ex gr. Ps. II, 7 : *Filius meus es tu : ego hodie genui te,* tum de generatione Verbi æterna [3], tum de temporali [4], tum de resurrectione [5], ab ipsis Apostolis intelligitur. Et illud Isai. LIII, 8 : *Generationem ejus quis enarrabit ?* de generatione æterna simul et temporali intelligunt Patres, ut S. Leo : *Non enim ad illud tantummodo sacramentum, quo Filius Dei consempiternus est Patri ; sed etiam ad hunc ortum, quo Verbum caro factum est, credimus pertinere quod dictum est : Generationem ejus quis enarrabit ?* Serm. 3 de nativ. Dom. — Quod si quis contendat, in citato Isaiæ loco non agi de generatione Verbi passiva : reponunt sensus duplicis patroni, obstare auctoritatem fere unanimem SS. Patrum, ipsiusque S. Hieronymi, hebraicæ linguæ peritissimi, qui lib. I Comment. in Matth., ita scribit : *In Isaia legimus ; Generationem ejus quis enarrabit ?... ibi de generatione divinitatis est dictum.*

118-3). Tertio loco argumentantur *ex auctoritate,* præsertim S. Augustini [6] et S. Thomæ. Angelici Doctoris hæc verba citantur : *Ne aliquis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, ut alii sensus, qui in se veritatem continent, et possunt salva circumstantia litteræ, Scripturæ aptari, penitus excludantur. Hoc enim ad dignitatem divinæ Scripturæ pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat... Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus S. Scripturæ litteræ aptentur, quæ auctor non intellexit ; non est dubium quin Spiritus S. intellexerit, qui est principalis auctor divinæ Scripturæ.* De Potentia, q. 4 a 1.

119. Negativa tamen sententia eruditissimos quoque post Estium patronos nacta est, qui, ut Clar. Beelen [7] et P. Patrizi [8], argumenta allata solvi posse existimant, et oppositam sententiam ut probabiliorem defendunt.

[1] *Commentar. in Evangelic. hist.*, t. 1, proleg. 8. — [2] Opp. t. 1, disput. 17, cap. 3. — [3] Hebr. I, 5. — [4] Ibid. V, 5. — [5] Act. XIII, 33. — [6] *Confess.*, l. 12, c. 31. — [7] De sensu litterali unico *Dissertatio theol.* — [8] *De interpretatione SS. Script.*, lib. 1, cap. 8.

120. Q. 5° *Quid est systema Accommodationis scripturisticæ Protestantium ?* — R. Protestantes juxta principium suum de spiritu privato dirigente, omnes hermeneuticæ regulas ad argumenta ipsi Scripturæ intrinseca reducunt, et ad usum loquendi. Hinc perpetua illa comparatio, inter dictiones et phrases scriptorum sacrorum, auctorumque profanorum ; hinc et perpetua provocatio ad parallelismum ; hinc quoque ortum est *principium Accommodationis.*

121. Principium istud in eo consistit quod dicant, Apostolos et Christum ipsum, ex prudenti œconomia, se populi præjudiciis, ingenio et erroribus accommodasse. Unde concludunt, eos admisisse erroneas prophetiarum interpretationes quæ vigebant in plebe ; eos miracula finxisse, ut ita populum ad bonam frugem adducerent. — Hoc autem systema, quod Simleri præsertim figmentum est, falsum esse ac impium, et omnem revelationem evertere facile patet. -1) Est *falsum :* etenim nec circa legem, nec circa Messiæ regnum temporale, nec circa divinitatem suam, nec ut populi favorem captaret, nec ut alicui Judæorum sectæ blandiretur, Christus unquam populi judaici erroribus sese accommodavit ; imo, ita constanter contradixit, ut propterea fuerit crucifixus. Quodque de Christo dicimus, de Apostolis quoque est dicendum ; utrumque ex historia Novi Testamenti manifestum est. -2) *Impium :* nam systema istud Christum et Apostolos falsitatis reos facit ; quod vel innuere est impiissimum. -3) *Revelationem evertit :* sive quia destruit veracitatem præconum fidei, adeoque revelationis fundamentum ; sive quia nihil in revelatione est, quod ad hujusmodi accommodationem seu fictionem semel admissam, referri non possit [1].

122. Q. 6° *Quid est Hermeneutica, et quæ sunt studii hermeneutici subsidia ? — Hermeneutica,* scilicet *sacra,* est proprie ars interpretandi Scripturam, et regulas tradit quas applicat *exegesis :* quæ exegesis proin interpretatio, explicatio seu enarratio est textus sacri. — Hæc tamen duo vocabula aliquando promiscue usurpantur ; interdum etiam cum hac distinctione, ut hermeneutica ad translationem et sensum vocabulorum referatur, exegesis vero ad expositionem sententiarum.

123. Ad subsidia quod attinet, generatim naturales scientiæ omnes interpreti Scripturæ sacræ adjumentum præstant. Speciatim vero majorem præ cæteris utilitatem habent sequentes : -1) ars critica, -2) grammatica et philologia, -3) poesis et rhetorica, -4) historia, -5) geographia et chronologia, -6) archæologia, -7) stathmica, seu scientia ponderum, mensurarum et monetarum, -8) philosophia, -9) subsidia extrinseca, ut codices manu-

[1] Cf. Daniel et Gagarin, *Études,* etc. tom. 1, art. *De l'exégèse rationaliste.*

scripti, versiones antiquæ, interpretes et commentatores tum veteres tum etiam recentiores [1].

124. Q. 7° *Quænam sunt regulæ in S. Scripturæ interpretatione sequendæ?* — R. Primo loco ponenda est regula dogmatica Concilii Trid. Sess. 4, statuens : *Ut nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum, Scripturam, contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia... aut etiam contra unanimem consensum Patrum... interpretari audeat.*

125. Secundo, dantur regulæ scientificæ, quas *hermeneuticæ regulas* vocant. Hæ omnes ad tria capita, seu ad tres præcipuos canones reducuntur, qui sunt : canon *philologicus*, canon *logicus* et canon *historicus*.

126. 1) Canon philologicus complectitur vim verborum. — grammaticæ et rhetoricæ leges.

127. -2) Canon logicus complectitur contextum orationis, — ejus adjuncta, — parallelismum, — logica præcepta, inter quæ illud notandum : recedere non licere a sensu proprio, nisi aliud adjuncta, usus, vel aliqua repugnantia suadeat.

128. -3) Canon historicus complectitur Patrum traditionem exegeticam, — fidei christianæ et morum analogiam, — historiam sacram V. et N. T., — historica adjuncta sermonis, — chronologiam

129. Practice, non semper ex omnibus his fontibus argumenta desumenda sunt ; sed modo ex uno fonte, modo ex alio, pro subjecta materia ; præcipue vero -1) ex vi verborum, -2) ex contextu orationis, -3) ex orationis adjunctis, -4) ex parallelis locis, -5) ex traditione Patrum et Ecclesiæ sensu [2].

[1] Cfr. Glaire, *Introduct. à l'Écriture Sainte*, tom. 1.—Item Wirceburg. Theol. *De principiis Theol.*, tom. 1, n. 17. — [2] Cfr. Sardagna, *De verbo Dei scripto*, t. 2, n 123. — Item Patrizi, *De interpret. Script.* lib. 1.

CAPUT SECUNDUM

DE SACRA TRADITIONE.

QUESTIONES PRÆVIÆ.

1° *Quid est Traditio seu verbum Dei traditum?* — 2° *Quomodo distinctius Traditio definitur et dividitur?* — 3° *Quid Protestantes, quid Catholici de Traditione sentiunt?* — 4° *Quænam sunt tria capita adversus Protestantes demonstranda?*

130. QUÆR. 1° *Quid est traditio seu verbum traditum?* — R Traditio, prout est *alter thesaurus verbi Dei*, juxta S. Scripturam positus, eique similis, Traditio scilicet divina et dogmatica, definitur : *Complexus veritatum, ad fidem et mores spectantium, quæ primitus a Christo et Apostolis viva voce fuere propositæ, nec in SS. Scripturis saltem clare exaratæ, et deinceps continua successione in Ecclesia Catholica conservatæ* [1].

131. Hæc est traditio proprie dicta, non confundenda cum traditione metaphorice sumpta, pro mediis, quibus divinæ Traditiones omnesque generatim Fidei veritates, conservatæ sunt et ad nos pervenerunt; qualia sunt scripta Patrum aliaque antiqua monumenta.—Ut autem distinguatur una ab altera, illud juvare poterit, si vocem *Traditiones divinas* adhibueris ad designandum alterum verbi Dei thesaurum ; numero vero singulari *traditionem*, ad significanda scripta Patrum et reliqua illius thesauri transmittendi media.

132. Q. 2° *Quomodo distinctius Traditio definitur et dividitur?* — R. [2] Traditionis nomen, prout traditio sumitur objective, i e. pro *doctrina aliqua transmissa*, triplici sensu accipi potest. -1) Latissimo sensu acceptum, est doctrina *qualiscumque, quocumque modo* alteri communicata. — 2) Lato sensu, est doctrina *qualiscumque*, a primævo aliquo fonte profluens ; quæ sive scripto, sive viva voce, sive praxi ad posteritatem pervenerit. Hæc partitio in traditionem *scriptam, oralem*, et *practicam*. — -3) Sensu stricto et theologico, traditio generatim est : Doctrina sacra, quæ oretenus primum ab auctore suo proposita, deinceps, non per sacras Litteras, sed aliis mediis, sive ore sive scripto, quasi per manus tradita, ad posteros successive transmissa est.

133. Hæc *sacra traditio* dividitur -1) *ratione originis*, in divinam et humanam. *Divina* est illa quæ a Christo, atque ab Apostolis qua Evangelii præconibus, originem ducit ; — *humana*, quæ ab Ecclesia, vel ab Apostolis qua Ecclesiæ Pastoribus, repeti debet.

[1] Cfr. Trid. Sess. 4. — Cfr. supra tract. *De princip. theol.* cap. 2, art. 1, n. 78 seqq.

134. -2) *Ratione materiæ*, in dogmaticam et disciplinarem. *Dogmatica* pro objecto habet fidem aut mores ; — *disciplinaris* pro objecto habet disciplinam. Hæc subdivitur ratione auctorum, in *apostolicam*, quæ introducta fuit ab Apostolis ut Ecclesiæ Pastoribus ; et *ecclesiasticam*, quæ introducta fuit ab Apostolorum in Ecclesiæ regimine successoribus.

135. -3) *Ratione durationis*, traditio vel perpetua est vel temporalis.

136. -4) *Ratione obligationis*, est vel præcepti vel consilii.

137. -5) *Ratione extensionis*, est vel localis vel universalis.

138. -6) *Ratione medii transmissionis*, est vel oralis vel scripta. — Porro quod ad nostrum propositum attinet, de *Traditione dogmatica divina*, quæ, ut supra monuimus, proprie dicta Traditio est, solummodo agendum erit.

139. Q. 3° *Quid Protestantes, quid Catholici de Traditione sentiunt ?*— R. Protestantes, cum Scripturam tanquam unicam fidei regulam admittant, Traditionem divinam ac dogmaticam, ut est a verbo Dei scripto distincta et separata, omnino respuunt. — Acceptant tamen aliam traditionis speciem, et quidem duplicem, quam *inhæsivam* et *declarativam* vocant. Inhæsiva ab ipsis dicitur illa, quæ dogmata tradit aliunde in SS. Litteris contenta, quæque propterea in confirmationem Scripturæ adhiberi potest. Declarativa ea est, qua doctrinæ, SS. Litteris brevius aut minus perspicue traditæ, disertius explicantur.

140. Catholici vero, Traditionem sensu stricto ac theologico intellectam suscipiunt : eam nempe, quæ partem revelationis continet, et simul cum Scriptura integrum corpus christianæ doctrinæ constituit. Quare Patres Trid. Sess. 4, aiunt, doctrinam catholicam contineri non solum *in Libris scriptis, sed et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt ;* ac dein anathema dicunt in eum, qui Traditiones prædictas sciens et prudens contempserit.

141. Q. 4° *Quæ sunt tria capita adversus Protestantes demonstranda ?*— R. -1) Scripturam non esse unicum revelationis fontem. -2) Existere veras et proprie dictas Traditiones divinas. -3) *Traditiones* divinas æque certo nobis innotescere per *traditionem*, quam verbum Dei scriptum per SS. Librorum volumina. Unde tres articuli [1].

Articulus I, *de necessitate Traditionis.*
Articulus II, *de existentia Traditionis.*
Articulus III, *de transmissione Traditionis.*

[1] Cf. Milner, *The end of religous Controversy*, epist. 10, seqq.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE TRADITIONIS.

142. Necessitas Traditionis sumi potest vel sensu absoluto vel sensu relativo : *absoluto*, ita ut ex natura rei sit impossibile aliquam Scripturam dari, cujus authenticitas et divinitas per Traditionem constare non debeat; *relativo*, ita ut, spectatis nostræ Scripturæ et christianæ Religionis conditionibus, sola Scriptura insufficiens sit, et Traditionis adminiculum atque complementum requirat. Quo posteriore sensu hic a nobis Traditionis necessitas accipitur ; adeoque demonstrandum est, Scripturam neque adæquatam fidei regulam esse, neque fontem unicum revelationis.

143. Hæc quæstio mere polemica est contra Protestantes ; quare polemice procedendum est, et quæ adversarii supponunt evertenda. Jam vero Protestantes contendunt, Scripturam esse non tantum fontem unicum revelationis, sed unicam fidei regulam adæquatam. Quod assumptum ut probaretur tria forent ostendenda : 1° sola Scriptura Ecclesiam fuisse fundatam, fidemque conservatam ac propagatam ; 2° sola Scriptura totam religionem ac fidem contineri ; 3° eamdem fidem ibi tam perspicue contineri, ut, si qua controversia oriatur, ea ex ipsa Scriptura semper dirimi possit. — Jam vero tria hæc falsa esse probabimus ; et ita omne fundamentum protestanticæ opinioni subtrahemus ; unde sequetur, a regula fidei non modo non posse excludi Traditionem, sed eam potius necessario esse admittendam.

PROPOSITIO I.

Scriptura S. non fuit medium primigenium propagandæ et conservandæ christianæ Religionis.

Propositio I, *de Scripturæ absentia in Ecclesiæ primordiis.*
Propositio II, *de Scripturæ defectu in docendis dogmatibus.*
Propositio III, *de Scripturæ obscuritate in plurimis.*

144. Propositio *certa.*

145. PROB. 1° Si Scriptura aliqua fuisset medium primigenium propagandi christianismi, hæc præsertim fuisset Novum Testamentum, quo fere totus christianismus continetur; atqui Novum Testamentum nequaquam fuit hujusmodi medium ; ergo. — Novum Testamentum non fuit medium hujusmodi, cum sit Ecclesiæ primordiis posterius. Etenim Evangelium S. Matthæi, qui ex N. T. libris primus est, ante annum 8^{um} ab ascensione Domini non fuit exaratum.

146. 2° Christus Apostolos suos, non scriptores vel Scripturarum distributores, sed testes et prædicatores constituit.

147. 3° Scriptura Traditioni tanquam adjumentum accessit,

eamque supponit. I. Thess. II, 13. *Quum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei.*

PROPOSITIO II.

Scriptura S. non est complexus adæquatus totius Religionis christianæ.

148. *De fide*, ex Trid. Sess. 4.

149. PROB. 1° Christus non injunxit completum suæ doctrinæ systema conscribi, neque sacri scriptores hoc scribendum susceperunt. Nullibi enim hanc intentionem manifestant, quin potius contrarium insinuant. II Tim. II, 2 : *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere ;* non dicit *quæ scripta sunt*, sed *quæ audisti*. Cf. Joan. XXI, 25, et II Thes. II, 14.

150. 2° Totam religionem in Scripturis contineri, Protestantes affirmant illogice, id est, contra sua principia ; siquidem Scriptura hoc nequaquam testatur.

151. 3° Si tota religio contineretur in Scriptura, vel in singulis libris, vel in omnibus simul sumptis comprehensa foret ; atqui neutrum dici potest. Non in singulis libris ut patet ; neque in omnibus simul, cum omnes scriptores in illud propositum non conspiraverint, neque ipse Spiritus Sanctus inspirator se illud intendisse revelaverit.

152. 4° *Ex facto.* Quædam sunt credenda, licet in Scriptura non contineantur. Ergo. — *Prob. antec.* Canon Scripturarum credendus est ; atqui tamen in Scriptura non statuitur, sed sola traditione constare potest : ergo quædam sunt credenda, licet in Scriptura non contineantur. — *Minor* patet ; explico *majorem.* Credendus est canon quoniam continet objectum fidei, nimirum *tales determinatos libros esse divinitus inspiratos ;* quod factum supernaturale est, et proin revelatum ac objectum fidei [1].

153. 5° Ex confessione practica Protestantium, qui plura, admittunt quæ in Scriptura non continentur : ut Dominicam esse celebrandam loco Sabbati : parvulos esse baptizandos : quod etiam Scripturæ adversari videtur, cum parvuli sint instructionis et actus credendi incapaces, quæ duo tamen, Matth. et Marc. ult., ante Baptismum requiruntur.

PROPOSITIO III.

Scriptura sacra non est in omnibus clara et perspicua.

154. Propositio *certa.*

155. PROB. 1° *Ex Scriptura* adversus Protestantes. Principium claritatis scripturisticæ, in ipsa Scriptura non reperitur : e contra, S. Petrus II Epit. III, 16, ait : *In quibus* [Pauli Epis-

[1] Cfr. Sardagna, *De regula externa credendorum.* Tom. 2, n. 206.

tolis] *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

156. 2° *Ex consensu* antiquissimorum Ecclesiæ Doctorum, qui cum Ambrosio fatentur, *mare esse Scripturam divinam, habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum.* Epist. 44 ad Constant.

157. 3° *Ex innumeris* quæ exortæ sunt circa Scripturæ sensum *controversiis ;* imo ex ipsis hæresibus, quæ suum semper in Scriptura præsidium quæsierunt. Hæretici namque lupi rapaces cum sint, *sese divinæ legis sententiis, velut quibusdam velleribus obvolvunt.* Lerin. Common. c. 26.

158. 4° *Ex acatholicorum testimoniis.* Ipse Lutherus, Præfat. in Psalm., ait : *Scio esse impudentissimæ temeritatis eum qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum a se esse in omnibus intellectum.*

ARTICULUS II.

DE EXISTENTIA TRADITIONIS.

Propositio I, *de Traditionum divinarum existentia.*
Propositio II, *de earumdem auctoritate.*

PROPOSITIO I.

Dantur Traditiones dogmaticæ divinæ.

159. *De fide*, ex Trid. Sess. 4.

160. PROB. 1° *Ratione theolog.* Scriptura, uti supra probatum est, nequaquam completum fidei systema continet ; ergo dantur præterea Traditiones : nisi dicas, quod nefas est dicere, completum fidei systema Ecclesiæ a Christo non fuisse commissum.

161. 2° *Ex Scriptura.* — II Thess. II, 14 : *Itaque fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram.*

162. 3° *Ex Patribus.*— Chrysostomus, Homil. 4, in II Thess. II. *Hinc patet quod non omnia per epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa etiam sine litteris. Eadem vero fide digna sunt tam illa quam ista.* — Tertullianus, toto libro *De præscriptionibus*, hæreticos provocat ad doctrinam, quæ ante illos in Ecclesia prædicabatur.

163. 4° *Ex consequentia absurda.* Dempta traditione ruit Scripturarum auctoritas ; cum sine illa neque de divinitate Scripturæ, saltem N. T., neque de Scripturæ canone infallibiliter constet [1].

[1] Cf. Illustr. Malou, *La fausseté du Protestantisme démontrée*, cap. 1, art. 1 et 2. Bruxelles, H. Goemaere.— Item Perrone, *Le Protestantisme et la Règle de foi*, tom. 1, 1re partie, sect. 2.

PROPOSITIO II.

Traditiones dogmaticæ ejusdem sunt auctoritatis ac Scriptura.

164. *De fide*, ex Trid. Sess. 4.

165. PROB. 1° Unum æque ac alterum est verbum Dei.

166. 2° Si Traditio minoris esset auctoritatis, primi fideles minus certi quam nos de sua fide fuissent.

167. 3° Ipsa Scriptura summam tribuit verbo tradito auctoritatem. Marc. XVI : *Qui non crediderit condemnabitur.* — II Thess. II, 15 : *Tenete traditiones quam didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.*

168. 4° Patres Concilii Nic. II, an. 787, in definitione aiunt : *Fatemur unanimiter, nos velle traditiones Ecclesiæ omnes, sive scripto sive non scripto nobis divinitus datas,* ἐγγράφως ἢ ἀγράφως τεθεσπισμένας ἡμῖν, *illibate custodire.*

ARTICULUS III.

DE TRANSMISSIONE TRADITIONIS.

169. Præsenti articulo de *traditione metaphorice dicta*, seu de mediis, quibus tuto ad nos transmitti potuit *verbum Dei non scriptum*, disserere aggredimur. In hoc enim adversarii præcipuam vim suam ponunt contra divinas Traditiones, quod eas incorruptas ad nos pervenire potuisse negent. At nisi velimus omnia divinæ, et etiam humanæ auctoritatis fundamenta subvertere, admittere debemus, divinas Traditiones non minus certo quam ipsas Scripturas, conservari et ad nos transmitti potuisse.

Quæstio prævia, *de mediis conservandæ Traditionis.*
Propositio I, *de Traditionum integritate.*
Propositio II, *de Traditionum testibus.*

170. *Quibus mediis Traditiones divinæ ad nos transmissæ sunt, et a nobis investigari possunt ?* — R. Dantur media plura, quæ sequenti ordine enumerari possunt : 1° Publica et universalis, ex *Conciliis* præsertim patens, doctrina Ecclesiæ : quæ non tantum auctoritatem humanam irrefragabilem habet, sed etiam in fidei doctrina infallibilitate donata est. — 2° Antiqua *fidei symbola.* — 3° Sacra *liturgia* et Ecclesiæ praxis. — 4° Acta *Martyrum.* — 5° Scripta *Patrum.* — 6° Historia *hæresum.* 7° *Historia Ecclesiastica* universim. — 8° *Monumenta reliqua*, ut picturæ, sculpturæ, numismata, lapidariæ inscriptiones, sepulcreta catacumbarum, et sacræ ædes.

PROPOSITIO I.

Æque certa est divinarum Traditionum ac Scripturarum integritas.

171. Propositio *certa et fidei proxima*, utpote connexa cum dogmate de Traditionum existentia, Trid. Sess. 4.

172. PROB. 1° Scripturæ authenticitas et integritas, iisdem fundatur auctoritatis argumentis ac Traditionum divinarum integritas ; ergo utraque æque certa est.

173. 2° Sicut Ecclesia Scripturam sibi commissam servare intactam potuit, ita et Traditionum divinarum depositum.

174. 3° Non minus divina Providentia pro Traditione potuit efficere quam pro Scriptura, ut utraque intemerata custodiretur.

PROPOSITIO II.

Testimonium Patrum unanime est certum et infallibile divinarum Traditionum argumentum [1].

175. Propositio item *certa ac fidei proxima.*

176. Agitur de testimonio claro in materia fidei divinæ.

177. PROB. 1° *Ex notione auctoritatis humanæ.* Auctoritas humana debitis conditionibus munita, est certa et infallibilis ; atqui testimonium unanime Patrum est auctoritas humana debitis conditionibus copiosissime munita, tum ex parte objecti tum ex parte testium. — Objectum enim, veritas scilicet a Christo et Apostolis tradita, est in se *factum* possibile, sensibile, attentione dignissimum. — Testes sunt plurimi, probi et integerrimi, imo qui fallere nullo pacto possunt. Ergo.

178. 2° *Ex notione auctoritatis Ecclesiæ.* Etenim SS. Patrum consensus repræsentat doctrinam et fidem Ecclesiæ ; atqui hæc est infallibilis [2] : ergo et Patrum consensus.

179. 3° *Ex antiquitatis testimoniis.* Tertullianus ait : *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum.* De præscr. c. 28. — Augustinus : *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, ab ipsa apostolica traditione manare, rectissime creditur.* De Bapt. cont. Donat. l. 4, c. 24. — Vincentius Lerinensis : Illud est verum et catholicum *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est.*

[1] Cf. Tract. *De princip. Theol.* cap. 2, art. 2, n. 100. — [2] Cf. supra *De Eccl.* cap. 1, art. 3, prop. 3, n. 210 ; — et infra, cap. 3, art. 2, n. 204.

CAPUT TERTIUM.

DE ECCLESIÆ MAGISTERIO.

180. Regulam fidei diximus duplici constare elemento : verbo Dei et Ecclesiæ propositione. De verbo Dei sive scripto sive tradito hactenus egimus ; remanet ut de altero elemento, quod Ecclesiæ propositionem vocavimus, agamus. Hæc autem Ecclesiæ propositio, prout hic sumitur, nihil aliud est nisi Ecclesiæ auctoritas doctrinalis [1], quam hic nomine *magisterii* intelligimus. Porro magisterium suum exercet Ecclesia triplici modo [3] : testificando, prædicando, judicando ; unde vocatur *testis*, *prædicatrix* seu *magistra* strictiore sensu, et *judex* controversiarum. Sub hoc ultimo respectu, quatenus nempe fidei controversias suprema auctoritate dijudicat, Ecclesiæ magisterium præcipue considerabimus.

Articulus I, *de necessitate magisterii infallibilis.*
Articulus II, *de infallibili magisterio Ecclesiæ.*
Articulus III, *de hujus infallibilitatis objecto.*
Articulus IV, *de ejusdem infallibilitatis subjecto.*

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE MAGISTERII INFALLIBILIS.

181. Ut Doctrinæ Christi scientiam acquiramus, Scripturæ et Traditiones quibus integra illa doctrina continetur, speculative loquendo, videntur posse sufficere. Practice vero nequaquam sufficiunt. Ratio est, quod non possimus certo et infallibiliter Scripturas et Traditiones intelligere, nisi auctoritas infallibilis eas interpretetur, explicet, et intellectui nostro immediate proponat. Hæc est Ecclesiæ auctoritas, quæ regula immediata fidei est, et Christi loco ac nomine veram doctrinam omnibus proponit; de qua Augustinus dicebat : *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moveret auctoritas* [2]. Hæc autem auctoritas in tractatu *De ecclesia* generaliter probata, hoc loco distinctis propositionibus declaranda est.

Propositio I, *de necessitate judicis controversiarum.*
Propositio II, *de inanitate systematum Protestantium.*

[1] De qua in Tract. *De Eccl.* cap. 1, art. 2 et 3. — [2] Ibid. art. 3. prop. 3. n. 210. — [3] *Contra Epist. fundam.* c. 5.

PROPOSITIO I.

Ut completa sit fidei regula, requiritur aliquis controversiarum judex a Christo institutus; isque infallibilis sit necesse est.

182. Propositio *certa.*

183. PROB. I PARS. 1° Requiritur *controversarium judex* a Christo institutus, si controversiæ circa fidem existunt quæ aliter tolli nequeunt: atqui hujusmodi controversiæ existunt, ut ex hæresum historia patet; ergo.

184. 2° Christiana Religio sine controversiarum judice, neque una, neque proin universalis aut perpetua esse potest; atqui talis tamen ex voluntate Fundatoris sui esse debet; ergo ab eodem Fundatore controversiarum judex constitui debuit.

185. 3° Ecclesia est societas bene, imo sapientissime ordinata; atqui talis sine controversiarum judice esse non potest; nisi supponas nullas controversias oboriri posse. Hoc autem in humana societate supponi non potest, et contradicit Paulo testanti: *Oportet hæreses esse.* I Cor. XI. 19.

186. II PARS. *Judex infallibilis.* 1° Nisi judicis auctoritas infallibilis sit, certitudinem omnimodam de dogmate quod dijudicaverit, habere non possumus; atqui certitudo tamen omnimoda requiritur; ergo judex debet esse infallibilis. — *Prob. min.* Dogma dijudicatum credi debet fide divina; atqui ad hanc fidem requiritur certitudo omnimoda, qualis, si judex falli possit, nunquam obtineret.

187. 2° Nisi judex esset infallibilis, controversia dirimi non posset; cum sententia ipsa posset in controversiam vocari.

188. 3° Nisi judex esset infallibilis, error loco veritatis in Ecclesiam introduci posset: ergo infallibilis sit necesse est [1].

PROPOSITIO II.

Judex controversiarum non potest esse spiritus privatus Protestantium, nec ipsa Scriptura, nec ratio humana.

189. Propositio *certa.*

190. Heterodoxi Ecclesiæ auctoritatem cum respuerent, ejus loco ad decidendas controversias, alii alias fingere hypotheses coacti fuerunt. Lutherus et veteres Protestantes *spiritum privatum,* seu inspirationem uniuscujusque fidelium, quotics donum interpretationis se habere senserit, controversiarum judicem statuerunt [2]. — Sociniani *rationem individualem;* — alii solam Scripturam semetipsam explicantem, ad tollenda omnia

[1] Cfr. infra art. 2, prop. unica, n. 204. — Item, Perrone, *Le Protestantisme et la Règle de foi,* tom. 2, chap. 3 et seqq. — Item, Ill. Malou, *Fausseté du Protestantisme,* chap. 1, art. 4. — [2] Cf. Bellarm. *De verbo Dei,* l. 3, c. 3.

dubia sufficere dixerunt. — At hæc systemata quam inania sint facile ostenditur.

191. PROB. I PARS. *Non spiritus privatus.* 1° Spiritus ille privatus, qui a Spiritu Sancto, privatum quemque illuminante, immitti supponitur, vel diversis fidelibus contradictoria, vel omnibus et singulis consonantia inspiraret; atqui neutrum dici potest: non primum, cum Spiritus S. sit unus, unica lux, unica veritas; non alterum, cum in tot contradictorias sententias abeant Protestantes. Ergo spiritus privatus admitti non potest.

192. 2° Illud nequit admitti ut judex controversiarum, quod non tantum controversias non potest tollere, sed e contra portam omnibus erroribus aperit: atqui talis est spiritus privatus, qui uniuscujusque adinventiones et figmenta consecrat: ergo.

193. 3° Illud nequit, præsertim a protestantibus, admitti ut controversiarum judex, quod a Scriptura non modo non proponitur, sed diserte condemnatur; atqui tale est principium spiritus privati, teste S. Joanne, I Epist. IV, 1: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.*

194. II PARS. *Non ipsa Scriptura.* 1° Scriptura neque omnia credenda continet, neque in omnibus clara est: ergo non potest esse judex controversiarum.

195. 2° Adsunt controversiæ circa ipsam Scripturam: nimirum circa canonem, circa litteram, circa sensum: atqui sive propter obscuritatem Scripturæ, sive propter ejus silentium, hæ controversiæ dirimi vel omnino non possunt, vel saltem non infallibiliter: ergo Scriptura non potest esse controversiarum judex.

196. 3° Illa dijudicandi regula admitti non potest, qua docti nequeunt ad veritatem pervenire, indocti misere dicipiuntur: atqui talis foret Scriptura: ergo.

197. Absurdum foret in societate civili, ut lex per semetipsam sine alio judice explicari deberet: ergo, a fortiori, id ineptum foret in societate fidei, ubi defectus omnimodæ certitudinis nullo pacto compensari potest.

198. 5° Illa regula repugnat quæ supponit quod in quæstione versatur; atqui talis est regula *Scripturæ judicis*, quæ Scripturæ intelligentiam certam iis esse supponit qui eam consulunt; ergo.

199. III PARS. *Non ratio individua.* 1° Judex controversiarum debet esse a Christo institutus et infallibilis: atqui neutrum individuæ rationi competit: ergo hæc controversiarum judex esse non potest.

200. 2° Idem Spiritus S. qui dictavit verbum, illud dubitantibus explicare solus potest: scilicet per infallibilem assisten-

tiam præstitam explicanti ; atqui actus rationis individuæ hujusmodi assistentia non gaudet ; ergo rationi illa explicatio non competit. II Pet. I, 20 et 21 : *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

201. 3° Ista regula statuit humanam rationem judicem de rebus revelatis, quas tamen ad suum tribunal non pertinere ipsa ratio fatetur ; ergo rejicienda est.

202. 4° Ista regula statuit methodum fallacem in religione indaganda [1] ; ergo rejicienda est.

203. 5° Ista regula experientia condemnatur, cum controversias in infinitum multiplicaverit, nedum sustulerit.

ARTICULUS II.

DE INFALLIBILI MAGISTERIO ECCLESIÆ.

PROPOSITIO UNICA.

Ecclesia catholica docens est judex controversiarum infallibilis [2] a Christo institutus.

204. Propositio *de fide* est, utpote quam tota Ecclesiæ doctrina supponit. Aliunde patet ex fidei Professione Pii IV : *Sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco... atque hæreses quascumque, ab Ecclesia damnatas, rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo.*

205. Dicitur in propositione *Ecclesia docens*, ut intelligatur non agi de laicis, sed de clericali ordine ; et speciatim de Episcopis, quibus a Domino divinum munus docendi commissum est.

206. PROB. 1° Ecclesia a Christo est instituta tanquam doctrinæ suæ magistra infallibilis [3] ; atqui tale magisterium includit controversiarum judicium infallibile ; ergo Ecclesia controversiarum judex infallibilis a Christo est instituta.

207. 2° Necessarius est in christianismo controversiarum judex infallibilis ; atqui præter Ecclesiam nullus potest aliquo probabili argumento assignari ; ergo Ecclesia est ille judex.

208. 3° Ecclesia sola omnibus requisitis conditionibus, ut sit

[1] Cf. Tract. *De relig. Christ.* cap. 1, art. 3, prop. 4, n. 68. — [2] Ne confundatur *infallibilitas* Ecclesiæ cum hujusce *infallibilitatis subjecto*, de quo infra, art. 4, n. 228 seqq. — [3] Cf. *De Eccl.* cap. 1, art. 3, n. 110.

controversiarum judex, ornata est: etenim præter auctoritatem infallibilem, ipsa sola viam facilem et tutam præbet ad quæstiones dirimendas ; ergo reipsa Ecclesia ille judex est.

209. 4° Ecclesia ut controversiarum judex agnita fuit ab omni antiquitate, cujus sensum ita exprimit Augustinus : *Quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Contra Crescon. l. I, cap. 35 al. 33.

ARTICULUS III.

DE ECCLESIÆ INFALLIBILITATIS OBJECTO..

Propositio I, *de infallibilitate Ecclesiæ in materia fidei et morum.*
Propositio II, *de infallibilitate ejus in factis dogmaticis.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Ecclesia Christi infallibilis est in materia fidei et morum.

210. *De fide*, easdem ob rationes ac propositio præcedens.

211. Dicitur : *infallibilis est Ecclesia*, quotiescumque scilicet ipsa Ecclesia docens, per repræsentantes suos loquitur : quod præcipue fit cum publica decreta et definitiones eduntur, quibus totum Ecclesiæ corpus adhærere debet. — In materia *fidei*, nempe in iis omnibus rebus quæ revelatæ sunt, et a Christo suis fidelibus ut credantur relictæ. Et *morum :* multa quidem quæ ad mores pertinent, fuere explicite revelata, et sic etiam sunt materia *fidei ;* alia tamen sunt, quæ non explicite in Fidei deposito continentur : de his postremis proprie altera propositionis pars statuitur, qua sub infallibilitate Ecclesia cadere asseruntur.

212. PROB. I PARS. *In materia fidei.* Ecclesiæ data est infallibilitas ad conservandum Fidei depositum [1] ; ergo infallibilis est in iis omnibus quæ ad Fidei depositum pertinent.

213. II PARS. *In materia morum.* 1° Ecclesia Christi debet esse sancta ; ergo et infallibilis esse debet non solum in materia fidei sed etiam morum. Etenim si Ecclesia in materia morum falleretur, desineret esse sancta secundum voluntatem Dei et Christi, qui fideles suos elegit, *ut essent sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate* [2]; qui *pro eis sanctificavit semetipsum, ut essent et ipsi sanctificati in veritate* [3].

214. 2° Christus Ecclesiam sibimetipsi, seu in sui locum suffecit, ad docendos omnes homines, eosque non tantum in fide, sed etiam in moribus erudiendos : *Docete... eos servare omnia quæcumque mandavi vobis :* ut nimirum *sint perfecti, sicut*

[1] Cf. Tract. *De Eccl.* c. 1, art. 3, prop. 3, n. 210.
[2] Ephes. I, 4. — [3] Joan. XVII, 19.

Pater cœlestis perfectus est[1]; et cum ipsis hæc docentibus promittit se futurum, per Spiritum Sanctum suum, *quem missurus est, ut maneat cum discipulis in æternum, docens ipsos omnem veritatem*[2]. Ergo Ecclesia in morum doctrina infallibilis est.

215. 3° Christus Ecclesiæ suæ dedit jus et officium pascendi oves suas ; ergo et donum largitus est discernendi bona pascua a malis et venenatis. Secus enim error Pastorum error evaderet fidelium omnium, cum ex præcepto Christi teneantur suis Pastoribus obedire ; et in Christum ipsum ultimato error ille recideret, qui Pastores tam noxios dedisset, et simul ipsis obsequendi legem fidelibus imposuisset. Ergo Ecclesia in materia morum infallibilis est.

216. COROLL. Ergo impossibile est ut Ecclesia in damnandis propositionibus moralibus fallatur : aut edita lege quidquam approbet quod Evangelio vel rectæ rationi adversetur. Quod semper ut fundamentale principium a Patribus fuit habitum, et ita a S. Augustino enuntiatum : *Quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, Ecclesia nec facit, nec approbat, nec tacet.* Epist. 55. Cfr. Epist. 34 ad Januar.

PROPOSITIO. II.

Ecclesia etiam in factis dogmaticis dijudicandis infallibilis est.

217. Propositio *fide certa*, ut patet ex Ecclesiæ praxi, ex Constitut. Clem. XI *Vineam Domini*, 1703, qua Jansenianorum silentium obsequiosum damnat, et factum dogmaticum definitum jubet ex animo credi ; item ex Pistor. prop. 13 et 14, damn. a Pio VI.

218. Quæstio de factis dogmaticis originem ducit ex Jansenianismo. Etenim cum quinque propositiones, ex Jansenii *Augustino* decerptas, damnasset Innoc. X an. 1653 ; Janseniani primum contenderunt, has propositiones damnabiles quidem esse eo sensu quo damnatæ fuerunt, sed eum non fuisse sensum Jansenii. Hinc Alex. VII per novam Constitut. an. 1665, hæc declaravit : *Quinque illas propositiones, ex libro præmemorato Cornelii Jansenii, Episcopi Yprensis, cui titulus est* Augustinus, *excerptas, ac in sensu ab eodem Corn. Jansenio intento damnatas fuisse, definimus et declaramus.*— Ad hanc declarationem responderunt Janseniani, errare Ecclesiam posse in definitione hujusmodi ; cum non de dogmate aut *jure*, sed *de facto* agatur ; factum autem sub infallibilitate Ecclesiæ non cadat, quippe quod revelatum non sit. Quare cum juberentur subscribere formulæ Alexandri VII : subscribi posse dixerunt, quatenus contineret *jus ;* quoad *factum* vero in eadem formula contentum, sufficere *obsequiosum silentium.*

[1] Matth. V. 48. — [2] Joan. XIV, 16 : et XVI, 13.

219. *Factum* porro hoc, quod Janseniani distinguunt a *jure*, est *factum dogmaticum*, quod definiri potest : *Factum cum dogmate connexum;* seu,ut dici solet, *factum connexum cum jure.* Ex. gr. *An quinque propositiones, Jansenio attributæ,sunt hæreticæ?* En quæstio juris.— *An quinque illæ propositiones sunt in Jansenii Augustino ?* En quæstio facti. — *An quinque propositiones,proul sunt in Jansenii Augustino, seu in sensu auctoris,in sensu ab auctore intento, sunt hæreticæ ?* En quæstio facti dogmatici : quæ proin locum habet, quando Ecclesia in concreto quærit, an talis doctor, vel talis liber, erronee loquatur. — Hic notare juvat, sensum auctoris non intelligi illum, quem auctor dum scriberet habuit in mente; sed illum, qui lectoris menti naturaliter occurrit, quique ex nativa significatione verborum, tum secundum se tum secundum texturam inspectorum, exoritur.

220. His præmissis, propositio PROBATUR. 1° *Ex munere Ecclesiæ imposito* pascendi gregem Domini. Quomodo enim fideles ad pascua bona ducet, a venenosis avertet, si distinguere certo et infallibiliter nescit inter bonum cibum et venenum, inter bona scripta et hæretica ?

221.2° *Argumento ad hominem*, adversus Jansenianos. Contendunt ipsi Ecclesiam olim, per os Cœlestini Pontificis, declarasse, suam de Gratia doctrinam eamdem esse ac illam, quam S. Augustinus scriptis adversus Pelagianos propugnavit [1], et Ecclesiam in hac declaratione fuisse infallibilem ; ergo non minus hodie infallibilis est, dum doctrinam Jansenii esse hæreticam declarat.

222. 3° *Ex praxi perpetua.* Eccclesia omni tempore, non tantum hæreticorum dogmata proscripsit, sed eorum libros damnavit ; et nulla facta distinctione inter damnatos errores et sensum librorum damnatorum, omnimodam mentis subjectionem censuris suis præstandam voluit. Sic Eusebius Nicomediensis et Theognis Nicænus, in Concilio Nicæno subscribere coacti fuerunt damnationi Arii, in sensu hujus hæresiarchæ, quem ab Episcopis catholicis perperam intelligi contendebant. Sic concilium Ephes. scripta Nestorii damnavit tanquam fidei contraria : et Joannes Antiochenus, qui sensum auctoris orthodoxum judicabat, non nisi hac condemnatione subscripta,ad Ecclesiæ communionem admissus [2].

223. Ergo Ecclesiæ decisiones in factis dogmaticis infallibiles sunt : et quidem ita, ut credi possint actu fidei quæ omnino certa, imo juxta plures, divina sit [3].

[1] Concil. Araus. 2. Capitul. Cœlest. — [2] Cf. Bercastel. *Hist. Eccl.* lib. 78 ab initio.— [3] Cf. tom. 2,tract. *De Virtutib.* cap. 2, art. 2, sect. 2, *de objecto materiali fidei*, n. 130.

QUÆSTIONES.

1o An Ecclesia infallibilis est in generali disciplina ?—2o An in canonizatione Sanctorum ? — 3o An in approbatione Ordinum religiosorum ? — 4o An in Breviarii lectionibus.

224. QUÆR. 1° *An Ecclesia infallibilis est in generali disciplina ?* — Resp. affirmative : nam disciplina generalis vel ad fidem vel ad mores pertinet ; atqui in tali materia nihil potest Ecclesia statuere perperam, secus auctor omnis veritatis et sanctitatis, Christus, non jam cum ipsa foret. Hinc. Conc. Constant. Sess. 13, decernit eos pro hæreticis habendos, qui dicerent, Ecclesiam errare in more communicandi plebem sub una tantum specie. Et Conc. Trid. Sess. 7, can. 13, anathemate ferit eum qui dixerit, *receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiæ Pastorem mutari posse.*

225. Q. 2° *An Ecclesia infallibilis est in canonizatione Sanctorum ?* — R. In ea *per se* infallibilis non est, cum sit quæstio facti in revelatione non comprehensi ; attamen *per accidens*, quoniam factum illud tam intime cum moribus et cultu connexum est, dicendum, reipsa Ecclesiam in eo non errare ; ita ut contrarium asserere summe temerarium foret.

226. Q. 3o *An Ecclesia infallibilis est in approbatione Ordinum religiosorum ?* — Resp. affirmative : hoc enim objectum ad mores Ecclesiæ publicos pertinet, in quo ipsa errare non potest.

227. Q. 4° *An infallibilis est in Breviario ?* — Resp. negative, si sermo sit de omnibus et singulis quæ lectiones de vita Sanctorum complectuntur. Inveniri scilicet in iis possent facta quædam, aut adjuncta, non historice vera. Ecclesia Breviarium eo tantum sensu approbat, ut eidem nihil contra fidem, aut mores, aut pietatem christianam inesse declaret.

ARTICULUS IV.

DE ECCLESIÆ INFALLIBILITATIS SUBJECTO.

228. *Subjectum infallibilitatis* est persona, vel singularis vel collectiva, in qua residet jus infallibiliter docendi, aut controversias dijudicandi in Ecclesia. Notandum est, hoc loco non agi de *inerrantia* sed de *infallibilitate:* inerrantia residet in Ecclesia tota credente ; infallibilitas vero, tantum in Ecclesia docente [1].

229. Porro, circa infallibilitatis subjectum, examinanda venit quæstio triplex : 1° utrum Episcopi sint veri ac soli in rebus

[1] Supra tract. *De Eccles.* cap. 1, art. 3, prop. 3, n. 210.

fidei judices? — 2° Utrum hoc jus Episcopis competat, sive per orbem dispersis, sive in Concilio congregatis? — 3° Quænam sit in hac parte præstantior Romani Pontificis auctoritas seu prærogativa? — His respondemus sequentibus propositionibus.

Propositio I, *de jure doctrinali Episcoporum.*
Propositio II, *de infallibilitate*[1] *Episcopatus per orbem dispersi.*
Propositio III, *de infallibilitate Episcopatus in Concilio congregati.*
Propositio IV, *de legitimitate Concilii Tridentini.*
Propositio V, *de infallibilitate propria R. Pontificis.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Soli Episcopi jure divino causas fidei judicant.

230. Propositio *certa*, ut patet ex damn. prop. 9 et 10 Pistor., quibus etiam sacerdotes secundi ordinis fidei judices statuebantur.

231. PROB. 1° *Ex Scriptura*, quæ indicat Episcopos esse solos fidei judices. Nam jus illud tribuitur Apostolis et successoribus eorum, Matth. ult.: *Docete... usque ad consummationem sæculi.* Quibus verbis continetur prolatio judicii doctrinalis, quæ Apostolis conceditur quatenus sunt futuri Ecclesiæ rectores et *principes:* judicium enim per se solis competit principibus. Atqui successores Apostolorum, qua sunt Ecclesiarum principes, non existunt nisi soli *Episcopi quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Act. XX, 28. SS. Patres namque solos Episcopos tanquam Apostolorum successores in Ecclesiarum regimine enumerant, ut S. Irenæus, ut et Tertull. Præscript. 32: *Evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita ut primus Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt.* Ergo soli Episcopi, Apostolici principatus hæredes, causas fidei judicant jure divino. Quare Paulus ad Timotheum

[1] Cum ponimus primo infallibilitatem Episcopatus catholici, et deinde infallibilitatem Episcopi supremi, seu Romani Pontificis, non duplicem statuimus in Ecclesia infallibilitatem, aut duplex tribunal infallibile; sed duplicem infallibiliter docendi modum, duplex seu unum ab altero distinctum infallibilitatis subjectum et organum. Primum est Episcoporum ordo, sive per orbem sparsus, sive in Concilio congregatus, cum Capite tamen conjunctus; alterum est Romanus Pontifex, seu Caput *solum* loquens, præcisione facta ab Episcoporum corpore. — Quod si a nobis priore loco ponitur Concilium, hoc non ideo fit quod infallibilitatis charisma primario collatum fuerit Concilio, et secundario tantum Romano Pontifici; cum potius contrarium dicendum sit: primario nempe R. Pontifici ut Ecclesiæ Capiti, et secundario, i. e. per unionem cum eo, Episcoporum corpori infallibilitatem esse datam. — Ponimus autem priore loco infallibilitatem Episcopatus totius, quia hoc infallibilitatis organum, seu hic docendi modus, quo Ecclesia communi voce pronuntiat, solemnior est, et a principio (Act. XV, 28,) frequentius usurpari solitus ad hæresum lites dissensionesque dirimendas.

et Titum Episcopos scribit : *Depositum custodi... prædica verbum, insta opportune, importune... Episcopus potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* II Tim. IV, 1 ; Tit. I.

232. 2° *Ex perpetua Ecclesiæ praxi.* Semper controversiæ fidei ad Episcopos, tanquam ad legitimos judices, fuere delatæ : ipsique soli in Conciliis, saltem jure ordinario sive ex officio proprio, judicium tulerunt [1].

233. 3° *Accedunt expressa Patrum testimonia.* Concilia a Patribus non aliter solent vocari quam *conventus Episcoporum*. — S. Cyprianus ait : *Ecclesia in Episcopo est.* Epist ad Pupian. — S. Prosper *Episcopos* appellat *Ecclesiæ principes et legitimos judiciorum Domini ministros.* Lib. 1 Cont. Collat. n. 61.

PROPOSITIO II.

Episcopi per orbem dispersi, cum Romano Pontifice tamen ut Capite conjuncti, si collective sumantur, sunt infallibiles.

234. Propositio *de fide* est, ut patet ex dictis supra in propositione de infallibili Ecclesiæ magisterio [2].

235. Episcopi jus suum in causis fidei dijudicandis exercent, sive dispersi, sive in Concilio congregati. Jus enim eorum non pendet a circumstantia loci, sed characteri episcopali inhæret. Et quidem in utroque casu sunt infallibiles *collective :* hoc est, quatenus cum Capite conjuncti constituunt meliorem partem Ecclesiæ docentis, quæ moraliter pro ipsa Ecclesia haberi possit.

236. PROB. 1° Ecclesia docens est infallibilis ; atqui Episcopi etiam dispersi, cum Romano Pontifice tamen ut Capite conjuncti, sunt Ecclesia docens ; ergo sunt infallibiles. — Si Ecclesia docens est infallibilis, talis debet profecto esse in statu suo ordinario ; atqui status ejus ordinarius est ut sit dispersa in Pastoribus suis, cum Pastore supremo R. Pontifice communicantibus ; ergo Ecclesia docens etiam dispersa, seu Episcopi dispersi sunt infallibiles.

237. 2° *Ex praxi constanti Ecclesiæ.* Semper Patres veritatem fidei ex consensione Ecclesiarum collegerunt ; ergo Ecclesiam per orbem dispersam habuerunt pro infallibili.

238. 3° *Ex necessitate.* Si Ecclesia dispersa non esset infallibilis, in multis casibus adversus irruentes errores efficax remedium non suppeteret.

[1] Cf. Wirceb. Theol. *De principiis theol.*, nn. 145, 146. — [2] N. 204.

PROPOSITIO III.

Ecclesia docens in Concilio œcumenico congregata, est judex fidei infallibilis.

239. Propositio est *de fide* ut præcedens.

240. Concilium definiri potest: *Legitimus Pastorum Ecclesiæ conventus, ad ordinandas rationes Ecclesiæ publicas, præcipue ad fidem, mores, aut disciplinam spectantes, institutus.* — Distinguitur Concilium *universale seu œcumenicum*, *generale* et *particulare* [1].

241. Concilium *œcumenicum* illud est, quod Ecclesiam Christi docentem universam repræsentat, et constituitur Episcoporum multitudine, sub auctoritate Rom. Pontificis congregata [2]. — Hujusmodi Concilium dicimus esse judicem fidei infallibilem: hoc est, infallibilia esse omnia sed sola decreta ejus dogmatica. Ergo eamdem infallibilitatis auctoritatem non habent 1° præviæ discussiones, 2° neque explicationes vel motiva allata, 3° neque rationes et argumenta, quibus decisiones fidei fulciuntur, 4° neque ea quæ ipsius decreti dogmatici terminis, sensu proprio et obvio non continentur.

242. Notæ ad dignoscenda decreta *dogmatica* sunt: 1° si contraria asserentes pro hæreticis a Concilio habeantur, vel anathemati aut excommunicationi subjiciantur; 2° si dogma quodpiam a fidelibus credendum esse expresse affirmetur.

243. Decreta et statuta mere disciplinaria, a dogmaticis in hoc differunt, quod quamdiu permanent, infallibiliter quidem bona sint in se, non vero *immutabilia* sicut fidei decreta.

244. PROB. 1° *Ex ratione theologica.* Ecclesia docens est infallibilis: atqui Concilium œcumenicum est Ecclesia docens, seu eam repræsentat; ergo est infallibile.

245. 2° *Ex perpetua praxi et consensione.* Jam tempore Apostolorum, Concilium Hierosolymitanum, an. 48, infallibile se testabatur scribens: *Visum est Spiritui sancto et nobis.* Act. XV, 28. — S. Athanasius, Epist. ad Africanos: *Verbum Dei*, inquit, *per œcumenicam Synodum Nicœnam manet in æternum.* — S. Gregorius: *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor.* Lib. 1, Epist. 25.

PROPOSITIO IV.

Sacrosancta Synodus Tridentina vere œcumenica fuit et legitima.

246. Propositio est *fide certa*, utpote continens factum dogmaticum, universæ Ecclesiæ consensu et acceptatione confirmatum.

[1] Cf. Tract. *De princip. theol.* cap. 2, art. 2, § 4 *Concilia*, n. 86.
[2] Cf. Muzzarelli, *De auctoritate summi Pontif.* tom. 1, cap. 4.

247. Tridentinum Concilium adversus errores sæculi XVI, et ad instaurandam disciplinam, a Paulo III indictum est. Initium sumpsit an. 1545, Tridenti in oppido Tyrolensis comitatus, quo 250, aut amplius, Episcopi vel Prælati doctissimi ex universo orbe catholico convenerunt. Perduravit autem 18 annos, usque ad an. scilicet 1563, quum a Pio IV conclusum est.

248. Protestantes, qui primum ad Œcumenicum Concilium appellaverant, illud, postquam coactum viderunt, non tantum adire noluerunt, sed omni calumniarum genere impugnare aggressi sunt. Hinc ex eorum mente, falsa Tridentini historia scripta est a Paulo Sarpio, vulgo *Fra Paulo*, quæ tum a Marco Antonio De Dominis, tum a Corrayerio fuit edita. — Huic pestifero libro Card. Pallavicinus S. J. veram, summique meriti opposuit Tridentini historiam, 24 libris contentam ; quam ex actis authenticis congestam an. 1655 Romæ evulgavit.—Ex hac historia, nec non ex ipsa decretorum Concilii collectione, et ex mirabili in Ecclesia fructu patet, Synodum Trid. maxime illustribus esse Conciliis accensendam, inde ab exordio Ecclesiæ celebratis ; eamque ex insigni Dei gratia, Ecclesiæ fuisse recentiori tempore concessam.

249. Porro Tridentinum Concilium fuisse vere œcumenicum, adversus Protestantes asserimus.

250. PROB. Concilium Tridentinum fuit vere œcumenicum, si conditiones omnes ad œcumenicum Concilium requisitas habuit ; atqui habuit. Etenim conditiones sunt sequentes : 1° *Legitima convocatio*, ut scilicet convocatio sit facta a summo Pontifice, vel saltem ejusdem auctoritate, aut consensu, aut ratihabitione, et directa sit ad omnes totius orbis Episcopos. — 2° *Numerosa conventio*, ut Episcopi, vel per se vel per procuratores, convenerint multitudine notabili, nationum tamen et provinciarum numero potius quam personarum æstimanda. — 3° *Canonica celebratio*, ut congregatio non sit acephala, sed unita Capiti suo, summo Pontifici, saltem per legatos præsidenti ; ut deliberatio sit libera ac sine vi metuve ; prudens item ac sine levitate aut tumultu ; ut decisio sit conciliaris, atque ex communi eorum qui jus definiendi habent suffragio ; ut subscribant congregati, Episcopi quidem definientes ; theologi autem, jurisconsulti ac Principes, si et ipsi subscribant, consentientes tantum. — 4° *Romani Pontificis confirmatio et promulgatio*, ut summus Pontifex acta Concilii rata habeat, vel iis accedendo, vel sententiam ferendo ; utque idem Concilii constitutiones tenendas observandasque promulget. — Præter has quatuor conditiones, Janseniani quidem requirunt Ecclesiæ consensum et acceptationem [1], distinctam ab acceptatione et consensu Ecclesiæ prout in Concilio repræsentatæ ; sed immerito prorsus, ut

[1] Cf. Perrone, *Rom. Pontif.*, tom. 8, n. 680.

ex sensu totius antiquitatis et perpetua Ecclesiæ praxi manifestum est ; ita ut, omnibus Catholicis consentientibus, Concilii œcumenici conditiones ad quatuor enumeratas omnino reducantur. Atqui omnes has conditiones Concilium Trid. implevisse historia demonstrat ; ergo Concilium illud vere œcumenicum et legitimum fuit, ejusque decreta sunt Spiritus S. Oracula.

PROPOSITIO V.

Romanus Pontifex[1] *est præcipuus controversiarum judex in Ecclesia : ejusque, dum ex Cathedra definit, dogmatica decreta sunt prorsus infallibilia et irreformabilia, etiam antequam iis accedat Ecclesiæ consensus.*

251. Prima pars propositionis est *fidei proxima*, utpote connexa cum dogmate de R. Pontificis primatu. — Altera pars *de infallibilitate*, ipsi, independenter ab Ecclesiæ consensu, propria, *de fide* est, a Vaticanis Patribus definita his verbis : *Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus, Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse. — Si quis autem huic nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit : anathema sit.* Constit. *Pastor æternus.*

Infallibilitas illa in Declaratione Cleri Gallicani an. 1682, art. IV, negata fuit ; sed hujus Declarationis articuli, tanquam irriti, mox ab Innoc. XI et Alex. VIII fuerunt rejecti. Cumque eosdem iterum assumpsisset et adoptasset synodus Pistoriensis, hanc adoptionem Pius IV gravioribus verbis reprobavit ac damnavit. Præterea inter propos. 31 ad Alex. VIII delatas, cum etiam hæc. n. 29 inveniretur : *Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis R. supra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate :* et hæc assertio cum reliquis, 7 decemb. 1690, damnata est. — Demum Concilium Vaticanum controversiam omnem solemni definitione diremit, die 18 Julii 1870.

352. PROB. I PARS. *Rom. Pontifex est judex præcipuus controversiarum.* 1° Est enim Episcopus Episcoporum, *ad quem potest quilibet*, ut Græci in Syn. Lugdun. II aiunt, *super negotiis ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare ; et ad cujus*

[1] Cujus Primatus probatus est supra, *De Eccl.*, cap. 2, art. 1, n. 271.

judicium potest in omnibus causis, ad Ecclesiasticum examen spectantibus, recurri [1]. — 2° Neque de hoc ulla est inter Catholicos controversia, cum ipse Clerus Gallic. art. IV statuerit : *In fidei quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere.*

253. II PARS. *Rom. Pontifex ex Cathedra definiens*, i. e. universam Ecclesiam docens [3], *se solo est infallibilis.* 1° Tria præcipue sunt in Scriptura oracula, quibus hæc veritas probatur. Luc. XXII, 31 : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* — Matth. XVI, 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quod si Petrus docens falleretur, Ecclesia, ejus auctoritati innixa et assentiens, erraret; quod Ecclesiæ inerrantiæ repugnat. — Joan. XXI, 15 : *Pasce agnos meos... pasce oves meas.* Quod si Ecclesia reformare posset Pontificis decreta, non jam Pastor oves, sed oves pascerent Pastorem. Ergo summi Pastoris decreta sunt irreformabilia, ac proin infallibilia ; cum non possit Christus Ecclesiam suam subjicere irreformabili decreto quod non sit verum. — Sequitur quoque R. Pontificis infallibilitas ex plena et interna obedientia, in spiritualibus ipsi debita. Nam ex dogmate summæ jurisdictionis ejus exoritur hoc ratiocinium : R. Pontifex, vi jurisdictionis, potest ferre decretum fidei, cui universa Ecclesia obsequium etiam internum præstare debeat; atqui id cui universa Ecclesia obsequium internum præstare debet, necesse est ut sit verum ; ergo decretum fidei, latum a R. Pontifice, est *necessario verum* seu infallibile. Hoc porro ratiocinium eo magis videtur validum, quod ipsi Gallicani *majorem* negare non audent, sed concedunt [3].

254. 2° *Ex traditione.* SS. Patres plurimi citata Scripturæ testimonia de Rom. Pontificis infallibilitate intelligunt. Sic verba Luc. XXII in eum sensum allegat S. Agatho, in epistola ad imperatorem Constantinum Pogonatum, quæ in Synodo œcum VI a Patribus lecta, et communi calculo probata est. Item S. Leo, dicens : *In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur* [4]. — Alii Patres dotem hanc RR. Pontificibus universim adjudicant dicentes, necesse esse in omnibus consentire cum Rom. Cathedra, si quidem fideles esse velimus [5]. Petrum semper in propria Sede præsidere, ait S. Petrus Chrysologus, *ut præs-*

[1] Mansi, Collect. Concil. t. 24, col. 71. — [2] Cf. supra, *Tract. I*, n. 124.
[3] Infra, quæst. 2, n. 263. — [4] Serm. 4, Natal. sui, n. 3.
[5] Cf. Ballerin. *De vi et rat. primat.* c. 43, § 1, n. 1. seqq.

tet quærentibus fidei veritatem [1]. Idem testatur Augustinus, pro concione dicens : *Jam de hac* (Pelagiana) *causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam : inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est. Utinam aliquando finiatur error ! Ergo ut mutentur oremus* [2].

255. OBJIC. 1° Infallibilitas R. Pontificis nequaquam probatur ex Scriptura. Etenim Luc. XXII, agitur de favore personali Petri ; ergo non de dote primatui annectenda.— R. *Neg. antec. et probat.* Tribuitur Petro munus confirmandi fratres in fide, quod est munus publicum, ab eo ut Ecclesiæ Primate exercendum.

256. *Obj.* 2° Matth. XVI, Petrus dicitur *petra* ratione jurisdictionis ; ergo neque hoc testimonium infallibilitatem probat. — R. *Dist. antec.* Ratione jurisdictionis etiam, *conc.;* solum, *nego.* Utrumque enim Christus Petro contulit, et primatum et infallibilitatem ; nam hæc Petro necessaria est, ut primatus munere rite fungatur.

257. *Obj.* 3° Si testimonium Joan. XXI, 15, probaret Petrum esse infallibilem, simul evinceret Episcopos omnes eodem modo infallibiles esse, cum sint et ipsi Ecclesiæ Pastores ; ergo neque Petrum infallibilem esse evincit.— R. *Neg. antec.* Ad probat. *distinguo :* reliqui Episcopi sunt Pastores Ecclesiæ subordinati, *conc.;* sunt Pastores supremi, *neg.* Pastori supremo absolute necessaria est infallibilitas, cum ab ejus decreto provocatio ad tribunal superius nulla relinquatur, et ejus decisioni absolute ex Christi voluntate accedendum sit ; quæ decisio si erronea esset, Ecclesia ex voluntate Christi errori assentiri deberet, quod repugnat.

258. *Obj.* 4° Christus infallibilitatem contulit Ecclesiæ, seu collegio Pastorum ; ergo non contulit R. Pontifici, cum id inutile foret. — R. *Conc. antec. neg. conseq. et adjectam rationem.* Non est inutile ut R. Pontifex, qui est judex supremus et præcipuus doctor Ecclesiæ, sit infallibilis ; imo necessarium est, cum Ecclesia universalis per Concilium vel litteras non nisi raro, perdifficile et lente interrogari possit.

259. *Obj.* 5° Obstant facta, et imprimis doctrina Honorii Papæ. Honorius ex Cathedra errorem docuit epistolis, ad Sergium et Cyrum Monothelitas missis, quibus scripsit, se unam voluntatem fateri D. N. J. C. ; quare a conc. IV, act. 13 et 18, damnatus ; ergo RR. Pontifices non sunt infallibiles. — R. *Neg. antec.* Honorius neque ex Cathedra locutus est illis epistolis, cum expresse testetur se definire nolle quæstionem de una aut duplici in Christo voluntate; neque in dogmate de duplici ope-

[1] *Epist. ad Eutychen. presbyt.* cap. 2. — [2] Serm. 131, n. 19, alias serm. 2. *De verbis Apost.* c. 10. — Cf. Constitut. Concil. Vatic. *Pastor æternus.*

ratione et voluntate erravit. — Ad probat. *distinguo;* unam admisit in Christo voluntatem *humanam*, ad exclusionem pugnæ inter carnem et spiritum, *conc.;* ad exclusionem *divinæ*, *nego*. Patet hoc tum ex epistolarum textu : tum ex testimonio quod Honorii orthodoxiæ perhibuerunt Joannes abbas ; Joannes IV, Honorii ab anni dimidio successor, in apologia ; Maximus martyr, in disputatione cum Pyrrho, et in epist. ad Marinum.— Ex anathemate,in Honorium lato a Synodo VI, evincitur Honorium damnabilem fuisse ob œconomicam dispensationem suam, et defectum roboris, *conc.;* ob errorem in fide, *neg*. Hanc stetisse Concilio mentem in damnando Honorio, testatur Leo II, qui ad Episcopos Hispaniæ scribens, dicit, se una cum Concilio anathematizare Honorium, *qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligentia confovit*[1].

QUÆSTIONES.

1° *Quænam circa auctoritatem R. Pontificis in judicio fidei, inter Catholicos unanimi consensu tenentur, quid vero aliquando fuit disputatum ?* — 2° *Quid est Gallicanismus ?* — 3° *Quid de superioritate Concilii supra R. Pontificem, aut viceversa, Pontificis supra Concilium, tenendum est ?* — 4° *Quænam est totius Theologiæ generalis conclusio ?*

260. RESP. Ad 1am. Omnes Catholici consentiunt, Romano Pontifici auctoritatem competere in fidei controversiis pronuntiandi per definitionem, seu decretum dogmaticum *ex Cathedra* editum.

261. Omnes quoque consentiunt hujusmodi decretum, postquam ab universa Ecclesia fuerit acceptatum, esse infallibilem fidei regulam.

262. Disputatum autem fuit, sæculo præsertim XVII, de hujusce decreti *firmitate, ante acceptationem Ecclesiæ* considerati : quum articulo IV Declarationis Gallic. assertum fuisset, Romani Pontificis Judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit, non esse irreformabile. — Nunc autem, ut diximus, controversia tota per definitionem Vaticanam sublata est.

263. Q. 2° *Quid est Gallicanismus ?* — R. Nomine *Gallicanismi* intelligitur singularis doctrina quæ fuit quorumdam præsertim Theologorum Galliæ, circa immunitates Ecclesiæ Gallicanæ, et auctoritatem R. Pontificis. Quæ doctrina quatuor articulis famosæ Declarationis, an. 1682 editæ, continebatur[2]. Art. I statuebat, RR. Pontifices non accepisse a Christo ullam potestatem, directam, vel indirectam in ordine temporali ; ac proin, neque deponere reges posse, neque subditos a sacra-

[1] Labb. *Concil.*, tom. 6, col. 1247. — Difficultates quæ ducuntur ex factis Marcellini, Liberii, Hormisdæ, Vigilii, vid. apud Wirceb. theol. *De princip. theol.* n. 194 seqq. — [2] Hanc Declarationem videre est in Bossuetii *Defensione*, ab initio.

mento fidelitatis liberare. — Art. II admittendum decernit decretum Concilii Constantiensis Sess. 4 an. 1418, de superioritate Concilii generalis supra R. Pontificem. — Art. III, R. Pontificis auctoritatem exercendam esse, salvis immunitatibus et usibus Ecclesiæ Gallicanæ. — Art. IV, *Romani Pontificis decreta in fidei quæstionibus, ad omnes quidem et singulas Ecclesias pertinere ; non tamen irreformabilia esse, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.*

264. Isti articuli 1) ut supradictum est, a RR. Pontificibus, consentiente orbe catholico exceptis Gallicanis, sæpius fuere reprobati. — 2) A plurimis ex eorum auctoribus fuere retractati, et ab ipso Ludovico XIV revocatum fuit edictum, quo eosdem in publicis scholis doceri præceperat. —3) Bossuetius, qui Regis jussu Declarationis Defensionem scripsit, eidem tamen Declarationi nunquam ex animo adhæsit ; quod ex illis patet, quæ non nisi cum stomacho scribebat: *Abeat jam Declaratio quo libuerit* [1]. Compulsus ergo Defensionem illam suscepisse dicendus est ; quam neque edidit ipse, sed ejus nepos an. 1730, cujus fides hac in re non sine causa in suspicionem venit. — 4) Ecclesia Gallicana antiqua stat pro R. Pontificis infallibilitate et supra Concilium superioritate. —5) Hanc utramque veritatem, etiam post famosam Declarationem tenuit, et quidem fere unanimiter, Ecclesia Gallicana recentior [1], antequam Vaticani Patres controversiam dirimerent.

265. 3° *Quid de superioritate R. Pontificis supra Concilium, aut viceversa, tenendum est ?* — R. Romanus Pontifex, vi primatus sui, auctoritatem habet in Œcum. Concilium, sicut caput in membra. Et quemadmodum caput membris conjunctum unum constituit corpus ; ita R. Pontifex, cum Concilio inseparabiliter unitus, unam constituit Ecclesiam, unum mysticum Christi corpus, cujus ipse Pontifex, quatenus Caput, pars principalis est et regens. — Quod si ponatur hypothesis separationis Concilii a Pontifice : respondeo Concilium eo in casu acephalum esse, nec Ecclesiam Christi repræsentare, quæ acephala esse non potest, nec proinde auctoritate Œcumenici pollere : Romanum vero Pontificem, cum vi primatus Episcopus Episcoporum sit, suam semper in Episcopos auctoritatem conservare, sive dispersi sint per orbem, sive in conventum congregati.

266. Quare cum Patribus Synodi Lateran. V dicendum est, solum Rom. Pontificem, Conciliorum indicendorum, transferen-

[1] Cfr. apud Cardin. Litta, *Lettres sur les quatre articles*, lettre 4.

[2] Cf. de hac Declarat. Cardin. Litta, op. cit. ; Zaccaria in *Antifebronio*, tom. 2, diss. 2, cap. 10, n. 8 et seqq. ; Theol. Wirceb. *De princip. theol.* n. 197 seqq. — Item Ballerin. *De primatu et infallibilitate Rom. Pontif.* ; Muzzarelli. *De auctoritate summi Pontif*

dorum ac dissolvendorum, plenum jus ac potestatem habere *tanquam super omnia Concilia auctoritatem habentem* [1]. Et, quemadmodum ipse Gersonius aiebat, *si Papatus per imaginationem præscindatur a reliquis potestatibus inferioribus, id quod superest non dicitur Ecclesia... Proinde sequitur, quod, si generale Concilium repræsentet Ecclesiam universalem sufficienter et integre, necesse est ut includat auctoritatem papalem* [2].

267. Quod si objiciantur decreta Concilii Constantiensis, Sess. 4 et 5, præeminentiam Concilii supra Pontificem statuentia : respondendum est -1) hæc decreta quoad verum sensum esse dubia ; -2) non agere nisi de tempore schismatis et Pontificis dubii ; -3) auctoritate carere, cum fuerint condita tempore quo Constantiense Concilium non erat œcumenicum, neque a Martino V fuerint confirmata [3].

268. Q. 4° *Quænam totius Theologiæ generalis est conclusio?* — R. Conclusio totius Theologiæ generalis, quam hic absolvimus, ea est quam initio [4] probandam suscepimus : *veram ac divinam religionem repetendam esse a sacra Scriptura et Traditione, sub magisterio Ecclesiæ Romano-Catholicæ.* Quo principio demonstrato, nihil jam impedit, quominus ad consideranda in particulari veræ religionis dogmata accedamus : quod *Theologiæ specialis* objectum erit.

[1] Hardouin, *Collect. Concil.* t. 10, col. 1828. — Item Mansi, *Concil.* tom. 24, col. 71. — Item cf. formulam ab Hormisda Pontifice Episcopis Orientis, qui schismati Acaciano adhæserant, præscriptam, et cui Patres Concilii œcum. VIII subscripserunt ; ibid. tom. 16, col. 27. — [2] *De Potest. Eccles*, consid. 7.

[3] Cfr. Wirceb. ibid. n. 179. — Hoc loco, nisi opusculi limites præpedirent, poni posset quæstio de potestate temporali R. Pontificis, seu dominio ejus politico in partem Italiæ quæ, præsertim donationibus Pipini, Caroli Magni, Lotharii et Mathildis, Rom. Pontificibus concessa, *Status Ecclesiæ* dicitur. De his vid. Card. Litta, op. cit. — Cercia, *De Rom. Pontifice*, in fine ; — La Civiltà cattolica, *Origini della sovranità temporali dei Papi*, Série IV, vol. 4, 5, seqq. ; — Dupanloup, Episc. Aurel., *La souveraineté pontificale, selon le droit catholique et le droit européen.* — Hic interim caveatur confusio hujusce potestatis temporalis, cum potestate coercitiva, qua *jure divino* Ecclesia uti potest per vim corporalem. Vid. Tract. *De Eccl.* Introduct. § IV, n. 53.

[4] Tract. *De relig. christ.* Introduct. § 1, n. 4.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS ALTERA

THEOLOGIA SPECIALIS

Tractatus V

DE DEO DIVINISQUE ATTRIBUTIS

INTRODUCTIO

§ I. *Theologiæ dogmaticæ Specialis objectum.* — § II. *Methodus qua in Theologia Speciali procedendum est.* — § III. *Argumentum Tractatus de Deo divinisque attributis.* — § IV. *Doctrina catholica circa naturam divinam.* — § V. *Errores contrarii.* § VI. *Divisio Tractatus.*

§ I. Theologiæ dogmaticæ Specialis objectum.

1. *Theologia dogmatica Specialis*, quæ etiam *Theologia dogmatica* stricte sumpta dicitur, est ea Theologiæ pars, quæ Christianam Religionem non generaliter et complexive, sed particulariter et per dogmata singula, considerat ac demonstrat. Unde *objectum* ejus est Religio Christiano-Catholica, cujus veritas supra invicte probata est, penitius examinanda, explicanda, et per partes singulas demonstranda. Ergo, sicut theologia *Generalis* nos in veram Christi Ecclesiam introduxit, ita theologia *Specialis* nobis aperiet Ecclesiæ thesauros, universam dico ejus doctrinam, de Deo, de mundo, et de homine ad Deum ut finem ultimum deducendo.

2. *Scopus* vero theologiæ Specialis, quod facile patet, est scientificam dare doctrinæ christianæ notitiam. Etenim, demonstrata Ecclesia catholica, possumus quidem ab ea christianæ doctrinæ notitiam certam recipere; at hæc notitia, utut certa, nondum erit scientifica, quum tamen scientificam sibi Theologia vindicet. Quare theologus dogmata illa, quæ ab Ecclesia recipit ut genuina, ulteriori demonstrationi subjicit, ut de iisdem notitiam scientificam acquirat.

3. Verum hujusmodi demonstratio argumentis efficitur theologiæ propriis, quæ sunt potissimum extrinseca, ut doctrinæ

Christi *genuitas* ostendatur. Deinde eadem demonstratio, utpote confirmativa doctrinæ Ecclesiæ quam infallibilem esse probavimus, eidem Ecclesiæ semper subordinata est, ab ejus auctoritate dirigitur, juvatur et aliquando suppletur.

4. Itaque theologia Specialis totum corpus dogmaticum assumit pertractandum, distribuitque in partes primarias quæ varios constituunt Tractatus, nimirum : *De Deo divinisque attributis, — de SS. Trinitate, — de Creatione et peccato originali, — de Incarnatione, — de Gratia, — de Sacramentis in genere, et de septem Sacramentis singillatim, — de Actibus humanis, — de Legibus ac mandatis, — de Peccatis, — de Virtutibus, — de Novissimis.*

§ II. Theologiæ Specialis methodus.

5. Cum theologia Specialis tria efficere debeat, 1° genuinam Ecclesiæ doctrinam cognoscere, 2° eam explicare et intelligere, 3° eam demonstrare ; ideo in singulis quæstionibus hæc fere methodus est sequenda : 1° Ea præmittenda sunt, quæ ad doctrinæ punctum, de quo agitur, rite intelligendum conducunt. — 2° Punctum illud sub forma *Propositionis* definiendum. — 3° Hanc Propositionem esse doctrinam Ecclesiæ, ex authenticis documentis ostendendum. — 4° Demonstrationis argumenta ordine afferenda. — 5° Objectiones solvendæ. — 6° Si quæ scholasticæ conclusiones, aut explicationes ad dogma dilucidandum conducunt, adjiciendæ.

§ III. Tractatus argumentum.

6. Tractatus hujusce, qui *theologiæ Specialis* primus occurrit, argumentum est *Deus, in sua essentia et attributis considerandus ;* seu primum christianæ doctrinæ dogma : *Deum existere unum, magnum et laudabilem nimis* [1].

7. Dicitur Deus considerandus *in sua essentia* sive natura ; dupliciter enim Deus spectari potest : in sua essentia, et in sua subsistentia seu personalitate. Consideratus in sua personalitate, est *Trinus*, et ut talis, objectum est tractatus *de SS. Trinitate*, seu de *Deo trino :* — consideratus autem in sua essentia est *Unus*, continens omnes perfectiones, et, ut talis, est objectum tractatus de *Deo uno, divinisque attributis* seu perfectionibus.

8. Dei quidem existentiam et pleraque attributa, ipsa ratio per sanam philosophiam demonstrat ; sed imperfecte, neque ea qua par est in omnibus claritate et certitudine. Quod autem de Deo infirmius ratio asserit, id revelatio et fides firmissime stabiliunt.

[1] Ps. XLVII.

§ IV. Doctrina catholica circa Deum divinamque naturam.

9. Dei existentia non tantum nobis per fidem, sed etiam rationis lumine innotescit [1].

10. Est Deus supremus omnium Dominus, a semetipso, seu vi propriæ essentiæ existens, et omnes perfectiones, vel formaliter vel eminenter in se complectens [2]. Scilicet unicus est, simplex, infinitus, æternus, immensus, immutabilis, etc.

11. Divinæ naturæ simplicitas distinctionem quidem virtualem admittit, sed omnem excludit distinctionem realem, tum inter essentiam et attributa absoluta, tum inter essentiam et personas seu attributa relativa, tum inter attributa absoluta invicem comparata [3].

12. Est in Deo perfectissima scientia, qua et seipsum cognoscit et reliqua omnia : præterita et præsentia, imo ipsa futura, tam necessaria quam contingentia et libera, etiam mere conditionata, h. e. quæ pendent a conditione nunquam ponenda ; quod postremum aliquando disputatum, nunc omnibus Theologis certum est.

13. Est in Deo voluntas omnipotens, summe bona, provida, in operibus *ad extra* liberrima, quin tamen hæc libertas immutabilitati essentiæ divinæ vel minimum officiat [4].

14. Deus pro bonitate sua vult omnes homines salvos fieri : non solum prædestinatos, sed alios quoque fideles quod de fide est [5] ; imo et reliquos, saltem adultos quod fidei proximum est.

Doctrina Concilii Vaticani circa Deum divinaque attributa [6].

Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cœli et terræ, omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum ; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, prædicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quæ præter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.....

Universa vero quæ condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quæ libera creaturarum actione futura sunt.

[1] Prop. subscript. a Bautainio, 8 sept. 1840. Hæc eadem propositio sub anathemate definita est Concil. Vatic. canone 1 *de revelatione*. — [2] Concil. Later. IV. Cap. *Firmiter*. — [3] Conc. Rhem. adv. Gilb. Porret., et Later. IV, adv. Abb. Joachim. — [4] Conc. Lat. IV, Cap. *Firmiter*. — [5] Prop. Jansen. 5a.

[6] Constit. *Dei Filius*, cap. 1, *de Deo, rerum omnium conditore*.

§ V. Errores contrarii.

15. Errores divinam naturam impugnantes, sunt : 1° atheismus, 2° polytheismus et idololatria, 3° dualismus, 4° tritheismus, 5° pantheismus, 6° anthropomorphismus, 7° fatalismus. Quinque priores opponuntur, licet variis modis, monotheismo ; sextus simplicitati Dei, septimus ejus libertati contrarius est.

16. 1° *Atheismus* est *negatio existentiæ Dei.* Athei distinguuntur in varias classes : alii dicuntur athei *positivi*, alii *negativi ;* — alii *speculativi* seu athei mente ; alii *practici*, id est, athei vel actione, vel saltem corde seu affectu ; — alii *directi*, alii *indirecti.* De prioribus atheorum classibus infra [1] agetur. Hoc loco solum explicandum est, quinam athei indirecti nominentur. Ii sunt, qui Dei existentiam non formaliter negant, sed principia admittunt quæ Dei negationem includunt. Tales sunt, qui Dei existentiam affirmant esse tantum subjectivam mentis formam ; vel qui Deum cum rerum universitate confundunt ; vel qui omnia argumenta, quibus Dei existentia probatur, tanquam insufficientia rejiciunt, nec uspiam Deum deprehendunt.

17. 2° *Polytheismus* est error eorum qui plures Deos admittunt. Ad polytheismum referri solet idololatria, quæ plura simulacra divino cultu veneratur ; proprie tamen sumpta, a polytheismo distinguitur. Est enim *stricto sensu* idololatria *cultus imaginum, quæ velut dii habentur, vel falsos deos repræsentant. — Latiore sensu* et theologico, est *quicumque cultus exhibitus cuivis objecto sensibili, naturali vel manufacto, tanquam Deo.* — Polytheismum sectati sunt omnes fere antiqui Ethnici ; quibus annumerari possunt hæretici Valentiniani sæc. II, plures deos nomine Æonum admittentes.

18. Hic duo facta notare juverit, quæ historice constant : 1° polytheismum licet antiquissimum, esse tamen monotheismo posteriorem, ejusdemque corruptelam [1]. 2° Ethnicos passim polytheismi proprie dicti reos fuisse, vel plura numina colendo, vel idolis visibilibus cultum absolutum, aut ad falsos deos relativum, tribuendo. — Hæc posterior assertio adversus Protestantes ponitur, et quosdam neotericos audaciores. Protestantes enim dixerunt, Ethnicorum idololatriam, et Israelitarum cum Baalim adorarent, non aliud quam cultum veri Dei, licet relativum, fuisse ; et Israelitas tantum eo peccasse quod, contra legis vetitum, imaginem Dei venerarentur. Quæ ideo commenti sunt Protestantes, ut cultum SS. Imaginum apud Catholicos vigentem, tanquam idololatriam traducerent. — Neoterici autem quidam perperam affirmarunt : 1) ethnicos pluralitatem deorum minime admisisse ; 2) eos idola solummodo ut unius

[1] Cap. I, art. 1, quæst. 7, n. 45. — [2] Cf. Bergier, *Dict.*, art. *Idolâtrie.*

veri Dei simulacra coluisse. Quæ ideo excogitarunt, ut *consensum communem* generis humani, in unius veri Dei unitate admittenda adstruerent [1].

19. 3° *Dualismus* est error eorum, qui duo summa principia, ceu duo numina, sibi contraria statuunt. Hujusmodi fuerunt Ægyptii, qui nomine Isidis et Osiridis ; Persæ, qui nomine Oromasis et Ahrimanii duo principia colebant ; — græci *Stoici*, præsertim Democritus et Chrysippus, qui præter *Fati* necessitatem, statuebant incompositam *materiam*, naturæ beneficæ adversantem ; hæretici *Gnostici*, qui, a Simone Mago oriundi, præcipuos duces habuerunt Cerdonem, Marcionem, Apellem et Manetem, suasque doctrinas a Stoicis et Persis dualistis hauserunt. Inter hos celeberrimi sunt Manetis sequaces seu Manichæi, qui in Asia exorti et primum commorati, deinde etiam in Occidente, sub Albigensium et Catharorum nomine, diu perdurarunt.

20. 4° *Tritheismus* tres deos in SS. Trinitate constituens, error fuit Joannis Philoponii et Cononis, obscurioris nominis hæreticorum, sæculo VI.

21. 5° *Pantheismus* rerum omnium universitatem Deum facit. — Pantheistæ alii sunt veteres, alii recentories. *Veteres* omnes admittunt pantheismum quemdam realem, quem in *unitate substantiæ objectivæ* reponunt. Sunt enim vel *hylozoistæ*, adstruentes æternitatem materiæ animatæ et improductæ, quæ cæterarum rerum principium sit ; vel *emanatistæ*, naturam totam ex Dei substantia, ut filum ex aranea prodiisse delirantes. — *Recentiores pantheistæ*, quorum agmen ducunt Spinoza, et Kantii discipuli, Fichte, Schelling, Hegel, in *realistas* et *idealistas* dividi possunt. Pantheistæ realistæ unam dari substantiam statuunt, cujus infinitæ sint manifestationes, determinationes seu modificationes particulares. — Idealistæ Deum esse universalitatem idealem affirmant.

22. 6° *Anthropomorphitæ* Dei simplicitatem negabant, eum corporeum esse asserentes. Hujusmodi fuerunt nonnulli monachi Ægypti, sæculo IV.

23. 7° *Fatalistæ* Dei libertatem ac Providentiam negant, ipsum fatali necessitati obnoxium statuentes. Hujusmodi fuit Hermogenes stoicus, sæc. II.

24. His adjungi possunt et alii, qui perperam de divinis attributis senserunt. *Sociniani* dixerunt Deum immutabilem quidem esse in substantia, mutabilem vero in decretis seu voluntatis actibus.

25. Gilbertus Porretanus, inter divinam essentiam et attributa, distinctionem realem invexisse dicitur ; quem errorem proscripsit Conc. Rhemense sub Eugenio III. Eumdem errorem

[1] Cfr. Perrone, *De Deo uno*, n. 112.

multi e Græcis schismaticis agente Greg. Palama, Episcopo Thessalonicensi, amplexi sunt.

26. Similiter Abbas Joachim, inter divinam naturam divinasque personas, distinctionem quamdam inducere visus est, qua unitatem collectivam in Deo adstrueret. Ejus libellus a Conc. Later. IV fuit proscriptus, cap. *Damnamus*.

27. In oppositum errorem inciderunt sæc. IV *Anomæi*, qui Eunomium et Aetium secuti, nullam, ne rationis quidem distinctionem, inter essentiam et attributa, atque essentiam inter et personas, admittebant ; ut sic ad impugnandam Verbi consubstantialitatem facilius sibi aditum aperirent [1]. Eodem fere modo erravit Roscelinus sæc. XI.

§ VI. Divisio Tractatus.

28. Circa Deum tria generatim quæri possunt : quomodo Dei existentia innotescat nobis, quid Deus sit in sua essentia, quid sit in suis attributis. Duo priora, quoniam brevius absolvenda sunt, commode sub uno capite conjungi possunt ; unde divisio Tractatus in duo capita :

Caput I, *de existentia et essentia Dei.*
Caput II, *de divinis attributis.*

[1] Cf. infra, hujus tract. cap. 2, art. 1, in propositione, n. 73.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA ET ESSENTIA DEI.

29. Dei nomine intelligimus *Ens summum, quo nihil melius aut perfectius esse vel cogitari potest*, cujus proin idea includit in se *absolutum esse*. — Non autem semper Deus, sicut hic describitur, ita etiam formaliter concipitur ; sed sæpe venit sub conceptu *supremi rerum omnium Domini*, vel *primæ causæ*, vel *entis supremi, quod est ab omni alio independens, excellentissimum, cæterorum omnium entium origo et causa*. Hi vero conceptus objective spectati, differunt quidem logice, i. e. juxta modum quo rem repræsentant ; at realiter, i. e. juxta rem quam repræsentant, in idem prorsus recidunt : idem enim realiter objectum, nempe Deum, singuli repræsentant, licet variis modis cogitatum.

30. Ut autem hunc Dei conceptum dilucidemus, et quoad fieri potest perfecte mente efformemus, fidei simul et rationis documenta de existentia et essentia Dei, consideranda sunt.

Articulus I, *de existentia Dei.*
Articulus II, *de essentia Dei.*

ARTICULUS I.

DE DEI EXISTENTIA.

QÆSTIONES.

1° An notio Dei innata dicenda est ? — 2° An existentia Dei est prima veritas ? — 3° Quomodo nobis Dei existentia innotescit ? — 4° An hæc propositio* DEUS EST, *est per se nota ? — 5° An Dei existentia ex ratione demonstrari potest ? — 6° Quænam afferuntur demonstrationes existentiæ Dei ? — 7° Quid, quotuplex est, et an vere existit atheismus ? — 8° Qui sunt atheismi fontes ?

31. QUÆR. 1° *An notio Dei innata dicenda est ?* — R. Notio Dei innata dici potest eo sensu, quod nobis ex natura insit magna Dei cognoscendi facilitas. Non autem proprie et stricte loquendo dicenda est innata, seu ingenita ab ortu, et se habens in modum actus (licet initio latitantis, ut non pauci explicant) ; ac omnem aliam ideam, sensuum ope aut magistri disciplina advenientem prævertens. Notionis Dei comparandæ facilitatem testantur Scriptura et Patres. Job. XII, 7 et 8 : *Interroga jumenta et docebunt te ; et volatilia cœli et indicabunt tibi, et narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fece-*

rit?—Tertullianus ex testimonio animæ Deum esse comprobans, postquam observavit ab ipsis gentilibus in angustiis Deum unum nominari, exclamat : *O testimonium animæ naturaliter christianæ !* Apolog. 17. — Opinio vero quæ statuit notionem Dei proprie innatam, ideo neganda est, quia validis argumentis non nititur ; et aliunde vix concipitur nobis perpetuo aliquam actualem notionem inesse, quæ sui nullum sensum faciat, cujus nobis conscii non simus, cujus existentiam aliunde quam a sensu intimo discere cogamur.

32. Q. 2° *An existentia Dei est prima veritas ?*— R. Existentia Dei est prima veritas *in ordine ontologico*, seu in ordine entium, juxta quem unum ens dependet ab altero ; siquidem existentia Dei est id in quo omnia entia fundantur. Non est tamen prima *in ordine logico*, seu cognitionis nostræ, juxta quem cognitio unius entis in nobis ab alterius cognitione dependet. Nam, ut ait S. Thomas, *Deus non est primum quod a nobis cognoscitur : sed magis per creaturas in Dei cognitionem pervenimus* [1].

33. Q. 3° *Quomodo nobis Dei existentia innotescit ?* — R. Duplici modo nobis innotescere potest : naturaliter, seu per rationem, et supernaturaliter, seu per fidem. Eadem veritas ut cognita per supernaturalem revelationem, est *objectum* fidei ; ut cognita autem per naturale rationis lumen, vocatur *præambulum* fidei : quia Dei cognitio naturalis cognitionem per fidem præcedere debet. — Porro per fidem nobis innotescit Deus, non tantum ut est auctor naturæ, sed etiam ut est auctor gratiæ. Hebr. XI, 6 : *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Quare et in Symbolo recitamus : *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ.* Dei scilicet existentia totius revelatæ religionis est fundamentum.

34. Per rationis lumen Deus innotescit nobis tantummodo quatenus est auctor naturæ. — Dupliciter autem aliquid naturali lumine cognosci potest : *immediate* et *mediate*. Utrum existentia Dei sit immediate, et solo terminorum intuitu cognita, non convenit inter auctores : a plerisque longe probabilius negatur, cum Angelico Doctore, qui apposite id rejicit, ut ex ejus testimonio mox citando manifestum est [2].

35. Q. 4° *An hæc propositio : Existit Deus, est per se nota ?* — Respondeo verbis S. Thomæ : « Contingit aliquid esse per se « notum dupliciter. Uno modo *secundum se et non quoad nos*, « alio modo *secundum se et quoad nos*... Dico ergo, quod hæc « propositio : Deus est, *quantum in se est, per se nota est ;* quia « prædicatum est idem cum subjecto : Deus enim est suum

[1] P. I, q. 88, art. 3, in corp. — [2] P. I, q. 2, art. 2 ad 1.

« esse. Sed quia nos non scimus de Deo quid est, *non est* NOBIS « *per se nota*, sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis « nota quoad nos, et minus nota quoad naturam, scilicet *per* « *effectus* [1]. »

36. « Opinio (contraria) provenit, partim quidem ex consue- « tudine, qua a principio homines assueti sunt nomen Dei « audire et invocare ; consuetudo autem, et præcipue quæ est « a principio, vim naturæ obtinet ; ex quo contingit, ut ea, qui- « bus a pueritia animus imbuitur, ita firmiter teneatur ac si « essent naturaliter et per se nota. Partim vero contingit ex « eo, quod non distinguitur quod est notum per se simpliciter, « et quod quoad nos notum est [2].

37. Notandum tamen est, demonstrationem existentiæ Dei, secundum aliquam notionem veram, licet admodum imperfectam apprehensi, non esse rem difficilem atque reconditam, sed obviam et, ut ita dicam, se sponte offerentem ; ideoque existentiam Dei invincibiliter, saltem diu, ignorari non posse.

38. Q. 5° *An Dei existentia ex ratione demonstrari potest?* — Resp. affirmative, illa demonstratione quæ *a posteriori* vocatur [3]. — Triplex distinguitur demonstrationis species : prima dicitur demonstratio *a priori*, quando effectus per suam causam vel quasi causam, i. e. rationem intrinsecam, probatur ; secunda est *a posteriori*, dum causa ostenditur per effectum ; tertia appellatur *a simultaneo*, cum demonstratur res per aliquod sui attributum. — Jam vero existentiæ Dei cum nulla sit causa, sequitur, nullam dari demonstrationem *a priori*. — Argumenta petita ex idea Dei et entis necessarii, dici possunt demonstrationes *a simultaneo* : et hæ passim ut inefficaces a compluribus habentur, Angelicum Doctorem secutis [4]. — At *a posteriori*, hoc est per creaturas, præsertim collective sumptas, efficaciter existentia Dei demonstratur. Etenim 1) Sap. XIII, 5 : *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri* ; et Rom. I, 20, dicit Apostolus, invisibilia Dei, sempiternamque ejus virtutem ac divinitatem, per ea quæ facta sunt ita conspici, ut verum negantes Deum sint prorsus inexcusabiles. — 2) Celeberrimi Religionis christianæ contra gentiles apologistæ toti in eo sunt, ut ex creaturis veram divinitatem ostendant [5]. — 3) Quin, ipsi gentiles philosophi simili modo argumentantur [6]. *Quid potest esse*, inquit Tullius, *tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus,*

[1] P. I, q. 2, art. 1. — [2] *Contra gent.* l. 1, c. XI, initio. — [3] *Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quæ facta, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse ; anathema sit.* Concil. Vatic. can. 1, *de revelatione.* — [4] P. I, q. 2, a. 1 ; *Contra gent.* l. 1, c. 10, 11.

[5] Cf. Petav. tom. 1, *De Deo*, c. 2. — [6] Ibid. cap. 1.

cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Lib. I. De nat. Deor. — 4) Existentia causæ valide demonstratur per eorum effectuum existentiam, qui ita necessario ab illa dependent, ut sine illa non possint existere; atqui creaturæ ita sunt dependentes a Deo, ut sine illo non possint existere; ergo ex creaturis Dei existentia valide et efficaciter demonstratur.

39. Objic. 1° Dei existentia est fidei articulus; sed articulus fidei non potest demonstrari, cum fides sit obscurorum et non apparentium, ergo; etc. — Respondet 1° S. Thomas, negando *majorem*. « Deum esse, et alia hujusmodi, quæ per rationem « naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. I, *non « sunt articuli fidei, sed præambula* ad articulos. Sic enim « fides præsupponit cognitionem naturalem, ut gratia naturam, « et ut perfectio perfectibile. Nihil tamen prohibet illud, quod « secundum se est demonstrabile, et scibile, ab aliquo accipi « ut credibile, qui demonstrationem non capit [1]. » Respondeo 2°: *Dist. maj.* Dei existentia est *etiam* fidei articulus, *conc.;* est *tantum* fidei articulus, et non etiam objectum rationis, atque fidei præambulum, *neg.* Et *neg. min.* Scientia quippe et fides, juxta probabilem sententiam, possunt stare simul; et licet objectum sit obscurum atque non apparens, quatenus subjacet fidei; quoad tamen ratione attingitur, potest evidentiæ claritate illustrari [2].

40. *Obj.* 2° Demonstratio est ex necessariis; atqui res creatæ non sunt necessariæ, sed contingentes; ergo. – R. *Dist. maj.* Ex necessariis vel absolute vel hypothetice, *conc.;* absolute, *neg.* Res quidem creatæ non sunt necessariæ absolute, quia potuerunt non existere; sed necessariæ sunt hypothetice, id est, posito quod sint, necessariam habent cum Deo, a quo pendent, connexionem.

41. *Obj.* 3° Prima veritas non demonstratur; atqui Deus prima veritas est; ergo. — R. *Dist. maj.* Non demonstratur prima veritas, quæ est prima in ordine logico, seu cognitionis nostræ, et, ut aiunt, *in cognoscendo:* hoc est, primum cognitionis principium, *conc.;* prima veritas in ordine ontologico, seu ut aiunt, *in essendo*, non demonstratur, saltem ab effectibus, *nego*. Deus autem est prima veritas in essendo, non autem, quoad nos, in cognoscendo.

42. *Obj.* 4° Effectus finiti non postulant causam infinitam: ergo a creaturis non certo concluditur Dei existentia.— R. *Dist. antec.* Non postulant causam infinitam secundariam, *conc.;*

[1] P. I, q. 2, a. 3 ad 1. — [2] Cf. tom. 2. tract. *De virtutib.* cap. 2, art. 2, sect. 4, n. 180. — Item Suarez, tom. 1, lib. 1, cap. 1.

primariam, *neg*. Ad causam enim tandem est deveniendum, quæ a se existens omnibus rebus originem e nihilo dederit. Eo autem ipso, quod a se existit, infinita sit necesse est, ut infra explicabitur [1].

43. QUÆR. 6° *Quænam afferuntur existentiæ Dei demonstrationes?* — R. Demonstrationes multiplicis distinguuntur generis, pro diversis mediis quibus perficiuntur : aliæ dicuntur metaphysicæ, aliæ physicæ, allæ morales. — Demonstrationes metaphysicæ dicuntur illæ, quæ a causæ primæ necessitate repetuntur. Ad metaphysicarum demonstrationum genus illæ quoque probationes essent revocandæ, quas nonnulli, immerito tamen [2], ex ideis nostris, et præsertim ex Dei notione, duci posse existimant. Hæc enim omnia ad metaphysicam pertinent. — Physicæ sunt, quæ depromuntur ex contemplatione naturæ. — Morales demum, quæ aut ad mores pertinent, aut iis constant argumentis, quæ hominem prudentem movere valent ad assensum ; prudentiæ namque regulas suggerit Ethica seu Moralis. Hæ demonstrationes principio causalitatis, licet diversimode, innituntur : quod quidem principium metaphysicum est.

44. Inter plurimas quæ proferri possent existentiæ Dei demonstrationes, unam proponemus obviam et facilem, quam David Propheta his verbis innuit : *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus ; ipse fecit nos, et non ipsi nos*. Ps. XCIX. Quibus verbis continetur ratiocinium hujusmodi : Si humanum genus non fecit semetipsum, admittendus est ejusdem conditor a se ipso existens, qui Deus est ; atqui humanum genus semetipsum non fecit ; ergo, etc. — Præmissæ hoc modo declarari possunt. Dum memetipsum interrogo : *Quomodo ad existentiam emersi ? quis mihi illam tribuit ?* respondeam necesse est : *Non ego feci me*. Et unusquisque patrum meorum, eidem quæstioni eamdem responsionem reddere debuit. Quod si varia entia quibus circumdor, terram, aerem, aquam, stellas, lunam, solem, pariter interrogem ; singula, ut quidam ait ex antiquis Patribus, certatim respondebunt mihi : *Non ego te feci ; sicut tu, creatura hesterna sum, quæ non magis tibi quam mihi existentiam impertiri valeo*. Demum, quotiescumque easdem quæstiones iteraverimus : *Quomodo huc veni ? Quis fecit me id quod sum ?* definitivum responsum non *inveniemus*, donec agnoscamus *existere ens quoddam æternum, necessarum, a se*, causam omnium entium contingentium, quod non est aliud quam Deus. — Etenim quamdiu contingentium rerum explicationem in ipsis quærimus, seriem seu catenam, cujus annuli alius ab alio dependent quodammodo percurrimus, terminum non assecuturi, donec ad punctum fixum quod totam catenam

[1] Cap. 2, art. 2, prop. 5, n. 105. — [2] Cf. supra, *Quær.* 1°, n. 35.

sustentet, quodque sit *ens a se*, tandem perveniamus. Igitur nisi seriem contingentium infinitam, quasi catenam sine puncto fixo pendentem, sine sustentaculo sustentatam, admittere velimus, necesse est ut ens a se, tanquam primam rerum omnium causam, existere fateamur.

45. Q. 7° *Quid, quotuplex est et an vere exstiti atheismus?* — R. Generatim atheismus definiri potest, *negatio*, seu *non agnitio Dei*. Distinguitur præsertim triplex : atheismus *actionis*, quo quis ita se gerit, quasi nullum agnosceret ac reformidaret Deum ; *cordis*, quo quis cupiditatibus serviens, nullum Deum esse exoptat, imo sibi persuadere conatur ; *mentis* tandem, quo quis sophismatibus motus vel deceptus, huic propositioni : *Non exstiti Deus*, assentitur ex animo. — Atheos practicos inveniri misera experientia compertum est. Atheos corde quoque dari consentiunt omnes, perversos scilicet homines quos designat Psalmista, dicens : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus*. Ps. XIII et LII.

46. Quod attinet ad atheos mente, seu speculativos, certum est -1) neminem posse, saltem diu, invincibiliter esse talem ; cum Dei existentiæ veritas tam facile occurrat. -2) Evenire potest, juxta probabiliorem sententiam, ut homo per aliquod tempus assentiatur *ex animo* propositioni huic : Non est Deus ; at hujusmodi convictioni nunquam bona fides comitabitur.

47. B. 8° *Qui sunt atheismi fontes?* — R. Eorum qui vel actione vel corde athei sunt, fundamentum unicum est cupiditas, vitiorum omnium fecunda radix : atheismi autem mentis, remotus quidem fons cupiditas est : proximus vero, licentior et male feriata mens. Sunt enim quidam homines ita a natura constituti, ut facile sententiæ communis momenta spernant, amore novitatis et paradoxorum illecti, atque difficultatum mole opprimantur, quantumvis illæ futiles sint nervosiusque refutatæ : hinc fit ut hujusmodi homines ad hypotheses, variaque confugiant systemata, nec ulla deterreantur absurditate ; modo, quas obstare putant, effugiant difficultates.

ARTICULUS II.

DE ESSENTIA DEI.

48. Post quæstionem de Dei existentia, ulterius inquirendum est, quid Deus sit in se, seu quæ sit ejus essentia tum physica tum metaphysica. Quare sequentes solvendæ

QUÆSTIONES.

1° Quid est essentia entis generatim ? — 2° Quæ est essentia Dei physica ? — 3° Quid est perfectio, et quomodo Deus omnes perfectiones continere dicitur ? — 4° Quæ est essentia Dei metaphysica ?

49. QUÆR. 1° *Quid est essentia entis generatim?* — R. Essentia entis, seu, ut etiam vocatur, entis *quidditas*, est ratio ejus in-

trinsece constitutiva; seu est illud quo ens intrinsece est id quod est, et sine quo neque esse neque concipi potest [1]. — Porro essentia considerari potest tripliciter: -1) juxta suam *abstractionem*, -2) juxta suam *constitutionem*, -3) juxta suam *relationem* ad ens cujus est essentia; unde etiam tripliciter distinguitur.

50. -1) Spectata ejus abstractione, essentia est vel *individua aut singularis*, ut : hæc divinitas; — vel *communis*, ut humanitas, considerata quatenus apta omnibus hominibus inesse.

51. -2) Spectata ejus constitutione, essentia est vel *physica* vel *notionalis*. Dicitur physica, cum eo præcise modo constituta seu coalescens concipitur, quo in re constituitur atque coalescit. Sic essentia hominis concepta ut constans ex anima rationali, corpore organico et utriusque unione, vocatur essentia hominis physica. — Dicitur notionalis, cum spectatur ut constans elementis, non re, sed ratione distinctis. Sic compositum ex animalitate et rationalitate, est essentia notionalis hominis.

52. -3) Spectata ejus relatione ad ens cujus est essentia, hæc vel *totalis* est, vel *partialis* essentia illius entis. Totalis est, si omnia entis constitutiva complectitur, ut in exemplis modo allatis. — Partialis est, si est pars quædam sive præcipua sive secundaria, vel essentiæ physicæ vel essentiæ notionalis. — Illa essentia partialis notionalis, quæ apta est concipi ut cæterarum essentialium partium præcipua, atque proprietatum entis veluti prima radix, appellari solet *essentia entis metaphysica*. Sic ex. gr. anima rationalis est partialis essentia hominis præcipua, sed notionalis : et quoniam ea concipitur ut radix omnium proprietatum in homine existentium, ideo essentia metaphysica hominis est nuncupanda.

53. Q. 2° *Quæ est essentia Dei physica?* — R. Essentia Dei physica spectari potest vel *philosophice*, si nempe consideratur prout est a parte rei in se, ac independenter a quovis mentis conceptu ; quidquid enim alicui realiter indentificatur, a philosophis nomine essentiæ physicæ indicatur ; — vel *theologice*, si natura divina præcise sumitur pro Deitate, et prout communicabilis aut communis est tribus Personis ; hanc enim acceptionem adhibent theologi, quum de essentia divina, ut a personalitatibus quocumque demum modo distincta, loquuntur.

54. Posteriore modo accepta *essentia Dei physica est aggregatum, complexio, seu cumulus omnium perfectionum simpliciter*. In hunc enim sensum Scriptura et Patres divinam naturam describunt. Ps. CXLIV, 3 : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.*— Rom. XI, 36 : *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* — S. Leo : *Quidquid digne de Deo ulcumque sentitur, non qualitas est,*

[1] Cf. infra *De Trinit.* Introd. § 2, n. 7, seqq., 13, seqq.

sed essentia. Epist. 93, c. 5. — S. Damascenus : *Universum id quod est, tanquam immensum quoddam et infinitum essentiæ* (οὐσίας) *pelagus, Deus complexu suo continet*. De fide orthod. cap. 12 [1]. Non aliter Dei essentiam concipit ratio ; quæ Deum in se omnem possibilem perfectionem et quidem vi essentiæ suæ complecti, naturali lumine demonstrat. Ut autem hæc rite intelligantur, quæstio ponenda est de perfectionibus.

55. Q. 3° *Quid est perfectio et quomodo Deus omnes perfectiones continere dicitur?* — R. Perfectio sumitur dupliciter : -1) sensu *lato et metaphysico*, pro quacumque realitate quæ in ente est, et quam melius est habere quam non habere ; -2) sensu *stricto*, pro statu entis perfecti, cui scilicet nihil deest ad complementum *sui esse*. — Hic perfectionem intelligimus sensu metaphysico, seu quamcumque realitatem, quæ subjecto cuilibet competere potest. Hujusmodi autem perfectio distinguitur triplicis generis : -1) perfectio *simpliciter simplex*, quæ melior est ipsa quam non ipsa, seu cujus conceptus nullam imperfectionem involvit : ut intelligentia. 2) Perfectio *simplex*, quæ licet nullam imperfectionem importet, tamen cum alia æquali perfectione insociabilis, seu, ut aiunt, incompossibilis est in eodem supposito, seu in eadem persona. Sic paternitas, in prima SS. Trinitatis persona, est perfectio *simplex*, at non simpliciter, quia filiationem in eadem persona non compatitur. -3) Perfectio *mixta* seu *secundum quid*, quæ in suo conceptu formali aliquam includit imperfectionem, ut esse corporeum, esse rationabile seu discursivum.

56. Porro perfectio in ente contineri potest, vel *formaliter*, id est secundum se, secundum formam ac naturam propriam ; vel *eminenter*, si loco ejus inest enti perfectio præstantior, in qua, sicut nummus argenteus in aureo, inferior illa perfectio contineatur ; vel *virtualiter aut æquivalenter*, si loco ejus inest enti perfectio præstantior, quæ inferiorem illam producere, vel idem quod illa præstare possit. Jam vero Deus omnes perfectiones continet, at diversa ratione : simpliciter simplices quidem, ut sapientiam, formaliter ; mixtas vero, ut vim ratiocinandi ac perfectiones corporeas, virtualiter et eminenter ; quatenus intelligentia sua vim ratiocinandi supplet, et potentiæ suæ virtute corpora producere eorumque effectus perfectius præstare potest. — De perfectionibus simplicibus hic agendum non est, utpote quæ non in realitate absoluta, sed in relatione consistunt, et ad subsistentiam non vero ad essentiam formaliter pertinent [2].

57. Q. 4° *Quæ est essentia Dei metaphysica?* — R. Ex defini-

[1] Cf. Gregor. Naz. *Orat. in Natal.*
[2] Cf. S. Thom. 1 p. q. 4, 5. — Suar. tom. 1, tract. 1, lib. 1, cap. 8.

tione data supra [1], ad essentiam metaphysicam alicujus rei quatuor requiruntur conditiones : -1) ut sit quid proprium soli rei quam constituit, et quam a qualibet alia distinguit; -2) ut sit quid primum in ipsa re, nec ab alio præsupposito derivatum ; -3) ut sit fons et radix aliarum notarum essentialium, et omnium attributorum vel proprietatum ; -4) ut sit adæquatum rei, ita ut quidquid est de conceptu ejus quidditativo, id totum radicaliter complectatur. — Quare essentia metaphysica in Deo considerata, describi solet : *aliqua Dei perfectio specialis, quæ a nostro limitato intellectu concipiatur tanquam principalis, et aliarum omnium fons et origo, quæque Deo ita propria sit, ut eum a quolibet alio distinguat.* — Essentia Dei metaphysica ita intellecta, est quasi *differentia essentialis, aut gradus constitutivus Deitatis.*

58. His præmissis, circa Dei essentiam metaphysicam quatuor sunt sententiæ : 1ª Thomistarum, quorum alii assignant intellectionem radicalem, seu facultatem intelligendi ; alii communius, intellectionem actualem ; — 2ª Nominalium, qui collectionem omnium perfectionum ; — 3ª Scotistarum, qui infinitatem radicalem ; — 4ª demum est cæterorum Theologorum et nunc communior, quæ ut essentiam metaphysicam Dei statuit *aseitatem*, i. e. proprietatem existendi *a se*, seu omnimodam ab alio independentiam.

59. Hæc ultima et probabilior sententia hoc fundatur ratiocinio : aseitas ut essentia metaphysica Dei habenda est, si illa proprietas Deo competit, et omnes requisitas conditiones exhibet ; atqui talis est aseitas ; ergo.— 1) Aseitatem Deo competere testatur Scriptura, Exod. III, 14 : EGO SUM QUI SUM. *Sic dices filiis Israel :* QUI EST *misit me ad vos :* — idemque demonstrat ratio : Deus enim, utpote prima causa et ens necessarium, non potest esse nisi *a se*. — 2) Aseitas omnibus conditionibus, ad metaphysicam essentiam requisitis, satisfacit : est enim aseitas quid *proprium, primum, radicale* et *adæquatum* divinæ naturæ, quam totam summatim complectitur. Præterea Scripturæ et Patres aseitatem Deo tribuunt, non ut aliam quamcumque perfectionem, sed velut expressum Dei characterem et quodammodo differentiam constitutivam. Exod. III : *Ego sum qui sum* [3] : in quæ verba ita scribit S. Hilarius : *Admiratus sum plane tam absolutam de Deo significationem, quæ naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem, aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud magis proprium Deo, quam esse, intelligitur.* Lib. I, De Trin.

[1] Quær. 1, n. 49. — [2] Cf. Isai. XLI, 4; — Apoc. I, 8.

CAPUT SECUNDUM

DE DIVINIS ATTRIBUTIS [1].

60. Hactenus Deum spectavimus sub conceptu generali, tum physico tum metaphysico ; eumque, considerata essentia, quasi per modum definitionis, statuimus esse *ens a se et absolute necessarium*. Jam gradum facimus, ad eamdem divinam naturam distinctius et particularius in variis attributis suis contemplandam. Quod ut ordine fiat, commode distinguentur quatuor sequentes articuli :

Articulus I, *de Dei attributis in genere.*
Articulus II, *de attributis quiescentibus.*
Articulus III, *de attributis operativis.*
Articulus IV, *de attributis moralibus.*

ARTICULUS I.

DE DEI ATTRIBUTIS IN GENERE.

Quæstiones *de attributorum notione.*
Propositio unica, *de attributorum et essentiæ distinctione.*

QUÆSTIONES.

1o *Quid est attributum in Deo, et quomodo divina attributa dividuntur ?* — 2o *Quid est distinctio et quotuplex datur ?* — 3o *Quænam distinctio in Deo admitti non potest, quænam vero admittenda est ?*

61. QUÆR. 1° *Quid est attributum in Deo, et quomodo divina attributa dividuntur ?* — R. *Attributum* accipitur tum sensu lato tum sensu stricto. Sensu *lato*, attributi nomine generatim id intelligitur, quod de alio prædicatur et dicitur. Unde hoc generali sensu, attributum in Deo idem sonat ac *proprietas*, imo etiam idem ac *perfectio* : quum de ente infinito nihil enuntiari possit quod non sit perfectio. Distinguitur duplex : *absolutum* et *relativum*. Absolutum illud est, quod absolute de natura divina enuntiatur, et tribus commune est Personis, ut *æternitas ;* relativum, quod uni vel duabus personis proprium est, ut *paternitas, processio* quæ sunt intrinsecæ in Deo relationes. Absolutum quoque definitur, *id quod convenit Deo ut est unus* : relativum vero, *quod convenit ei ut est trinus.*

[1] Cf. Leonardi Lessii egregium opus *De perfection. moribusque divinis.*

62. Sensu *stricto*, attributum definiri potest : *Perfectio simpliciter simplex, de Deo absolute et necessario prædicabilis per modum formæ adjacentis.*— Dicitur -1) *perfectio simpliciter simplex*, ut distinguatur tum a perfectionibus *secundum quid*, quæ adjunctam cum habeant imperfectionem, non sunt in Deo nisi eminenter ; tum a perfectionibus simplicibus, quales sunt Paternitas et Filietas. -2) *Absolute prædicabilis*, qua voce excluduntur iterum relationes, quæ solis adjacent personis, non naturæ et essentiæ, quæ absoluta est.-3) *Necessario prædicabilis*, ut removeantur respectus liberi ad creaturas, qui utpote liberi, Deo necessario non conveniunt. -4) Dicitur demum *per modum formæ adjacentis*, id est, proprietatis quæ essentiæ divinæ adjacere, seu inesse intelligitur, atque ab ea dimanare.

63. *Dividuntur* divina attributa stricte sumpta -1) in *primario essentialia*, quæ primarium Dei ingrediuntur conceptum, et *secundario essentialia*, quæ ex primario Dei conceptu fluere intelliguntur, -2) in *positiva*, quæ de Deo aliquam perfectionem affirmant, ut est bonitas; et *negativa*, quæ a Deo aliquam imperfectionem removent, ut est incomprehensibilitas ;-3) in attributa *communicabilia* et *incommunicabilia*, prout ea possunt vel non possunt communicari creaturis;-4) in *quiescentia, operativa* et *moralia*. Deus namque triplici modo considerari potest: *a*) ut ens existens, *b*) ut ens vivum, seu operans more spirituum, et *c*) ut ens morale. Inde tria enascuntur attributorum genera : primum eorum quæ concipiuntur quasi modo existentia, Deumque exhibent sine relatione ad operationes divinas : ideo *quiescentia* vocantur, aut etiam *immanentia* vel *metaphysica*. Secundum genus eorum est, quæ Deo inesse concipiuntur, in quantum est spiritus, vi et virtute infinita præditus ; ideo vocantur *operativa, transeuntia, physica*. Tertium demum genus illas Dei perfectiones complectitur, quæ relationem dicunt cum lege æterna, Deumque tanquam omnis moralitatis fundamentum exhibent et exemplar. — Secundum hanc ultimam divisionem, de attributis in specie, sequentibus mox articulis, agemus.

64. Q. 2° *Quid est distinctio, et quæ sunt ejus species ?*—R. Quando dicimus plures res esse distinctas, volumus significare *quod una earum non sit altera, in quo consistit ratio* (seu essentia) *distinctionis* [1]. Hæc itaque describi posse videtur: *id quo formaliter unum non est alterum*, et proin negabilitas unius de altero.

65. Distinctio duplex ab omnibus admittitur : altera rei, altera rationis. — Distinctio rei seu *realis*, est ea quæ habetur ante omnem operationem intellectus nostri ; seu quæ in rebus, prout in se ipsis sunt, reperitur, præscindendo a conceptibus

[1] S. Thom QQ. Disput. *De potentia*, quæst. 9, art. 7, in corp.

quibus illas apprehendimus. — Distinctio *rationis*, seu *logica*, *mentalis*, est ea, quæ aliquam operationem intellectus consequitur, seu quæ versatur in re, non quidem prout res in se ipsa est, sed prout variis conceptibus nostris subjicitur. — Distinctio realis, juxta omnes, iterum duplex est : *realis major*, seu *plus quam modalis*, quæ versatur inter ea quorum neutrum est merus modus alterius : v. g. in humanis, inter animam materiamque corpoream ; et in divinis, inter Patrem ac Filium. *Realis minor* seu *modalis*, quæ versatur inter ea quorum unum merus modus alterius est : v. g. inter digiti dimensiones ejusque figuram, puta inflexionem.

66. Scoti discipuli, præter hanc duplicem distinctionem rei, quam utramque appellant realem majorem, arbitrantur tertiam in rerum natura inveniri, quæ inter distinctionem realem et rationis sit quasi media, eamque nuncupant *formalem realem*, vel *formalem ex natura rei*, ac definiunt : distinctionem quæ versatur inter *plures* perfectiones *ejusdem* omnino rei ; qualis sunt gradus entitatis methaphysici : ut e. g in homine, gradus entis substantialis, viventis, sensitivi, rationalis ; et generatim omnes illæ formalitates rei, quæ ita cum re unum idemque sunt, ut nihilominus possint prædicata contradictoria suscipere. — Verum cum alumnis Angelici Doctoris, aliisque quam plurimis, existimamus hanc tertiam speciem distinctionis esse fictitiam [1], adeoque non admittendam, et ad distinctionem rationis revocandam.

67. Distinctio rationis seu mentalis, duplex quoque est : una *rationis ratiocinantis*, altera *rationis ratiocinatæ*. Prima est ea, quæ fit a mente absque ullo in re fundamento ; sic v. g. distinguitur Petrus a Cepha. Secunda ea est, quæ fit a mente cum vero in re fundamento. — Fundamentum autem in re, distinctionis logicæ circa unum idemque ens peragendæ, appellatur illud, vi cujus hujusmodi ens aptum est cum pluribus inter sese realiter distinctis mente comparari, atque ita variis conceptibus ut multiplex variumque cogitari. — Porro fundamentum appellabimus *intrinsecum*, si id, vi cujus ens cum pluribus comparari potest, sit realis ejus identitas, cum illis ; si vero sit non realis identitas, sed aliqua alia habitudo seu relatio, *extrinsecum* dicemus. — Distinctio rationis cum fundamento intrinseco non obtinet nisi circa Deum, in quo nimirum realis identitas naturæ cum tribus personalitatibus, inter se realiter distinctis, est fundamentum distinctionis, quæ, ut infra dicemus, inter naturam et unamquamque personalitatem intercedit. — Fundamentum *extrinsecum* est potissimum duplex : entis *eminentia*, in eo sita, ut ens perfectione sua, realiter una, plures re

[1] Cf. Wenzl., Philosophia *Angelico-Thomistica*, De Ente rationis, controv. 2, q. 1.

distinctas æquiparet atque excedat; entis *causalitas*, in eo sita, ut ens vi sua, realiter una, plures effectus re distinctos producat.

68. *Nota.* Nomen distinctionis *virtualis*, quod non raro occurrit, triplici sensu usurpari potest :-1) sensu *maxime generali*, ad quamlibet distinctionem rationis ratiocinatæ, seu potius ejus fundamentum significandum ; et sic deinceps, nisi aliud moneatur, a nobis usurpabitur. -2) Sensu *minus generali*, ad designandam distinctionem rationis, in eminentia seu excellentia entis fundatam. -3) Sensu *speciali*, ad significandam distinctionem rationis cum fundamento intrinseco ; quæ tamen accuratius, non virtualis, sed *virtualis intrinseca* vocatur.

69. 3° *Quænam distinctio in Deo admitti non potest, quænam vero admittenda est ?* — R. Non agitur hic de distinctione inter attributa relativa, nempe inter Personas divinas intercedente. Hæc enim quæstio ad tractatum *de SS. Trinitate* spectat, ubi ostenditur dogma fidei esse, Patrem, et Filium et Spiritum S. realiter inter se distingui. — Agitur autem de distinctione, sive *inter attributa Dei absoluta invicem comparata ;* sive *inter attributa, tum absoluta tum relativa, et essentiam.*

70. I. Admitti *non potest* -1) distinctio *realis*, ut definit primo Conc. Rhemense, an. 1148, contra Gilbertum Porretanum, qui attributa absoluta inter se et ab essentia realiter distingui contendebat ; deinde vero, Conc. Lat. IV, anno 1215, contra Joachim Abb., qui distinctionem realem personarum ab essentia docere videbatur. — 2) Neque etiam, juxta communem Doctorum sententiam, admitti posse videtur distinctio *formalis ex natura rei ;* nam in Conc. Florentino definitum est *omnia in divinis esse unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio*[1]. Præterea, juxta Scoti sententiam, esset in Deo vera realis formalis compositio : nam compositio est realiter distinctorum unio ; atqui juxta Scoti sententiam, habetur in Deo unio distinctorum distinctione reali formali ; ergo habetur et compositio realis formalis ; hæc autem, quæcumque demum sit, summæ Dei simplicitati repugnare videtur [2] ; ergo.

71. II. Admitti *debet* distinctio *rationis* ratiocinatæ seu virtualis. Nam cum S. Thoma *dicendum, quod differunt nomina attributorum* (Dei) *secundum rationem, non tamen quæ sit solum in ratiocinante, sed quæ salvatur in ipsa re, secundum veritalem et proprietatem rei* [3] ; quum *ipsa una essentia* (Dei) *omnibus prædictis conceptionibus* (quibus varia attributa Dei apprehendimus) *respondeat, quasi per eas imperfecte repræsentata. Et sic omnes rationes* (conceptiones istæ) *sunt*

1 *Decret. pro Jacobitis*, sive Bulla Eugen. IV *Cantate Domino*. — 2 Cf. infra, art. 2, prop. 4, n. 96. — 3 *In lib. Sent.* l. 1, diss. 22, q. 1, art. 3 ad 4.

quidem in intellectu nostro, sicut in subjecto ; sed in Deo sunt ut in radice (fundamento) *verificante has conceptiones* [1]*: in quantum scilicet est aliquid in Deo correspondens omnibus istis conceptionibus, scilicet plena et omnimoda ipsius perfectio* [2].

72. Quod ut intelligatur considerandum est, *quod ea quæ sunt multipliciter et divisim in aliis, in ipso* (Deo) *sunt simpliciter et unite : et ex hoc contingit, quod est unus re, et multiplex secundum rationem : quia intellectus noster ita multipliciter apprehendit eum, sicut res multipliciter ipsum repræsentant* [3]. — *Et ideo nomina Deo attributa, licet significent unam rem, tamen quia significant eam sub rationibus multis et diversis, non sunt synonyma* [4], ut Nominales contendunt.

PROPOSITIO.

Admittenda est distinctio virtualis, non vero admitti potest ulla distinctio realis, 1° inter Dei essentiam ejusque attributa, sive absoluta sive relativa ; 2° neque inter attributa absoluta invicem comparata.

73. *Admittendam esse distinctionem virtualem,* ad fidem pertinet ; fluit enim ex distinctione Personarum, uti exponitur in Symb. Athan.; quare et Anomœi, sæc. IV, fuerunt ut hæretici rejecti. — *Non esse admittendam distinctionem realem,* similiter fidei proximum, vel potius de fide est ; ut patet ex Conc. Rhem., Later. IV, et Flor. modo citatis [5].

74. PROB. I PARS. *Admitti debet distinctio virtualis,* 1° generatim *ex ratione.*—Admitti debet si hujusmodi distinctio fundamentum habet in re ; atqui habet, ut modo [6] S. Thomæ verbis ostendimus. Re enim vera Deus enimenter æquivalet, -1) omnibus attributis creaturarum inter se realiter distinctis ; porro hujusmodi æquivalentia [7] fundamentum est plura in Deo attributa virtualiter distinguendi. -3) Æquivalet cuilibet perfectioni, ortæ ex complexu essentiæ creatæ et attributorum realiter ab ea distinctorum ; porro hujusmodi æquivalentia fundamentum est essentiam in Deo ab attributis virtualiter distinguendi.

75. 2° Generatim *ex Scriptura.* Si virtualis distinctio abesset, Scriptura censenda foret nugatorie loqui, ex. gr. dum dicit, modo : *Iratus est Dominus ;* modo : *Misertus est Dominus* ; hæc enim tam diversa sine ulla significationis differentia proferret.

76. 3° *Speciatim* probatur virtualis distinctio essentiam

[1] S. Thom. QQ. Disput. *De potentia,* q. 7, art. 5, in corp. — [2] *In lib. Sent.* l. 1, dist. 2, q. 1, a. 3, in corp. — [3] *Summa,* p. 1, q. 13, a. 4, ad 3.
[4] Ibid. in corp. et ad 2. — [5] Quæst. 3, n. 70. — [6] Quæst. 3, n. 71, 72.
[7] Quæst. 2, n. 68.

inter et perfectiones relativas, seu personalitates divinas. -1) Divinæ essentiæ *æquivalentia* respectu plurium re distinctorum, est, ut modo diximus, fundamentum sufficiens distinguendi in ea attributum quo æquivalet uni, ab attributo quo æquivalet alteri, et essentiam ipsam ab attributis. Ergo a pari vel a fortiori, divinæ essentiæ *identitas* cum tribus relationibus re distinctis, sufficiens fundamentum est virtualiter distinguendi essentiam, ut identificatam cum una relatione, ab essentia, ut identificata cum altera relatione; et essentiam ipsam secundum se spectatam, ab unaquaque relatione.

77. -2) Nisi admittatur distinctio virtualis inter essentiam divinam et relationes, objectio Anomœorum adversus divinitatem Verbi, satis dissolvi nequit. Dicunt enim : Divina substantia est ingenita, atqui Verbum non est ingenitum ; ergo Verbum non est divina substantia, nec *Patri consubstantiale*. Quæ conclusio hæretica est ; et tamen ex præmissis, si præfata distinctio non esset, legitime fluere videretur.

78. II PARS. *Non potest admitti distinctio ulla realis.* 1° Secus foret in Deo realis compositio, quam tamen a Deo abesse, infra *de simplicitate* Dei disserentes demonstrabimus. — 2° Patres unanimiter omnem hujusmodi distinctionem rejiciunt, consentientes cum Augustino, qui, Epist. 120 : *Nunc vero tene*, inquit, *inconcussa fide, Patrem, Filium et Spiritum S. esse Trinitatem et tamen unum Deum. Non quod sit eorum communis quasi quarta divinitas ; sed quod sit ipsa ineffabilis et inseparabilis Trinitas.*

79. NOTA. 1° Essentia physica Dei omnia attributa ejus *absoluta* et positiva, saltem implicite includit ; nimirum conceptus noster si vere essentiam exhibeat, attributa quoque confuse repræsentat [1]. Quare attributa *absoluta* sunt de essentia, seu de essentiali conceptu Dei ; et *nomina* (quibus exprimuntur), *significant substantiam divinam, et prædicantur de Deo substantialiter* [2].

80. 2° Quodvis Dei attributum divinam essentiam implicite includit : conceptus nempe divinum attributum exhibens, divinam quoque essentiam confuse repræsentat. Quare essentia Dei est de essentiali conceptu *cujusvis* attributi divini, puta sapientiæ, paternitatis, etc. [3].

81. 3° Attributa Dei *absoluta* et positiva se mutuo formaliter includunt : id est, conceptus attributi cujuslibet cætera omnia confuse repræsentat ; et ideo quodlibet attributum essentia aliorum dicendum est [4].

82. 4° Cum hujusmodi inclusione essentiali, tum attributorum

[1] Probat Suarez, t. 1, lib. 1, c. 11. — [2] S. Thom. p. 1, q. 13, a. 2. — [3] Suar. Ibid. c. 12. — [4] Suar. ib.

inter sese ac in essentia, tum essentiæ in attributis, conciliari optime potest [1] virtualis distinctio, quam inter illa intercedere demonstravimus.

ARTICULUS II.

DE ATTRIBUTIS DEI QUIESCENTIBUS.

Propositio I, *de unitate Dei.*
Propositio II, *de falsitate duplicis Manichæorum principii.*
Propositio III, *de falsitate pantheismi.*
Propositio IV, *de simplicitate Dei.*
Propositio V, *de infinitate Dei.*
Propositio VI, *de æternitate Dei.*
Propositio VII, *de immensitate Dei.*
Propositio VIII, *de immutabilitate Dei.*
Corollaria.

83. Inter attributa Dei quiescentia hæc potissimum recensentur : *unitas, simplicitas, infinitas, æternitas, immensitas* et *immutabilitas,* quæ sequentibus propositionibus vindicanda sunt.

PROPOSITIO I.

Deus est unus.

84. Dicitur Deus *unus*, hoc est, unicus, eo sensu, quod ejus natura non solum non sit multiplicata, sed multiplicari nequaquam possit. — Dupliciter enim quid unum dici potest, -1) *affirmative*, h. e, quatenus aliquid est indivisum in se et divisum a quolibet alio ; atque hoc modo res quælibet una est ; -3) *negative* seu *exclusive*, quatenus unum idem sonat ac unicum, h. e. excludens consortium cujuslibet sibi æqualis : atque ita v. g. sol unus dicitur. Hoc posteriori sensu quæritur an Deus unus sit.

85. PROB. 1° Deuteron. XXXII, 39 : *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me.* — Joan. XVII, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum.*

86. 2° Ex ratione. Tertullianus, adv. Marcion. l. 1, c. 3 : *Deus si unus non est, nullus est... Deus enim est summum magnum ; quod si fuerit aliud summum magnum, adæquabitur : et si adæquabitur jam non erit summum magnum.*

PROPOSITIO II.

Doctrina Manichæorum de duobus Principiis in se repugnat, et malorum originem non explicat.

87. PROB. I PARS. *Repugnat in se.* Nam 1° si stricte prout verba sonant systema Manichæorum intelligatur, evidenter absurdum

[1] Suar. t. 1. l. 1. c. 12.

est; siquidem ens summe malum, quale alterum ex duobus principiis ponitur, mera fictio est.

88. 2° Si mitius intelligatur, sic argumentamur. -1) Unumquodque duorum principiorum esset ens a se, ideoque Deus; atqui, ex Prop. præcedenti, duo dii esse nequeunt. Ergo. — -2) Unumquodque duorum principiorum esset ens a se; atqui ens a se, ut ex dicendis constabit, infinite perfectum est, nec proinde malum; ergo neutrum duorum principiorum esset malum.

89. II PARS. *Malorum originem non explicat.* 1° Non explicat cur sint mala mixta bonis. Etenim vel supponit principium malum efficacius esse bono: et sic minime explicat cur in mundo sint bona; vel supponit minus efficax: et sic non explicat cur sint mala; vel supponit æque efficax; et sic neutrum explicat.

90. *Confirm.* Pactio, quam quis supponeret a duobus principiis initam esse, ne alterum prohibeat alterum ab effectibus sibi consentaneis producendis, vel mala fuit vel bona. Si mala, non potuit a principio bono acceptari; si bona, sequitur -1) eam non potuisse acceptari a principio malo; sequitur -2) voluntatem permittendi, tolerandi seu non impediendi quædam mala, posse esse bonam; ac propterea originem malorum explicari posse ex deficientia causarum secundarum, permissa seu non impedita a principio summe bono [1], nec opus esse principium summe malum excogitare.

91. 2° Non explicat malorum cum bonis connexionem. Nullum enim est malum in mundo, quod in bonum converti nequeat, quodque cum bono non connectatur. Atqui malum non esset hujusmodi, si a principio summe malo procrearetur, cum præsertim juxta Manichæos, actio ejus principii mali non inferat nisi malum [2].

PROPOSITIO III.

Pantheismus, sive realisticus sive idealisticus, undequaque repugnat [3].

92. PROB. I PARS. Deus est ens infinite perfectum, omnino simplex [4]: ergo confundi cum hac rerum universitate corporea, finita, imperfectionibus scatente, nullo modo potest. Ergo absurdus est pantheismus materialis. — Nec magis confundi potest natura divina, utpote a se, necessaria et independens, cum humano genere, infirmo, contingente, physicis et moralibus miseriis obnoxio; ergo absurdus quoque est pantheismus

[1] Cfr. Amos. III, 6; — Isai. XLV, 7. — [2] S. Thom. I, p. q. 48, art. 3, in c. — Cf. et q. 22, art. 2 ad 2. — [3] Cf. Canones Concilii Vaticani *De Deo, rerum omnium creatore*, infra Tract. VII, *De creatione*, sub n. 11.

[4] Cf. Propos. sequentes, 4 et 5.

humanitarius, qui humanum genus, adæquate spectatum, loco Divinitatis constituit [1]. Ergo absurdus est omnis pantheismus realisticus.

93. II PARS. Deus est ens objectivum, reale, supramundanum, personale; ergo non est idea mere subjectiva, impersonalis, modificatio mentis humanæ. Ergo et pantheismus idealisticus absurdus est.

94. Præterea, generatim adversus pantheismum, quomodocumque conceptum, argumenta afferri possunt ex eo, quod absurdus est, impius et perniciosus in consequentiis : ponit enim Deum auctorem simul et virtutum et omnium scelerum, voluptatibus et doloribus obnoxium, stupidum simul et ingeniosum ; libertatem humanam, ac proinde omnem moralitatem ac religionem de medio tollit.

95. OBJIC. Deus est omnis seu universalis substantia, si non potest nisi unica substantia dari, eaque infinita, ac necessario existens; atqui ita est. Etenim substantia est ens quod *in se est*, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat : atqui ens quod *in se est*, etc. excludit omnem causam, omnemque limitationem ortam ab alia substantia, ac proin omnem pluralitatem ; ergo non potest nisi unica dari substantia, eaque infinita et necessaria ; ergo. — R. *Neg. min.* Ad prob. *dist.* Substantia est ens quod *in se est*, etc., nimirum, *quod per se est*, quod non indiget subjecto cui inhæreat, qua differentia essentiali secernitur substantia ab accidente, *conc.* ; nimirum, *quod a se est*, seu a se ipso existentiam habet, *neg.*

PROPOSITIO IV.

Deus est omnino simplex.

96. *De fide* ex Later. IV, cap. *Firmiter : Una in Deo essentia, substantia seu natura, simplex omnino* [2].

97. *Simplex* dicitur ens quod compositione caret. — Compositio autem est distinctorum unio ; quæ duplex esse potest : *realis seu physica*, vel *logica seu rationis.*

98. Ens est *compositum physice*, si exsurgat ex unione eorum, quæ aliqua reali distinctione inter se discernuntur. Quod quidem compositum potest esse multiplicis generis. -1) *Substantiale* vel *accidentale :* prout ex. gr. compositum ex materia et forma substantiali, puta ex corpore et anima, est substantiale ; ex corpore vero et colore, accidentale. -2) Utrumque potest esse vel *mo-*

[1] Cf. Perrone, *De Deo*, n. 235. — [2] Cf. Concil. Vatic. supra sub n. 14.

dale vel *plus quam modale* sic in creatis, compositum ex natura et subsistentia, est substantiale sed modale ; ex anima vero et corpore, est substantiale plus quam modale. -3) Iterum, utrumque potest esse vel *essentiale* vel *integrale*. Essentiale est, si ex unione oritur essentia seu natura completa, diversa ab unitis seorsim sumptis. Sic compositum ex anima et materia corporali absolute necessaria ad animationem, est substantiale essentiale. — Integrale, si ex unione exsurgit duntaxat integritas essentiæ. Sic compositum ex corpore vivente seu animato, et aliquo membro, puta pede, non absolute necessario ad animationem, est substantiale integrale ; compositum vero ex partibus quantitativis, est integrale sed accidentale.

99. Ens est compositum *logice* seu *secundum rationem*, si exsurgat ex unione eorum, quæ virtualiter seu ratione distinguuntur. Quod dupliciter fieri posse concipitur, compositione nempe, quæ vel aliquam in ente exhibeat imperfectionem, vel nullam. — Porro in creaturis compositio logica multiplex assignatur. -1) Ex gradibus, ut aiunt, metaphysicis, puta *genere et differentia* : sic humana natura logice est composita ex animalitate et rationalitate. -2) *Ex essentia* actuali *et existentia* ejus [1]. -3) Demum *ex potentia* existendi seu possibilitate *et actu* ejus seu existentia. — Hæc triplex compositio rationis, modo *logica*, modo *metaphysica* vocari solet [2].

100. Dicitur in propositione : Deus est *simplex omnino* . id est, excludens omnem compositionem, non solum physicam, sed etiam metaphysicam seu logicam.

101. PROB. I. Excluditur a Deo *compositio physica*, 1° substantialis, et omnis corporeitas : Joan. IV, 24 : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* — Isai. XL, 18 : *Cui ergo similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei ?* — 2° Removenda quoque a Deo omnis *compositio accidentalis*, quia in Deo nullum accidens reale dari potest.

102. II. Excluditur a Deo omnis *compositio metaphysica*. Etenim removenda a Deo est omnis compositio rationis, quæ exhibeat aliquam imperfectionem in ente cui inesse concipitur ; atqui compositio metaphysica exhibet in ente aliquam imperfectionem. — *Prob. min.* 1° Generatim : nam hujusmodi compositio exhibet in ente partem perfectibilem et partem perficientem ; sed hoc est quid imperfectum in ente ; ergo. — 2° Speciatim : compositio ex genere et differentia exhibet in ente limitationem aliquam, videlicet quoad gradum genericum, qui ab ente non totus exhauritur, cum possit esse communis aliis ;

[1] Juxta Thomistas aliosque, hæc compositio non logica, sed *realis modalis* est, quod Suarez refutat Metaph. t. 23, disp. 31, sect. 4, 5, 6.

[2] Nonnullæ compositiones, quæ proprie physicæ sunt, a quibusdam auctoribus etiam appellantur metaphysicæ.

compositio sive ex essentia et ex existentia, sive ex potentia et actu, exhibet contingentiam entis : ideo enim ens concipitur constans ex potentia et actu quia potest supponi non existere.

103. COROLL. Cum Deus sit una simplicissima entitas, merito statuitur hic canon : *Quidquid est in Deo, illud est ipse Deus* [1].

104. NOTA. Si quæratur utrum in Deo sit saltem aliqua compositio rationis, quæ nullam involvat imperfectionem ? Respondeo cum Suarez [2], *quoad rem* jure posse talem compositionem concipi : siquidem ubi virtualis distinctio, ibi compositio rationis ; atqui in Deo est virtualis distinctio, inter essentiam et attributa et inter attributa ipsa ; ergo et compositio rationis inter eadem.— Attamen *quoad modum loquendi*, satius esse videtur hujusmodi compositionem alio nomine *constitutionem* secundum rationem, vel logicam nuncupare [3].

PROPOSITIO V.

Deus est infinite perfectus, seu in omni genere perfectionum infinitus.

105. *De fide*, ut patet ex Conc. Lateran. IV, cap. *Firmiter*. Item, ex Vatic. Constit. *Dei Filius*.

106. Perfectum dicitur aliquid relative vel absolute : -1) *Relative*, nempe pro respectu ad suam naturam ; et sic perfectum est illud quod omnia habet, quæ suæ naturæ vel debentur vel conveniunt. Est autem triplex perfectio : *essentialis*, *integralis* et *expletiva*, prout pertinet ad rei essentiam, integritatem vel ornamentum.-2) *Absolute* perfectum est illud,quod omnes possibiles perfectiones seu realitates, sub quocumque respectu, in se complectitur.

107. *Infinitum* est id quod nullis circumscribitur terminis. Porro tribus modis potest res aliqua dici infinita, nimirum : -1) secundum quantitatem molis, -2) secundum virtutem, -3) secundum essentiam, seu ita ut infinita sit simpliciter et in omni genere perfectionis. — Deus est infinitus, non 1° modo, sed 2° per omnipotentiam, ut infra ostendetur, et 3° per absolutam perfectionem, quod hac propositione enuntiatur.

108. Sensus autem propositionis est hic : Deus in se non tantum continet omnes perfectiones possibiles, sed easdem habet in gradu summo ac infinito ; ita ut sit tum extensive tum intensive infinitus : quæ proprietas infinita perfectio, infinitudo in toto genere entis, vel simpliciter *infinitudo* vocatur.

109. PROB. Ps. CXLIV, 3 : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* [4].

110. Idem demonstrat ratio. Deus enim est ens a se et neces-

[1] Cf. S. Thom. p. 1, q. 3, art. 7. — [2] Tom. 1, *De Deo*, l. 1, c. 4, n. 8
[3] Tom. 23, Metaphys. disp. 30, sect. 4, n. 29 et 35.
[4] Cf. Isai. XL, 12, seqq. — Item supra, cap. 1, art. 2, quæst. 4, n. 59.

sarium; atqui quod est a se et necessarium, est *ipsum esse subsistens;* quod autem est ipsum esse subsistens, omnia habet quæ sunt de ratione entis: perinde ac si albedo, non in aliquo albo, sed in se subsisteret, nihil ei de virtute vel ratione albedinis deesse posset; — ergo Deus habet omnia quæ sunt de ratione entis; ergo habet plenitudinem entitatis, vel quod idem est, infinitudinem perfectionis; ergo est infinite perfectus [1].

PROPOSITIO VI.

Deus est æternus.

111. *De fide*, ex eodem cap. *Firmiter*, et Vatic. *Dei Filius*, item ex Symbolo Conc. Nicæni I, in fine.

112. *Æternum* dicitur, 1° sensu *lato*, id quod initium habet et fine caret, ut anima humana. — 2° Sensu *minus lato*, id quod initio et fine caret, et si idem absolutam necessitatem existendi non habeat: ut actus terminative contingentes in Deo, decretum creandi mundum, etc. — 3° Sensu *stricto et proprio*, id æternum est, quod est *absolute necessarium, initio et fine carens*, ut ipsa divina essentia.

113. *Æternitas* passim definitur: *Duratio sine principio, sine fine, sine mutabilitate aut successione.* — A sancto Thoma post Boetium definitur: *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio* [2].

114. Æternitas differt a tempore, sicut immotum a mobili, sicut axis a rota quæ circumvolvitur. *Tempus et temporalia omnia*, inquit Lessius [3], *sunt sicut flumen quoddam, æternitas sicut rupes firmissima, sub qua flumen raptim transit; et quemadmodum tempus est* NUNC *volans, ita æternitas est* NUNC *stans. Est enim æternitas similis puncto, circa quod describitur circulus: sicut punctum illud respondet toti circumferentiæ et singulis ejus punctis, ita æternitas respondet et assistit toti tempori et singulis ejus momentis.*

115. PROB. 1° Ps. LXXXIX, 2: *Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis; a sæculo et usque in sæculum tu es, Deus* [4].

116. 2° Suffragatur ratio. Deus est ens necessarium et infinite perfectum; ergo omnem durationem uno actu infinito complecti debet. Deus enim, utpote perfectissimus, est merus actus; ergo nihil ipsi competere potest quod non sit in actu; ergo non potest formaliter esse in Deo præteritum aut futurum, sed præsens, quo omni temporis differentiæ immobiliter coexistit. Quare nomen ejus: *Ego sum qui sum.*

[1] Cf. S. Thom. *Contra gent.* l. 1, c. 28; *Summa*, I p. q. 3 et 4. — Lessius, *De div. perfect.* lib. 1. — [2] I p. q. 10, art. 1. — Suar. loc. cit. cap 5.
[3] *De div. perf.*, lib. 4, c. 3. — [4] Cf. Hebr. I, 10 seqq.

PROPOSITIO VII.

Deus est immensus, rebusque omnibus et locis substantialiter præsens.

117. *De fide*, ex eodem cap. *Firmiter*, et Vatic.

118. Sicut æternitas se habet ad tempus, ita immensitas se habet ad locum. — *Immensitas* Dei est incircumscripta ejus diffusio, non per partes, sed ut ita dixerim, per totalitates, quod insinuat Cyprianus cum ait : *Deus unus est, et ubique totus diffusus* [1].

119. *Immensitas* latius patet quam *ubiquitas*. Immensitate Deus non tantum præsens est omnibus locis, rebusque existentibus ; sed iis quæ creari possent, necessario inexisteret. — Ubiquitas autem est actualis Dei præsentia, seu in omnibus rebus et locis inexistentia. Immensitas ergo ab ubiquitate differt sicut actus primus ab actu secundo, remotis tamen quibusvis imperfectionibus.

120. Porro Deus est ubique per *potentiam*, per *scientiam* et per *substantiam*. — Tripliciter autem res aliqua potest esse in loco per substantiam: *circumscriptive, definitive, redundanter*. — 1° Circumscriptive, quando res per diversas sui partes respondet totidem loci partibus, ita ut ulterius non extendatur. Hic existendi modus convenit solis corporibus. — 2° Definitive, quando res tota est in toto loco et tota in qualibet parte loci, ita ut existentia locati non excedat locum. Hic existendi modus convenit spiritibus finitis, ut animæ humanæ in suo corpore. — 3° Redundanter, quando res tota est in toto loco, et tota in qualibet parte loci, nec a loco definitur, sed etiam extra illum existit. Tali modo fere est lux in crystallo ; eminentissime autem Deus immensus, in singulis creaturis [2].

121. PROB. 1° Jerem. XXIII, 23 : *Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus ? et non Deus de longe ? Si occultabitur vir in absconditis : et ego non videbo eum ? dicit Dominus. Nunquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus* [3] ?

122. 2° Chrysostomus in Ps. CXII, hæc verba interpretans : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat et humilia respicit in cœlo et in terra:* ita loquitur : *Deus non tanquam cœlo inclusus respicit eminus quæ fiunt in terra, sed ubique præsens et omnibus assistens.*

123. 3° Idem deducit ratio ex Dei infinita perfectione.

[1] Lib. *Quod idola dii non sint*. Cf. Lessius, op. cit. l. 2. — [2] Cf. Huj. op. t. 2, tract. *De Euchar*. Part. I, cap. 1, art. 2, n. 145 seqq.
[3] Cf. Ps. CXXXVIII, 7, seqq. ; Act. XVII, 27, 28.

PROPOSITIO VIII.

Deus est omnino immutabilis.

124. *De fide*, ex eodem cap. *Firmiter*, et Concilio Vatic. ; idem ex Symb. Nicæno. I, in fine.

125. Quemadmodum in præcedentibus Dei essentiam ab omni limite temporis et spatii independentem probavimus ; ita nunc eamdem ab omni vicissitudine mutationis immunem esse ostendemus.

126. *Immutabilitas* est *negatio transitus de statu in statum ;* aut etiam : *exclusio mutationis*, unde immutabile illud dicitur proprie, quod aliter non potest se habere ac est.

127. Porro duplex mutatio et mutabilitas distinguitur : *realis* seu intrinseca, et *nominalis*, seu extrinseca. — Quæstio præsens de Deo respicit mutationem realem, a Divina natura prorsus removendam.

128. PROB. 1° Malach. III, 6 : *Ego Dominus, et non mutor.* — Jac. I, 17 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

129. 2° Idem testantur Patres unanimes. Augustinus : *Opera mutas, nec mutas consilium*. Confess. l. 1, c. 4.

130. Accedit ratio. Deus est actus purus, id est, nullo modo in potentia ; quidquid autem mutatur est aliquo modo in potentia, relate ad illud in quod mutatur ; ergo Deo nulla mutatio competere potest. — Mutatio intrinseca supponit compositionem rei, quæ successive est sub diversis terminis, uno recedente et altero accedente ; ergo Deo competere non potest. — Mutatio fieret vel in melius vel in deterius, vel in æquale ; nil autem horum convenire potest enti perfectissimo ; ergo [1].

131. Idipsum quidam ex antiquis Philosophis cognovisse se ostenderunt, cum statuerent *primum principium esse immobile*. Quod eleganter expressit Boetius de Deo dicens :

... immotusque manens dat cuncta moveri.

COROLLARIA.

132. Ex attributis modo probatis quædam alia deduci possunt: nimirum, 1° Deum esse *ens primum* et aliorum originem. — 2° Deum esse *ens supremum et independens*. — 3° Deum esse *summum bonum in se, summamque pulchritudinem atque amabilitatem*. — 4° Deum esse *summe beatum sibique sufficientissimum*. — 5° Deum esse omni modo *incomprehen-*

[1] Cf. S. Thom. I p. q. 9, art. 1. — Suarez, tom. 1, tract. 1, lib. 2, c. 3.

sibilem : loco, tempore, intelligentia et amore. — 6° Deum esse *ineffabilem*, seu ut S. Gregorius Naz. in quodam carmine dicit, *innominabilem et omninomium*. — 7° Deum esse *invisibilem*, non tantum oculo corporeo, sed etiam oculo intellectuali creato nisi lumine gloriæ illustretur [1]. — 8° Deum esse *fontem vitæ et vitam ipsam*. Est *vita ipsa*, hoc est, ex essentia sua habet omne id quod est vita, seu *vitæ plenitudinem :* sicut est *ipsum esse*, quia habet ex essentia sua plenitudinem entitatis. Dicitur autem Deus *esse vita*, non vero *habere vitam*, quia vita ipsi competit ex essentia ; quidquid autem entis essentiam constituit, illud est ipsum ens. Ex. gr. cum hominis essentia constituatur corpore et anima substantialiter unitis, recte homo illud compositum esse dicitur. Similiter cum plenitudo vitæ sit Dei essentia, recte Deus dicitur esse vita ipsa : Ps. XXXV, 10 : *Quoniam apud te est fons vitæ ;* — Joan. XIV, 6 : *Ego sum veritas et vita* [2].

ARTICULUS III.

DE ATTRIBUTIS DEI OPERATIVIS, SEU FACULTATIBUS DIVINIS.

133. Attributa Dei operativa tria sunt, quæ in homine participata inveniuntur : *intelligentia*, *voluntas*, *potentia*. Dicuntur *operativa*, vel *facultates*, quia ad instar facultatum quæ principia sint omnium operationem Dei, a nobis concipiuntur.

134. Duplex distinguitur in Deo *operatio:* interna et externa. Operatio *interna*, sive *ad intra*, vocatur ea, cujus terminus manet in ipso Deo : hujusmodi sunt operationes productivæ divinarum Personarum. — Operatio *externa*, sive *ad extra*, est illa, cujus terminus sunt entia a Deo distincta, ut creatio mundi.

135. Jam vero attributa quæ sunt principia operationum Dei ad extra, et hic præcipue a nobis considerari debent, omnia summatim uno concludi possunt vocabulo, *providentiæ*, latissime sumptæ ; cujus partes præcipuæ sunt : creatio, conservatio, gubernatio mundi, et quæ ad hanc gubernationem tum in physico, tum in morali ordine, sive naturali sive supernaturali, pertinent ; legislatio, ad legem servandam opitulatio, quo spectat gratiæ dispensatio ; demum legis per retributionem sanctio. — Attamen cum in hoc systemate attributa *physica* et *moralia* permisceantur ; nos claritatis causa, de utrisque separatim, et prius quidem de attributis physicis agemus, sequentibus quæstionibus.

[1] Suar. tom. 1, tract. 1, lib. 2, cap. 6, seqq. — Huj. op. tom. 2, tract. *De novissimis*, n. 93. — [2] Cf. S. Thom. I, p. q. 3, a. 3 ; q. 4, a. 2. — Item cf. opus supra laudatum Leonardi Lessii. *De perfectionibus moribusque divinis.*

QUÆSTIONES.

1o *An et qualis datur in Deo intellectus?* — 2o *Quænam datur in Deo scientia?* — 3o *Quomodo scientia Dei est efficax et causa rerum?* — 4o *Quænam quæstiones circa scientiam Dei moveri solent?* — 5° *Ad quæ objecta scientia Dei extenditur?* — 6o *Quomodo scientia Dei dividitur?* — 7o *Quid vocatur medium scientiæ divinæ?* — 8o *An datur in Deo voluntas?* — 9o *Quotuplex in Deo voluntas distinguitur?* — 10o *An voluntas Dei est libera?* — 11o *Quid est omnipotentia, et an hæc vere Deo competit?* — 12o *An vi omnipotentiæ semper impletur divina volunias?* — 13o *An Deus necessario operatur ad extra, et in operando necessitatur ad optimum?* — 14o *An reipsa Deus potuit facere meliora iis quæ fecit?*

136. QUÆR. 1° *An et qualis datur in Deo intellectus?* — R. Deus, utpote summe perfectus[1], perfectione intellectus carere non potest. Ps. CXXXV, 5 : *Qui fecit cœlos in intellectu.* — Ps. CXLVI, 5 : *Sapientiæ* (hebraice *intelligentiæ*) *ejus non est numerus*[2].— Est autem intellectus Dei infinitus, incomprehensibilis, et prorsus infallibilis. — De intellectu, deque operationibus ejus, primo loco agimus, quia *intellectus* concipitur ut *voluntatem* et *potentiam* præcedens.— Porro operatio seu actus præcipuus intelligentiæ est *scientia.*

137. Q. 2° *Quænam datur in Deo scientia?* — R. *Deus scientiarum Dominus est.* I. Reg. II, 3. Scientia itaque Dei est infinita, æterna, immutabilis, intuitiva, non discursiva sed immediata, realiter unica, virtualiter multiplex, efficax, et causa rerum [3].

138. Q. 3° *Quomodo scientia Dei est efficax et causa rerum?* — R. Dei scientiam esse aliquo modo efficacem et rerum causam, fide certum est, utpote in Scripturis expresse contentum. Disputatur autem circa modum quo Dei scientia causa rerum est. Duplex datur sententia, altera Thomistarum, altera cæterorum Theologorum.

139. Thomistæ, a S. Thoma hic discedentes, statuunt, scientiam Dei esse causam rerum *adæquatam*, scilicet *formalem* et *efficientem*, quatenus est principium immediatum, proximum ac totale productionis rerum ; eamque esse scientiam visionis.

140. Cæteri Theologi tenent, scientiam Dei esse rerum causam tantum *inadæquatam*, *partialem*, *mediatam ;* eamque esse scientiam simplicis intelligentiæ, quatenus ut directrix ac exemplaris, voluntati potentiam executivam applicanti prælucet, ipsamque per modum prudentiæ et artis dirigit. Quæ posterior sententia solidis firmatur argumentis. Ps. CIII, 24 : *Omnia in sapientia fecisti.* — Sap. VII 21 : *Omnium artifex sapientia.* — Jerem. X, 12 : *Præparat orbem in sapientia sua, et pru-*

[1] *Intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitus.* Concil. Vatic.
[2] Cf. Sap. VII, 22. — [3] S. Thom. 1 p. q. 14, art. 7.

dentia sua extendit cœlos. — S. Augustinus : *Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia.* Tract. I in Joan. — Suffragatur ratio : sicut enim scientia artificis est causa rerum quæ arte fiunt, ita scientia Dei rerum creatarum causa dici potest [1]. Scilicet ut sapiens artifex, Deus operatur secundum mentis ideam, quæ ad simplicem intelligentiam pertinet. Ideam enim, seu exemplar internum, voco formam mente conceptam, ad cujus similitudinem res facienda est. Porro in Deo, utpote intelligenter operante, hujusmodi ideæ admittendæ sunt. Imo dicendum est, *omnium rerum ideas seu formas exemplares, in mente divina existere. Quæ quidem, licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen non sunt realiter aliud a divina essentia, prout ejus similitudo a diversis participari potest diversimode* [2].

141. Q. 4° *Quænam quæstiones circa scientiam Dei moveri solent ?* — R. Præter quæstionem de scientiæ Dei existentia et proprietatibus, quæ jam solutæ sunt, proponuntur tres sequentes : -1) quæ sint objecta, -2) quæ divisio, -3) quod medium scientiæ divinæ.

142. Q. 2° *Ad quæ objecta scientia Dei extenditur ?* — R. Ad omnia cognoscibilia. Etenim scientia Dei cum infinita sit, id omne complectitur quod quoquo modo cognoscibile est ; hujusmodi autem est quidquid aliquam entitatem habet, sive existens hæc sit, sive possibilis, imo ipsæ negationes, ipsi defectus. Unde in specie, Deus perfectissime cognoscit -1) *seipsum*, I Cor. II, 10 : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* — 2) Omnia *possibilia*, Rom. IV, 17 : *Vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt.* — 3) Omnia *creata*, etiam singillatim, præterita, præsentia et futura, Hebr. IV, 13 : *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus ; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* — 4) Omnes *actiones* creaturarum actu existentes, et ipsas hominis cogitationes, Ps. VII, 10 : *Scrutans corda et renes Deus.* — Eccli. XXIII, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.* — 5) Omnia *absolute futura*, tam libera quam necessaria, Eccli. XXIII, 29 : *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* — Ps. CXXXVIII, 2 : *Domine... intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam et funiculum meum investigasti ; et omnes vias meas prævidisti* [3]. — 6) Omnia *conditionate*

[1] P. 1, q. 14, art. 8. — Suar. tom. 1, tract. 1, lib. 3, cap. 4 ; et tom. 6, Prolog. 2, c. 10. — [2] S. Thom. 1 p. q. 44, art. 3 ; q. 15, art. 1. — Cf. P. Liberatore, *Della conoscenza intellettuale*, parte 2, c. 8, *Dell' essemplarismo divino.*

[3] *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quæ libera creaturarum actione futura sunt.* Concil. Vatic. — Quomodo præscientia Dei non officiat humanæ libertati, vid. t. 2, *De Gratia*, c. 1, art. 4, prop. 6, *obj.* n. 254.

futura, I Reg. XXIII, 12 : *Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui sunt mecum, in manus Saul ? Et dixit Dominus : Tradent.* — Matth. XI,21 : *Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida : quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent*[1].

143.Q.6° *Quomodo scientia Dei dividitur?* — R. Scienta Dei, seu actus quo Deus certo et perfecte omnia cognoscit, licet in se, seu ratione entitatis quam habet, sit simplicissima et indivisibilis ; in ordine tamen ad objecta circa quæ versatur, et ad rationes formales sub quibus diversa objecta attingit, multipliciter dividitur : 1) Quidem in *speculativam* et *practicam*, prout objecta attingit, circa quæ Deus vel nihil vel aliquid operatur. -2) In *necessariam*, quæ omne decretum Dei liberum antecedit; et *liberam*, quæ decretum a Deo libere positum subsequitur, atque res quascumque præteritas, præsentes et futuras respicit. -3) In scientiam *approbationis*, qua Deus cognoscit bona quæ approbat ; et *improbationis*, qua ea cognoscit quæ improbat, nempe peccata. -4) In scientiam *simplicis intelligentiæ*, scientiam *visionis* et scientiam *mediam*. Scientia simplicis *intelligentiæ* illa est, quæ versatur circa res possibiles, sub ratione præcisa possibilitatis, abstrahendo ab omni earum futuritione et existentia, quæque omne decretum Dei antecedit ; hæc scientia *necessaria* est. — Scientia *visionis* seu *intuitiva*, ea est quæ versatur circa res existentes, et ideo decretum Dei supponit : quia nihil, in quavis temporis differentia, existit independenter a Dei voluntate, saltem permittente ; hæc scientia, utpote a libera Dei voluntate pendens, *libera* est.

144. Præter scientiam simplicis intelligentiæ et scientiam visionis, theologi Thomistæ, et ii omnes qui præmotiones physicas[2] de se efficaces, seu cum actibus liberis infallibilliter ex natura sua connexas, ad omnes et singulos actus necessarias esse propugnant ; nullam agnoscunt scientiam mediam, voluntque divisionem scientiæ Dei in duas prædictas species, esse adæquatam. Contra, Molina, Suarez, et alii plerique Theologi, qui cum iis motiones divinas, ex natura sua cum consensu voluntatis creatæ infallibiliter connexas, ut inutiles et noxias libertati rejiciunt ; admittendam esse *scientiam mediam* validis argumentis contendunt. — Est autem scientia media *scientia conditionale futurorum, qua Deus videt id quod esset futurum, si non poneretur ulla conditio ex natura sua cum hujusmodi effectu connexa, sed tantum aliqua conducens ad effectum producendum;* ut, exempli gratia : Tyrii et Sidonii conversi fuissent, si miracula Christi vidissent, nulla alia con-

[1] Cf. S. Thom. 1 p. q. 14, a. 3. — [2] Cf. hujus operis tom. 2, tract. *De Gratia*, cap. 1, art. 3, *Systemata de Gratiæ efficacia*, n. 199.

ditione posita, quæ cum conversione illa essentialiter connecterentur : cujusmodi conditio esset decretum prædeterminationis conferendæ, ad mentem Thomistarum [1].

145. Q. 7° *Quid vocatur medium scientiæ divinæ ?* — R. Cognitiones distinguuntur duplicis generis : *immediatæ* et *mediatæ*. Immediata cognitio est, quando intellectus objectum in se ipso attingit ; mediata, quando illud attingit per aliquod medium. Porro *medium* scientiæ est id in quo, quasi in signo vel causa, videtur res. Ita speculum est medium per quod imaginem nostram conspicimus ; ita etiam, telescopium est medium per quod abscondita in spatio astra cernimus ; et in ordine logico, prima principia seu axiomata sunt media quibus in conclusionis notitiam devenimus.

146. Jam vero si quæritur in quo Deus videat objecta scientiæ suæ : distinguenda sunt varia divinæ scientiæ objecta, quæ in primis bifariam dividuntur : sunt enim vel Deus ipse, vel res a Deo distinctæ.

147. Quod spectat ad primum, omnes Theologi unanimiter docent, Deum semetipsum sine medio, i. e. in semetipso videre et comprehendere.

148. Ad secundum quod attinet, omnes pariter admittunt, Deum cognoscere alia a se cognitione propria, quæ singula distincte repræsentet : cognitione scilicet independenti a rebus creatis, secundum illud Hebr. IV, 13 : *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* Neque tantum res singulas a Deo cognosci, sed etiam omni modo cognosci quo cognoscibiles sunt, consentiunt Theologi. — De modo autem, seu potius de medio cognoscendi determinando, non consentiunt.

149. Juxta sententiam quæ passim Thomistis placet, Deus videt possibilia in semetipso ut in causa; res vero existentes vel absolute exstituras, non tamen a creaturæ libertate pendentes, intuetur in divina sua essentia ut in earum causa effectrice. — Objecta libere et absolute futura, tum naturalia tum supernaturalia, cognoscit in suis decretis physice prædeterminantibus, pro utroque statu naturæ, innocentis nempe et lapsæ ; cum Deus sit prima causa, primum movens et agens. Peccata vero, Deus videt in decreto permissivo quoad malitiam, præmovente, juxta plures, quoad entitatem, seu actum materialem, et physicum. — Libere vero sed conditionate futura, i. e. *futuribilia*, Deum prospicere dicunt in decretis suis subjective absolutis, et objective conditionatis [2].

[1] Theol. Wirceb. *De intell. Dei*, cap. 2. a. 2. — Suarez, t. 6, proleg 2, cap. 1 et seqq. — [2] Cf. Gotti, op. t. 1, tract. 4, dub. 2, § 1 ; item Cercia, t. 3, *De Gratia*, proleg. 4, lect. 2.

150. Theologi non Thomistæ, et ipsi in diversas abeunt sententias ac placita, ex quibus nobis sequentia probantur.

151. -1) *Res possibiles* Deus videt, tum in divina essentia tanquam in causa, tum in Verbo tanquam in repræsentatione, tum in rebus ipsis, quandoquidem in se propriam cognoscibilitatem habent.

152. Quæ ut rite intelligantur tria sunt notanda. *a)* In creaturis possibilibus potest considerari duplex esse, nempe esse proprium, quod haberent si producerentur ; et esse increatum seu pure eminentiale, quod dicuntur habere in Deo, quodque juxta Augustinum in Deo vita est : *Quod factum est, in ipso vita erat.* Joan. I. — *b)* Creaturas videri in Verbo, est videri seu cognosci in divina essentia, quatenus est manifestativa rerum a se distinctarum. Quod licet sit toti Trinitati commune, quia tamen est opus divinæ sapientiæ, ideo a Patribus Verbo appropriari solet. — *c)* Creaturæ possibiles qua tales, terminant divinam cognitionem, non solum secundum esse eminentiale quod habent in divina essentia, sed etiam secundum esse proprium quod haberent, si ponerentur extra causas.

153. -2) Creaturas *existentes* vel *certo exstituras* Deus cognoscit, non tantum in divina essentia tanquam in causa exemplari, tanquam in medio ratione prius cognito ; sed etiam immediate in seipsis, seu absque medio. Videlicet creaturæ existentes divinam cognitionem formaliter terminant secundum esse proprium, quod habent extra Deum, ut diximus de possibilibus.

154. -3) *Contingentia* libera, sive absolute sive conditionate *futura*, videntur a Deo, tum immediate in conditionata eorum existentia, ut objecto cognoscibili ; tum in voluntate entium finitorum, quatenus Deus, propter intellectus sui perspicacitatem et infinitam vim, voluntates finitas supercomprehendit. Hæc enim omnia intellectui infinite cognoscitivo tribuenda sunt [1].

155. Q. 8° *An datur in Deo voluntas?* — Resp. affirmative : voluntas enim est perfectio simpliciter simplex, ergo in Deo invenitur ; existit in creaturis imperfecta, ergo in Creatore est perfectissima. Ps. CXIII, 11 : *Deus noster in cœlis, omnia quæcumque voluit fecit.* — Luc. XXII, 42 : *Pater... non mea voluntas, sed tua fiat.*

156. Q. 9° *Quotuplex in Deo voluntas distinguitur?* — R. A parte rei est unica, quemadmodum unica est natura divina, a qua realiter non distinguitur. Secundum autem nostrum concipiendi modum, multiplex est, et in voluntatem *beneplaciti* et voluntatem *signi* dividitur [2]. — Voluntas quæ dicitur *permissiva*, quaque Deus creaturarum peccata, et inde consequentes

[1] Cf. Platelium, *Synops. theol.* De Deo, n. 78, seqq. — Suarez, tom. 6, prolog. 2, cap. 7. — Lessius, *De div. perf.* lib. 6, de Sap. div.
[2] Suarez, tom. 1, tract. 1, l. 3, cap. 6, 7, 8.

miserias existere sinit, immerito voluntas appellatur; mala enim ista Deus non *vult*, sed solum *tolerat*.

157. *Voluntas beneplaciti* est ipsa volitio, qua Deus aliquid vult vel non vult : hæc est proprie dicta voluntas Dei intrinseca. Subdividitur dupliciter : 1) in antecedentem et consequentem : 2) in absolutam et conditionatam. — Voluntas Dei *antecedens* est ea, qua aliquid vult secundum se spectatum, abstrahendo a circumstantiis quæ illi adjungi possunt. Sic voluntas, quæ fertur in hominum salutem secundum se spectatam, est antecedens. Voluntas *consequens* est ea, qua Deus vult simpliciter et absolute aliquam rem, circumstantiis suis particularibus vestitam. Sic voluntas, qua vult hominem in impœnitentia finali morientem damnari, est consequens ; quia fertur in damnationem spectatam, non secundum se, sed secundum particularem circumstantiam mortis absque pœnitentia. — Voluntas *absoluta* est ea, quæ a nulla conditione pendet : talis est voluntas de mundo creando. Hæc semper est efficax. — *Conditionata*, est ea, quæ ab aliqua conditione ex parte creaturæ liberæ pendet; unde non semper est efficax, quia conditio requisita non semper ponitur.

158. *Voluntas signi* est signum quoddam externum Dei volitionem declarans. Sic mandata Dei dicuntur voluntas ejus, Matth. VII, 21 : *Qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum*. Hæc voluntas signi est voluntas metaphorica, Deoque extrinseca. Distinguitur quintuplex : *præceptum*, *prohibitio*, *permissio*, *consilium* et *operatio*, *seu exemplum*.

159. Q. 1° *An voluntas Dei est libera?* — R. Liberrima est in operibus ad extra, ut testatur Apostolus, Eph. I, 11 : *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*. Quod et confirmat ratio, quæ enti perfectissimo perfectissimam libertatem tribuendam esse pronuntiat.

160. Hic autem magna occurrit difficultas, cum libertas Dei ejus immutabilitati et necessitati adversari videatur. Quæ duo ut inter se componant Theologi, varias ineunt vias, varias proponunt sententias, quæ utut acutæ, mysterii tamen profunditatem non penetrant. Juxta mentem Suaresii [1], volitiones Dei liberæ sunt adæquate identificatæ cum Deo : ita tamen ut, licet Deus necessarius sit, volitiones tamen illæ deficere potuissent : non quidem consequenter, seu ex suppositione quod jam existant, sed antecedenter, in primo signo libertatis divinæ, consideratæ in actu primo. Et quidem in hoc signo deficere potuissent tantum terminative non vero entitative : id est, potuisset quidem nunc existere illa volitionis terminatio ad creaturas, quæ non existit ; ipsa vero volitionis entitas, non potuit non existere.

[1] Tom. 1, tract. 1, l. 2, cap. 3; *Metaphys.* t. 23, disput. 30, sect. 9, n. 35-40.

161. Q. 11° *Quid est omnipotentia, et an hæc vere Deo competit?* — R. Omnipotentia est in Deo vis faciendi omnia quæcumque cum ipsius attributis non pugnant. Hanc Dei omnipotentiam inter primos fidei articulos confitemur : *Credo in Deum Patrem omnipotentem ;* hanc quoque Scriptura singulis fere paginis testatur ; ut Ps. CXXXIV, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cœlo et in terra, in mari et omnibus abyssis.*

162. Q. 12° *An vi omnipotentiæ semper impletur divina voluntas?* — R. Distinguendum est : 1) voluntas *signi* non semper impletur ; nam multi comtemnunt Dei consilia, ejusque mandatis non obediunt. 2) Voluntas Dei *antecedens* et *conditionata*, non semper impletur : nam hac voluntate vult omnes homines salvos fieri ; sed re non omnes salvantur, quia conditionem quæ a Deo simul et ab hominis libera cooperatione pendet, non omnes ex sua parte implent. 3) Voluntas Dei *consequens* et *absoluta*, semper impletur : de ea intelligi debet Isai. XLVI, 10 : *Annuntians ab exordio novissimum, et ab initio quæ necdum facta sunt, dicens : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.*

163. Quod autem, non impleta voluntate divina, non ideo vincatur Dei omnipotentia, facile intelligitur, cum in hujusmodi casu Deus impletionem revera, seu absolute et efficaciter non velit.

164. Q. 13° *An Deus necessario aliquid operatur ad extra, et in operando necessitatur ad optimum?*—Resp. ad primum, negative : Deus enim, ut dictum est, in operando ad extra perfectissime liber est et independens[1].—Ad secundum, item resp. negative : quia ex una parte, Deus liber est in eligendo gradu bonitatis, quem creaturis tribuere velit ; et ex altera parte, cum res creabiles habeant bonitatem finitam seu potius indefinitam, vix concipitur quid sit illud optimum, ultra quod nihil melius dari possit.

165. Q. 14° *An reipsa Deus potuit facere meliora iis quæ fecit?* — R Sunt quæ meliora *in suo genere* facere non potuit, qualis v. g. est unio hypostatica, dignitas maternitatis Dei, ultimus finis et formalis beatitudo hominis, qui est ipse Deus intuitive videndus ; alia autem ut corpora terrena et cœlestia, facere potuit perfectiora. — An vero quoad ordinem et harmoniam rerum, in quo bonum universi consistit, meliora condere potuerit, incertum est ; at cum Suaresio dicendum videtur : *In thesauris divinæ omnipotentiæ, multi ordines contineri possunt : et fortasis alius esset simpliciter melior, licet in ordine ad finem a Deo intentum, hic fuerit optimus. Semper tamen credendum est, Deum juxta finem sibi præstitutum, optima omnia facere quæ facit* [2].

[1] Cf. Concil Vatic. *De Deo Creatore*, can. 5, infra, tract. VII, sub n. 11.
[2] Tom. 1, tract. 1, lib. 3, cap. 9.

ARTICULUS IV.

DE ATTRIBUTIS MORALIBUS.

166. Inter attributa moralia, quæ sunt perfectiones in ordine morum et quasi virtutes Dei, præcipua sunt : sapientia, bonitas, providentia, veracitas, misericordia et justifia ; quæ asserentur ac dilucidabuntur sequentibus propositionibus.

Propositio I, *de Dei sapientia.*
Propositio II, *de Dei bonitate, charitate et sanctitate.*
Propositio III, *de voluntate Dei salvandi omnes saltem fideles.*
Propositio IV, *de voluntate Dei salvandi etiam infideles adultos. — Objectiones.*
Propositio V, *de voluntate Dei salvandi etiam parvulos.*
Propositio VI, *de providentia Dei.*
Propositio VII, *de veritate Dei.*
Propositio VIII, *de infinita Dei misericordia et justitia.*

PROPOSITIO I.

Deus est infinite sapiens.

167. *De fide*, utpote ex Scriptura et Ecclesiæ doctrina manifeste patens.

168. *Sapientia*, si *stricte* sumatur, est notitia veritatis, non quæcumque, sed per supremas et primas causas. Hujusmodi perfectio continetur in infinita Dei scientia, de qua supra egimus.

169. *Sensu latiore* et communiore [1], sapientia non tantum cognitionem includit, sed etiam operationem cognitioni consentaneam. Sapientis enim est considerare finem rerum, et ad finem attingendum res convenienter ordinare et gubernare. — Secundum hunc sensum, quem in propositione sequimur, sapientia divina describi potest : immutabilis Dei voluntas agendi juxta dictata suæ infinitæ intelligentiæ ; seu summus amor ordinis, quo fit, ut Deus fines naturæ suæ perfectioni respondentes, non tantum intendat [2], sed etiam perfectissime per media optima assequatur. — Sapientia quasi media est, inter naturales spiritus proprietates seu facultates, quas modo exposuimus, et morales, quas jam exposituri sumus. Complectitur enim scientiam perfectissimam, et summam voluntatis rectitudinem ; unde sæpe in Scriptura, sapientiæ nomen non aliud quam scientiæ et bonitatis complexionem designat.

170. PROB. Ps. CXLVI,5 : *Magnus Dominus noster et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus.*—Sap.VIII,1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* [3].

1 S. Thom. *Contra Gentes*, t. I, c. 1. — 2 Cf. Prov. XVI.
3 Cf. Rom. XI, 27.

PROPOSITIO II.

Deus est infinite bonus et sanctus.

171. *De fide*, sicut propositio præcedens.

172. *Bonitas* distinguitur alia *naturalis*, quæ in ipsa naturæ excellentia consistit ; alia *moralis*, quæ est liberæ voluntatis cum recta ratione conformitas ; alia *relativa*, quæ est propensio aliis impertiendi bona, et *benignitas* ac *beneficentia* dicitur.

173. Hic agitur de bonitate Dei relativa, quæ recte definiri potest : *Constans Dei voluntas communicandi felicitatem suis creaturis, secundum conditionem earum, et consilia sapientiæ suæ.* — Hæc Dei bonitas non raro vocatur *charitas* a principio bonitatis relativæ, quod est divinus amor seu charitas, quæ non secus ac bonitas est communicativa sui [1]. Alia quoque induit nomina, pro variis creaturarum, quas respicit, conditionibus. Quando creaturis non merentibus bona dividit, *gratia* est ; quando miseris et indigentibus succurrit, *misericordia*, etc.

174. *Sanctitas*, quæ idem fere sonat ac *bonitas moralis in gradu excellenti*, generatim describi potest : *Constans amor recti, et voluntas omnes actiones suas ad normam legis et honestatis perfectissime componendi :* quod importat constans iniquitatis odium, et immunitatem a peccato.

175. In creaturis spectata, sanctitas est vel *naturalis* vel *supernaturalis*, prout oritur vel a viribus naturalibus, vel a gratia sanctificante, quæ et ipsa, ratione effectus sui, non raro sanctitatis nomine designatur.

176. Sanctitas divina definiri potest : *Immutabilis Dei voluntas conformiter perfectionibus suis agendi ;* vel etiam, summus amor boni et odium peccati.

177. PROB. 1° Ps. CXVII, 1 : *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* — I Joan. IV, 16 : *Deus charitas est.* — Argumenta bonitatis Dei sunt innumera beneficia ejus ; imo ipsa etiam mala permittendo, Deus secundum bonitatem suam agit : *Diligentibus* enim *Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. VIII, 28.

178. 2° Quod ad sanctitatem spectat. Deus in Scriptura tanquam fons et exemplar omnis sanctitatis exhibetur : Isai. VI, 3 : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum.* — Levit. XIX, 2 : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* — Hab. I, 13 : *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum ; et respicere ad iniquitatem non poteris.* — Luc. I, 49 : *Sanctum nomen ejus.*

[1] Lessius, *De div. perf.* lib. 9, c. 1, 2.

PROPOSITIO III.

Deus vult salvos fieri, voluntate beneplaciti seria et antecedente, non tantum prædestinatos, sed alios quoque, saltem fideles ; et Christus pro iis sanguinem fudit.

179. *De fide*, ut patet ex Symbolo, quo omnes fideles id credere debent dicentes : *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de cœlis.* — Item ex damnata Prop. 5 Jansenii : *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse aut sanguinem suum fudisse ;* quæ, intellecta de solis prædestinatis, hæretica est declarata. — Item ex Concil. Carisiaco, damnante Gottescalcum prædestinatianum, an. 849.

180. Propositionem hanc et sequentes hoc loco ponendas censemus, quia ad explicandam bonitatem divinam referuntur. — Dicitur autem non tantum, *Deum velle hominum salutem* ; sed etiam, *Christum pro iis mortuum esse :* quia 1° hæc duo inseparabiliter connexa sunt, cum non sit salus nisi per Christum [1] ; et 2° quia hac ratione Redemptionis universalitas, de qua infra [2] agendum erit, in antecessum demonstratur.

181. PROB. 1° I Tim. II, 4 : *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* — Rom. VIII, 32 : *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

182. 2° Consentiunt Patres. Augustinus, enarr. in Ps. XCVI, ad universum populum pro concione dicit : *Filius Dei pro nobis mortuus est : securus esto accepturum te vitam ipsius, qui pignus habes mortem ipsius.*

PROPOSITIO IV.

Deus vult salvos fieri omnes et singulos homines, saltem adultos ; et Christus pro iisdem sanguinem fudit.

183. Propositio *certa* est, *catholica, et fidei proxima ;* fundatur enim in Scriptura et Patribus, et declarata fuit ab Alexandro VIII, 7 Dec. 1690, hanc damnante Prop. inter 31 ordine quartam : *Christus dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.*

184. PROB. 1° Ezech. XXXIII, 11 : *Vivo ego, dicit Dominus Deus : nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.* — I Tim. II : *Qui vult omnes homines salvos fieri.* — I Joan. II : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

185. 2° Consentiunt Patres. Augustinus : *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri : non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur.* De spir. et litt. c. 33.

[1] Act. Cap. IV, 12. — [2] *De Incarn.*, cap. 3, art. 2, n. 312 seqq.

186. OBJIC. 1°. Voces *omnes, omnis,* in Scriptura sensum habent moraliter tantum universalem; ergo verba Apostoli : *Deus vult omnes homines salvos fieri,* non sunt de absoluta universalitate intelligenda.—R. *Dist. antec.* Voces illæ sensum habent moraliter tantum universalem, interdum, *trans.* ; in loco citato, *neg.* : siquidem et orationis series, et scopus Apostoli scribentis, et rationes quas adducit, ostendunt illa vocabula sensu stricte universali hic usurpari.

187. *Obj.* 1° S. Augustinus variis in locis triplicem proposuit interpretationem textus Apostoli, nimirum de voluntate Dei -1) ut salventur omnes electi; -2) ut salventur ex omni genere aliqui; -3) ut nos salutem omnium velimus : abstinuit autem a proponenda interpretatione de sensu stricte universali. — R. *Dist. ant.* Ideo abstinuit, ne hæc interpretatio sensu Pelagiano intelligeretur, de voluntate Dei salvandi omnes solis naturæ viribus, *conc.;* ideo abstinuit, quia interpretationem hanc sensu catholico intellectam, de voluntate salvandi omnes viribus gratiæ, putavit veram non esse, *neg.*

188. *Instant.* Augustinus constanter rejecit interpretationem textus Paulini, sensu stricte universali intellecti. — R. Intellecti ad mentem Pelagianorum, *conc.;* Catholicorum, *neg.*

189. *Obj* 3° Juxta S. Thomam, voluntas Dei antecedens est tantum *velleitas* et complacentia ; ergo voluntas Dei salvandi omnes non est seria. — R. *Dist. antec.* Est velleitas, complacentia, respectu objecti voluntatis consequentis, quod in quæstione nostra est salus omnium hominum, *quatenus efficaciter obtinenda, Conc.;* respectu objecti proprii ipsius voluntatis antecedentis [1], quod est salus *quatenus reddenda omnibus possibilis,* per media relative sufficientia, *neg.* — Et *neg. consequens :* siquidem velleitas, sensu explicato intellecta, non voluntati veræ et seriæ, sed tantum voluntati absolutæ opponitur a S.Doctore, loco objecto : *Unde,* ait, *magis potest dici velleitas,* quam ABSOLUTA *voluntas* [2].

190. *Obj.* 4° Illusoria est voluntas Dei conditionata salvandi omnes homines, si penes Deum sit conditionem ponere, nec tamen illam ponat ; atqui ita se res habet ; ergo.—R. *Transeat maj.*— *Neg. min.* Etenim conditio ponenda est libera hominis cooperatio cum gratia. Jam vero talis cooperatio in manu hominis est, Deo, quantum est ex se, eam possibilem reddente, imo eam efflagitante, ad eam invitante hominem atque alliciente.

191. *Obj.* 5° Si Deus vellet omnes homines salvos fieri, Apostolus ibidem non ad orandum pro omnibus nos adhortaretur. — R. *Dist. antec.* Si oratio non esset conditio, quam talis voluntas respiciat, *conc.;* secus, *nego.*

1 Cf. Supra hujus cap. 2, art. 3, q. 9o, n. 156.— 2 I p. q. 10, art. 6, ad 1.

PROPOSITIO V.

Deus eadem voluntate seria et antecedente, vult salvos fieri etiam infantes decedentes sine Baptismo, et Christus pro iisdem mortuus est.

192. Propositio enuntiat *sententiam piam, et receptam* inter catholicos Theologos.

193. PROB. 1° II Cor.V,14 : *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus*[1].

194. 2° Augustinus contra Jul. Op. imperf. l. 1, c. 64, ait : *Unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. Conclusio hæc Apostoli invicta est; ac per hoc*, QUIA ET PRO PARVULIS MORTUUS EST, *profecto etiam parvuli mortui sunt* [2].

PROPOSITIO VI.

Deus est perfectissime providus.

195. *De fide*, ut aperte ex Scriptura patet, et traditur a Concilio Vat. Constit. *Dei Filius*, capite 1, supra n. 14.

196. Providentia divina, juxta S. Thomam [3], est *ratio ordinis rerum in finem, in mente divina existens.* Duo complectitur: rerum omnium ad suos fines ordinationem, quæ pertinet ad intellectum ; et istius ordinis per media idonea in tempore executionem, quæ ad voluntatem spectat [4].

197. Providentiam negant Epicurei et Fatalistæ ; item ex recentioribus philosophis ii, qui ita in omnibus vident causarum secundarum effectionem, ut nullibi Dei operationem agnoscant ; aut qui Providentiæ actionem libertati humanæ repugnare existimantes, ideo Providentiam rejiciendam putant. — Verum sciendum est, Providentiam in creaturas liberas agere ita, ut impleat sua in iis consilia et simul earum libertatem integram relinquat. *Sic Deus res quas condidit administrat*, ait Augustinus [5], *ut eas agere proprios motus sinat.*

198. Providentia distinguitur duplex, naturalis et supernaturalis, prout respicit ordinem naturæ vel ordinem gratiæ. Utraque sequentibus testimoniis probatur.

199. PROB. 1° Sap. VIII, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* — Ibid. XIV, 3 : *Tua, Pater, providentia gubernat* omnia.

200. 2° Si Deus creaturas suas providentia non prosequeretur, hoc ideo foret, vel quia non potest vel quia non vult; atqui

[1] Cf. Rom. V, 15 seqq. — [2] Cf. hujus operis tom. 2, tract. *De Gratia*, cap. 1, art. 4, prop. 5, n. 233 seqq.; item, *De Novissimis*, cap. 1, art. 3, q. 3, n. 84. — [3] Ip. q. 22, art 1. — Cf. Suar. t. 1, tract. 1, l. 3, c. 10.

[4] Ip. q. 22, art. 1, ad 2. — [5] *De Civit.* l. 7, c. 20.

neutrum de ente optimo simul et omnipotenti dici potest ; ergo. — Cum Deus omnia faciat propter finem, tam late debet extendi Dei providentia quam efficientia ; ergo ad res omnes et singulas, tametsi videantur minimæ. Hæc autem mirabilis providentia facile consideranti patet, juxta illud pervulgatum :

Maximus in minimis cernitur esse Deus.

201. Demum, sublata providentia, admittendum est aliquod *fatum :* sed hoc definiri nequit in quo consistat, et aliunde inducit ordinis moralis ruinam. Ergo vi quoque rationis, providentia admittenda est.

PROPOSITIO VII.

Deus est infinite verax.

202. *De fide*, prout aperte ex Scriptura et Ecclesiæ doctrina patet.

203. Veracitas in Deo est constans et immutabilis voluntas vera dicendi, et servandi promissa. In hac Dei veracitate fundamentum fidei nostræ situm est.

204. PROB. 1° Ratio proclamat, Deum, cum infinita sapientia sit et bonitas, summam quoque veritatem esse et veracitatem.

205. 2° Scriptura idem testatur. Joan. XIV, 5 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* — Hebr. VI, 18 : *Impossibile est mentiri Deum.* — Rom. III, 4 : *Est autem Deus verax ; omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* - Ps. CXLIV : *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis* [1].

PROPOSITIO VIII.

Deus est infinite misericors et justus.

206. *De fide*, ut præcedens.

207. *Misericordia* est bonitas et indulgentia Dei erga miseros omnes, præsertim erga peccatores.

208. *Justitia* lato sensu, est omnium virtutum complexio, nec a *sanctitate* distinguitur. Sensu autem stricto, est *virtus* specialis, *reddens unicuique suum.* Prout est in Deo, justitia definiri potest : *Constans voluntas et efficax tribuendi creaturis præmia et supplicia, pro cujusque meritis.*

209. PROB. Ps. CVII,4: *Magna est super cœlos misericordia tua ; et usque ad nubes veritas tua.* — Ps. CV, 1: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* — Ps. CXLIV, 9 : *Suavis Dominus universis : et miserationes ejus super omnia opera ejus.*

210. Ps. CXVIII, 137 : *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* — Rom. II, 6 : *Reddet unicuique secundum opera ejus.*

[1] Cf. Suar. tom. 11, tract. 1, disp. 3, sect. 4 et 5.

Tractatus VI.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum.* — § II. *Explicationes terminorum.* — § III. *Doctrina catholica.* — § IV. *Errores contrarii.* — § V. *Divisio Tractatus.*

§ I. Argumentum.

1. Hujusce Tractatus argumentum est Sanctissima Trinitas, seu Deus quatenus trinus in Personis. Sicut superiore tractatione actum est de Deo, ut est *Unus* in essentia ; ita nunc agendum de Deo, ut est *Trinus* in subsistentia seu personalitate : atque hoc modo absolventur quæcumque ad Deum, in se spectatum, pertinent.

2. Dum autem ad hoc mysterium aggredimur, quasi in sanctuarium fidei intimum introimus. Mysterium namque SS. Trinitatis omnium primum, maximum et altissimum merito vocatur. Omnium primum est, tum quia solum ab æterno est, tum etiam quia plerorumque cæterorum principium est et origo. Cætera enim fere aut in Dei verbi incarnatione sita sunt, aut ab ipsa dependent ; cum itaque Incarnatio ipsa in SS Trinitate fundetur, quis non intelligat, mysteria omnia ex hoc veluti fecundo mysteriorum fonte profluere ?

3. Hinc quoque accedentibus ad fidem hoc dogma primum credendum proponitur, ut, sic disponente Deo, primo statim in limine, divinæ fidei mentem subjiciant. Inde quoque oritur proprium discrimen christianæ religionis a cæteris omnibus, etiam a judaica, quod illa in fide SS. Trinitatis tanquam fundamento nititur ; proindeque non tantum Deum *Unum* in essentia, sed etiam *Trinum* in Personis agnoscit et veneratur.

4. Eo autem major est hujus mysterii dignitas, quod nihil nisi purum, nihil nisi augustum ac majestate plenum, nihil denique nisi divinum includat. Sed quo divinius, eo quoque altius est et impenetrabilius humanæ menti. Cum enim Deus sit vere Deus absconditus, lucemque inhabitet inaccessibilem, ad ejus arcana sane pervenire nemo potest, nisi quem in admirabile lumen suum Deus ipse transtulerit.

5. Ut autem hanc tam obscuram materiam, quam maxima possumus claritate illustremus, quædam diligentius ab ipso jam exordio explicanda videntur vocabula, quorum frequentissimus deinceps usus est futurus.

§ II. Explicatio terminorum

6. Termini hujusmodi potissimum sunt : *essentia, natura, forma, subjectum, substantia, subsistentia, suppositum, persona, personalitas, principium* et *causa, principium* QUOD, *principium* QUO, *origo* et *processio, generatio, relatio, ordo, Trinitas.*

7. *Essentia* alicujus rei est *ratio ejus intrinsece constitutiva;* seu illud, quo res intrinsece constituitur id quod est. Cum autem ea, quibus res intrinsece constituitur, elementa dicantur, essentia planius definiri potest : *Complexio elementorum, quibus res aliqua talis potius quam talis constituitur ;* id est, quibus carere nequit, quin aut nulla omnino, *aut* certe alia sit ; seu, ut alii dicunt, sine quibus res nec esse nec concipi potest [1].

8. Essentia potest spectari, vel præcise secundum ista elementa *constitutiva*, vel extensius, secundum elementa alia quæ *integrantia* appellantur. Ex essentia priore modo inspecta constituitur *ens ;* ex essentia altero modo inspecta constituitur *ens integrum*. Sic ex anima rationali substantialiter unita corpori, omnibus organis *ad vitam necessariis* instructo, constituitur præcise essentia hominis ; at essentia integralis quædam alia, quæ humanæ sunt communia speciei, ut duos oculos et duas manus, præterea includit.

9. Quod autem apud Latinos *essentia*, id apud Græcos οὐσία vulgo significat. Attamen οὐσία etiam pro substantia sumitur ; hinc duæ illæ sæculo IV tam celebratæ voces, ὁμοούσιος et ὁμοιούσιος. Prior, quæ idem sonat ac *consubstantialis*, a Patribus Nicænis Symbolo inserta est, ut præcluderetur Arianis omnis elabendi ac tergiversandi via, et absque ulla ambiguitate definiretur, Filium unius esse et ejusdem cum Patre substantiæ. — Posterior *similem substantiam* significat, et in prioris locum suffecta est a pluribus, quibus vox ὁμοούσιος ideo displicebat, quod, ut aiebant, in Scripturis non exstaret, ac in Paulo Samosateno, anno 272, damnata esset ; sive verius, quod singulari sua vi et perspicuitate omnes Arianorum artes eluderet.

10. *Natura* non raro sumitur pro *essentia ;* proprius tamen naturæ conceptus cum conceptu essentiæ non confunditur. Essentia enim respicit entis *esse*, natura vero ejus *agere*. Essentiæ notio repræsentat ens tanquam constitutum, naturæ notio ens exhibet tanquam principium activum. Itaque natura licet re sit idem cum essentia, ab hac tamen virtualiter distinguitur, et describi potest : *Primum principium et subjectum omnis activitatis in ente* [2]. — Quod si in sua integritate spectetur, natura

[1] Distinguitur autem essentia rei *metaphysica* et *physica*, uti supra exposuimus, Tract. *De Deo*, cap. 1, art. 2, n. 49 seqq. — [2] Cf. S. Thom. 1 p. q. 29, art. 1 ad 4

præter *principium* activitatis, complectitur *activitatem ipsam*, seu omnes facultates quæ ad specificam entis perfectionem pertinent. Sic integraliter sumpta natura hominis, non tantum substantiam animalem et rationalem, sed etiam facultates omnes, ut intelligentiam, voluntatem, sensus externos et internos comprehendit.

11. Hic animadvertendum, in Deo integritatem, neque ab essentia neque a natura realiter distingui ; ipsam autem naturam ab essentia virtualiter quidem distingui, ratione tamen longe alia ac eadem distinguuntur in creatis[1]. Quare in divinis essentia et natura idem sonant, et promiscue accipi solent.

12. Ad exprimendum, quod latine *natura* dicitur, Græci vocem φύσις ut plurimum usurpant ; qui quidem φύσεως sensus, inter alios plures, germanus vulgatusque in primis esse videtur.

13. *Forma* generatim, est *illud quod in ente se habet ut determinans ejus esse :* v. g. in homine, forma determinans materiam ad *esse corpus humanum*, est anima ; vel etiam forma determinans totum ens ad *esse hominem*, est humanitas. — Hinc forma quoque dicitur, *id quo ens est tale vel tale.* Hinc ille modus loquendi : *res formaliter spectata ;* quo significatur res spectata præcise qua talis. Hinc et effata : *Forma dat esse rei, dat distingui, dat nominari*[2].

14. Forma varie dividitur. *Ratione subsistentiæ*, est *subsistens seu spiritualis*, ut angelus, anima humana ; vel *non subsistens seu materialis*, ut anima brutorum. — *Ratione subjecti*, forma est vel physice *receptibilis seu informans*, ut anima ; vel non *receptibilis*, ut forma angelica, forma Dei.

15. Forma physice *receptibilis*, definiri potest : *Id quod per sui unionem mutuo perfectivam cum aliquo subjecto, determinat illud ad certum esse.* Ens exsurgens ex unione *formæ* et *subjecti*, dicitur compositum, concretum. Quoniam autem in compositis corporeis, pars determinabilis est elementum illud passivum quod appellatur materia, ideo factum est, ut in omni alio composito pars determinabilis, seu *subjectum*, etiam *materia* sit appellata ; quo generali sensu *materia* definiri potest : *Illud quod in ente se habet ut determinabile vel determinatum per formam.*

16. Forma *receptibilis* distinguitur in *physicam*, quæ in rebus corporalibus invenitur ; *metaphysicam*, quæ in rebus methaphysicis mente discernitur, ut humanitas in homine, divinitas in Deo ; et *moralem* vel *analogam*, quæ in compositis moralibus, puta actibus virtutum, sacramentis, etc. discernitur, et analogice forma vocatur.

1 Cf. supra, tract. *De Deo*, cap. 2, art. 1, n. 64 seqq. — 2 Cf. S. Thom. *Contra Gentes*, lib. 2, c. 54.

17. Forma *physica* subdividitur in *substantialem*, qualis est anima in homine : et *accidentalem*, qualis est calor in aqua, lux in crystallo, figura in statua.

18. *N. B.* Notio *formæ* notionibus *essentiæ* ac *naturæ* affinis est; ita tamen ut cum hisce nequaquam confundi possit. Etenim licet forma metaphysica, v. g. humanitas, sit ipsa entis essentia ac natura, idem de aliis formis, v. g. de physica, dici nequit. Nam forma physica, ut est anima in homine, potest quidem esse elementum essentiæ, pars naturæ; tamen tota essentia, tota natura non est.

19. *Subjectum* ex modo dictis, illud est quod in composito locum tenet partis determinabilis, seu *materiæ*. — Latiore vero sensu, nomine subjecti venit id omne, cui aliquid *inest, adhæret* vel *attribuitur*, sive realiter sive mentaliter, licet non per modum formæ. Sic humanitas Christi dici posset subjectum, respectu personalitatis Verbi : quia, licet humanitas et Verbi personalitas non se habeant ad invicem ut materia et forma, quippe quæ non se mutuo perficiant ; tamen se habent ut terminus et terminatum, ita ut Verbi personalitas, tanquam terminus, insit humanitati, tanquam subjecto terminato.

20. *Substantia.* — Sicut *esse* rei quatenus illam constituit dicitur *essentia*, quatenus autem est principium agendi dicitur *natura ;* ita quatenus in se existit dicitur *substantia*. Definitur enim substantia : *Ens in se existens*, seu, *ens non indigens subjecto cui inhæreat.* — Scilicet generatim ens *substantiale* est illud, quod essentialiter refertur ad subsistentiam [1] propriam : id est, ad standum in se. Potest autem eo referri dupliciter : vel per aptitudinem ad habendam illam subsistentiam, et tunc communissime vocatur simpliciter *substantia ;* vel quatenus essentialiter conferens ad illam aptitudinem, vel quatenus eam terminans, et tunc dicitur potius *substantiale*. Sic, spectato homine, caro, sanguis, humana natura, dicetur substantia : unio vero inter animam et corpus, non dicetur substantia, sed aliquid substantiale ; item ipsa subsistentia propria humanæ naturæ, non substantia, sed terminus substantialis, modus substantialis vocabitur.

21. Dictum est, ens substantiale illud esse quod refertur ad subsistentiam *propriam :* nam ex eo quod ens referatur, etiam essentialiter, ad subsistentiam alienam, seu ad subsistendum in alio, non proprie dicetur *substantiale* vel *substantia*. Sic *accidentia*, ut extensio, color in corporibus, cum naturaliter [2] re-

[1] *De subsistentia*, infra, n. 25. — [2] Per miraculum tamen, accidentia etiam sine subjecto existere posse, communior opinio tenet. Quo differunt accidentia a meris *modis*, quales ex. gr. sunt actio, cogitatio, sensatio, qui essentialiter subjecto inhærent.

ferantur ad subsistendum, non in se ipsis, sed in corporibus quibus adhærent, non dicuntur substantialia.

22. Substantia autem est vel *incompleta* vel *completa;* et quidem talis esse potest sub duplici respectu, nempe quoad naturam et quoad substantialitatem. -1) Dicitur incompleta vel completa *quoad naturam*, prout res, spectatis notis ejus essentialibus, ordinatur ad unionem intrinsecam et proprie dictam cum alia substantia, ita ut inde exoriatur tertia, diversa ab utraque ; — vel prout eo non ordinatur. Sic, ex. gr. anima humana est substantia incompleta quoad naturam, quia ordinatur ad corpus. -2) Substantia dicitur incompleta vel completa *quoad substantialitatem*, prout caret vel non caret termino, seu subsistentia connaturali. Sic, aliquis homo, ex. gr. Petrus, est substantia completa, non tantum in ratione naturæ, sed etiam in ratione substantialitatis. — Humanitas vero Christi, secundum se spectata, est completa in ratione naturæ, et quidem perfectissime, sed est incompleta quoad substantialitatem ; quia subsistentia connaturali caret, et supernaturaliter subsistit in Verbo.

23. Substantia completa quoad substantialitatem tantum, dicitur *subsistens :* ut est v. g. anima humana a corpore separata. — Substantia completa quoad naturam simul et substantialitatem propriam ac connaturalem, vocatur *suppositum ;* et si intellectualis natura sit, *persona*.

24. NOTA. Hæc quatuor : *essentia, natura, forma, substantia*, licet conceptu formali distinguantur, in sermone tamen de divinis idem sonant, quotiescumque opponuntur *substantiæ*. Ratio est, quia in Deo, propter infinitam simplicitatem, quæcumque non sunt *subsistentia* identificantur adæquate cum *essentia*.

25. *Subsistentia* [1] est id quo substantia, seu natura substantialis, constituitur *independens*, in sua existentia, et operatione, ab unione intrinseca cum alia substantia, et *incommunicabilis* alteri, ut supposito eam complenti ; ac proinde, ut dici solet, est *id quo substantia evadit sui juris* physici, fitque adæquatum et incommunicabile principium suarum operationum, et domina suarum affectionum. Non absimili sensu dicitur quoque *substantia individua* [2].

26. *Suppositum*, ut modo dictum, est substantia completa, non solum quoad substantialitatem, id est, habens connaturalem subsistentiam ; sed etiam completa quoad naturam. Hinc aliquis homo, v. g. Petrus, est suppositum ; anima vero humana separata, non est suppositum ; humanitas Christi non habens

[1] *Proprie dicta* subsistentia hic intelligitur : nam et distinguitur subsistentia *improprie dicta*, quæ tantum tribuit naturæ perseitatem independentiæ a subjecto sustentante. Cf. Antoine, *De Trinit.*, cap. 4, art. 2. — [2] S. Thom. I p. q. 40, art. 3.

connaturalem subsistentiam, non est suppositum, sed pertinet ad suppositum Verbi incarnati.

27. *Persona* est suppositum rationale seu intellectuale.

28. *Personalitas* est ratio constitutiva personæ, seu id ex quo persona habet ut sit persona; sive etiam, est ille existendi modus, vel quasi modus, quo fit ut substantia intelligens sit sui juris. Personalitas etiam *subsistentia suppositi intellectualis* vocari potest.

29. Quod Latinis tam *suppositum* quam *persona*, idem Græcis sonat ὑπόστασις; quæ vox antiquitus, modo pro substantia, modo pro persona accipiebatur. Unde sæculo IV dissidium inter Paulinum et Meletium Antiochenum obortum est: cum Paulinus ὑπόστασιν pro *substantia* accipiens, unicam in Deo ὑπόστασιν diceret; Meletius vero, eamdem vocem accipiens pro *persona*, tres in Deo ὑποστάσεις confiteretur. Quod dissidium in Concil. Alexandrino, an. 362, a S. Athanasio compositum est. Ex illo fere tempore ita fuit vocis illius fixa significatio, ut deinceps non nisi pro denotanda persona, sive etiam subsistentia, fuerit usurpata.

30. Si quæratur quidnam hypostasis, suppositum, persona superaddat naturæ seu substantiæ in creatis; duæ sunt præcipuæ inter Doctores sententiæ. Prior tenet, suppositum nihil reale addere super naturam individuam; sed solum duplicem negationem: nempe non *esse actu in alio*, nec ad id *aptum esse*, scilicet aptitudine naturali. Quæ duplex negatio sequitur intrinsecam perfectionem existentiæ, quam habet natura substantialis individua, nisi divinitus præveniatur. — Altera sententia, quæ communior est, statuit, rationem hypostaticam addere naturæ proprietatem quamdam positivam et realem, a natura distinctam; non tamen tanquam rem a re, sed tanquam modum a re, modum non accidentalem, sed substantialem intrinsecum. Superaddit scilicet *modum existendi in se*, et *per se*: ita ut existat non solum *independenter* a subjecto sustentante, sed etiam *incommunicabiliter* respectu alterius suppositi seu personæ [1].

31. *Principium* definitur: *Ens in se continens originem alterius*; vel etiam: *Ens ita influens in alterum ut huic tribuat esse*, id est, alterum producens. Hoc alterum, qui terminus est influxus, vocatur *principiatum* vel productum.

32. Principium distinguitur in *purum* et *causale*. Principium purum est id quod communicat alteri essentiam, seu *esse* numerice identicum suo, ac proinde terminum producit non præcise *alium* sed *alterum* tantum. Sic, in divinis, Pater est principium Filii. — Causale autem, vel *causa*, est principium communicans alteri essentiam, saltem numerice distinctam a sua; quare

[1] Cf. Suarez, tom. 23, *Metaphys.* Disput. 34.

recte definitur : *Principium producens aliud natura distinctum* quod vocatur *effectus*. Actione principii *puri* non *producitur* natura illa, quæ *communicatur* alteri seu principiato : actione autem principii *causalis*, natura illa *producitur*. Sic in creatis, pater est causa filii. — Causa dividitur in *extrinsecam* et *intrinsecam*. Extrinseca est vel *finalis* vel *efficiens*, quo reducitur et *exemplaris ;* intrinseca vero, *formalis* vel *materialis*.

33. *Principii* vocabulum, quando usurpatur ut oppositum *causæ*, supponit pro puro.

34. Sicut principium distinguitur in causale et non causale seu purum, habita ratione illius *esse*, quod termino communicat ; ita etiam utrumque potest subdistingui in *generativum*, et *non generativum*, habita ratione influxus, quo *esse* communicat principiato, seu termino suo.

35. Influxus tam principii quam causæ, appellatur *actio ;* et ipsum principium, *agens*. Actio principii est *pura ;* causæ vero, *non pura*, et dicitur etiam *effectio*.

36. Principium purum et causale adæquate sumptum, constat quasi duobus elementis, quæ vocantur principium *quod* et principium *quo*.

37. *Principium quod*, seu denominationis, cui agentis denominatio tribuitur, est ipsum principium agens. Sic cum homo intelligit, principium intellectionis *quod*, est ipse homo. Hinc illud manavit effatum : *Actiones sunt suppositorum*.

38. *Principium quo* est forma, qua suppositum agit. Dividitur in remotum et proximum. *Remotum* est natura, quæ principium est omnis motus ; *proximum* vero est potentia seu facultas, cujus proprie est actio. Sic, cum homo intelligit, *principium quo remotum* est ipsius natura intellectualis ; *principium quo proximum*, mens seu intellectus.

39. Hic circa principium et principiatum notanda sunt tria. -1) Principium (saltem principium *quod*), debet aliquo modo realiter distingui a principiato ; necesse tamen non est ut quoad essentiam distinguatur. — -2) Necessaria est aliqua connexio inter principium et principiatum, ita ut huic illud necessarium sit et sufficiens : quæ connexio proin est dependentia, saltem improprie dicta [1]. — Hinc -3) principiatum est suo principio aliquo modo posterius, nimirum vel tempore, vel ordine, vel ratione.

40. *Origo*, seu *processio*, est simplex unius ab alio emanatio : unde patet aliquam realem inter utrumque distinctionem intercedere. In omni processione distinguuntur tria : *principium*, *actio* et *terminus* processionis. — Processio porro distinguitur duplex, una *ad intra*, altera *ad extra*, prout fit secundum actio-

[1] Dependentia proprie dicta requirit, ut *esse* quod tribuitur termino, realiter distinguatur ab *esse* seu essentia tribuentis.

nem in ipso agente *immanentem*, vel secundum actionem *transeuntem* in extrinsecam materiam ; unde etiam una *processio immanens*, altera *transiens* vocatur [1].

41. Processio quæcumque vel est *generativa*, vel *non generativa ;* unde vocabulum *processio*, per se, ab utraque specie præscindit. In mysterio tamen SS. Trinitatis, quotiescumque *processio* opponitur *generationi*, non sensu generico, sed sensu excludente generationem sumitur ; ut in Symbolo Athanasiano: *Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non genitus, sed procedens.*

42. *Generatio* est *origo viventis de vivente principio conjuncto, in similitudinem naturæ, vi processionis formaliter* [2]. Duplici sensu accipi potest, activo et passivo. Generatio *activa* est actio generantis ; *passiva*, est processio generati. — Ex definitione patet ad generationem proprie dictam quatuor requiri: -1) ut principium generans sit *vivens*, et erumpat in actum, seu actionis terminum *vitaliter* producendum ; -2) ut sit *conjunctum*, quatenus substantia genitoris evadat per generationem substantia geniti, vel tota, ut in generatione divina, vel partim, ut in generatione humana ; -3) ut genito communicetur *natura similis* naturæ genitoris; -4) ut *ex ipsa generantis actione formaliter spectata* proveniat similitudo naturæ, quæ inter genitorem et genitum existit.

43. *Relatio*, seu respectus unius rei ad aliam, generatim describi potest : Forma, vel quasi forma, sic constituens ens, ut sub forma tali intelligi nequeat, nisi simul alterum ens intelligatur. Ex. gr. *similitudo* unius rei cum altera non intelligitur, nisi simul intelligatur hæc altera ; neque habetur conceptus *filii*, nisi habeatur conceptus *patris*.

44. In omni relatione tria distinguuntur : subjectum relationis, fundamentum et terminus. Relationis *subjectum* est res quæ refertur ad alteram; *fundamentum* est ratio propter quam refertur ; *terminus* est illa altera res ad quam refertur. Sic in relatione effectus ad causam, subjectum est effectus, terminus est causa, fundamentum est productio effectus per causam.

45. Pro vario fundamenti genere, relatio varie distinguitur ; præcipue vero, -1) in essentialem et non essentialem, -2) in immanentem et transeuntem. — Vocatur -4) *essentialis* vel *non essentialis*, seu accidentalis relatio, prout fundamentum essentiale est vel secus. Eodem fere sensu relatio dicitur *intrinseca* enti vel *extrinseca*. Sic relatio creaturæ existentis ad Creatorem, est essentialis et intrinseca : etenim, pone creaturam existere, impossibile est ut ipsa ad Creatorem suum non referatur. Relatio effectus ad causam, principii ad principiatum, item intrinseca et essentialis est. E contra, relatio similitudinis

[1] Cf. S. Thom. 1 p. q. 27, art. 1 ; item hujus tract. c. 2, art. 1, § 1, n. 135.
[2] Cf. S. Thom. 1 p. q. 27, a. 2.

hominis cum homine, quoad colorem et staturam, extrinseca et accidentalis est. —Dicitur -2) relatio *immanens* vel *transiens*, prout fundamentum est actio immanens in principio, vel transiens a principio in extrinsecum terminum. Sic, relatio patris ad filium in humanis, est transiens ; Patris vero ad Filium in divinis, est immanens. Sic etiam in humanis, relatio hominis ad suam cogitationem est immanens, quia actus cogitandi in ipso cogitante immanet.

46. *Ordo* quandoque sumitur pro *relatione*. Restrictiore autem sensu, dicitur de *relatione convenienti plurium in unum;* quod *unum* tunc principium ordinis appellatur.— Sicut relatio, ita et ordo non necessario importat dependentiam inter ordinata.

47. *Trinitas*, græce Τριάς, vi vocis numerum ternarium indicat ; vi acceptionis vero ab Ecclesia consecratæ, trium personarum in una divina natura existentiam significat. Eruditi vulgo sentiunt hanc vocem a S. Theophilo Antiocheno, sub finem II sæculi, primo græca forma usurpatam, mox ad latinam defluxisse. Sat verisimile est, huic adhibendæ dedisse locum ista S. Joan. I Epist. V, 7, verba : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus : et hi tres unum sunt :* in quibus, non quoad sonum quidem syllabarum, sed quoad sensum certe *Trinitas* reperitur [1].

§ III. Doctrina catholica.

48. Deus est Trinitas ; seu tres sunt in una divina essentia personæ, Pater, Filius et Spiritus S., realiter distinctæ, æquales et consubstantiales [2].

49. Pater est ingenitus, Filius a Patre genitus, Spiritus S. a Patre Filioque procedens [3].

50. Omnia in Deo sunt tribus personis communia, atque unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio [4].

51. Personæ tres non sunt realiter, sed tantum virtualiter ab essentia divina distinctæ [5].

52. Agnoscendæ sunt in divinis personis proprietates, processiones, relationes, missiones [6].

§ IV. Errores contrarii.

53. Errores præcipui SS. Trinitatis mysterio adversantes, sunt : *Sabellianismus* seu modalismus, *Paulianismus*, *Photi-*

[1] Cf. Petav. *De trinit.* lib. 8, c. 9, n. 2. — [2] Symb. Nicæn. et Athan., Later. IV, cap. *Firmiter.*— [3] Symb. Athan , et Conc. Lugd. II, in *Defin. de process. Spir. S.*
[4] Eugen. IV, *Decret. pro Jacob.*, Later. IV, cap. *Firmiter.*
[5] Conc. Rhem. celebratum ab Eugen. III ; Later. IV, cap. *Firmiter.*
[6] Symbol. Concilii Toletani XI; an. 675.

nianismus, *Socinianismus* : qui directe Trinitatem destruunt ; et *Arianismus*, ac *Macedonianismus* : qui eamdem perimunt indirecte.

54. *Sabellius*, sæc. II, dicebat : Unus Deus est; quæ dicuntur personæ, tantum respectus sunt, vel modi divini : dicitur Deus Pater, quatenus creator : Filius, quatenus incarnatus ; Spiritus S., quatenus sanctificator est. — Sabellius fuit damnatus a Victore I, Pontifice.

55. *Paulus Samosatenus*, sæc. III, dicebat : Unus Deus est, cujus Filius est Verbum, προφορικὸν seu prolatitium, quod in Christum Mariæ filium fuit prolatum, ipsique sapientiam suam divinam communicavit. Verbum autem illud, antequam in Christum descenderet, erat a Patre indistinctum [1]. — Damnatus iste error a Felice I.

56. *Photinus*, sæc. IV, præcedentis utriusque errores conjungens, statuit, Deum esse solitarium : Verbum et Spiritum S. esse meram Patris extensionem ad extra : Christum esse merum hominem. Damnatus Concil. Mediol. an. 346.

57. *Socinus* uterque, Lælias et Faustus, sæc. XVI, Sabellianismum renovarunt, et sectæ Unitariæ seu Antitrinitariæ auctores exstiterunt.

58. *Arius* sæc. IV, docebat Verbum esse creaturam, excellentissimam quidem, non tamen Patri consubstantialem. Damnatus Conc. œcum. Nicæno I, an. 325. — Post. Conc. Nic., Arianismus in varias factiones divisus est ; quarum præcipuas constituebant *Eusebiani*, duce Eusebio Nicomediensi ; et *Anomœi*, ducibus Aetio et Eunomio. — Porro Anomœi duas alias sectas ediderunt : 1) *Homœusianos*, seu *Semiarianos* : qui dicebant, Filium omni ex parte esse Patri *similem*, etiam substantia : sicut in creatis filius similis est Patri ; -2) *Homœanos* seu *Acacianos* : qui Verbum simile Patri dicebant in omnibus, excepta substantia : ita ut Patris imaginem ad instar statuæ referret. — Concilia in Arianorum causa celebrata, hæc, præter Nicænum, fuere præcipua : Sardicense (347), Mediolanense (347), Ariminense (359) ; ipsis Arianis interim conciliabula celebrantibus : Sirmiensia, Arelatense, Ancyranum. — Fidei propugnatores præcipui adversus Arianos surrexerunt : S. Sylvester Pontifex, Athanasius, Eustachius Antiochenus, Julius Romanus et Liberius, Hilarius Pictav., Eusebius Vercell., Cyrillus Hieros., Ephrem Edessenus, Basilius, Gregorii ambo, Nyssenus et Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus et Augustinus.

59. Perduravit Arianismus in Oriente usque ad Gratiani et

[1] Epiphan. hær. 65.

Theodosii tempora, cujus edicto an. 380 extinctus est. — At in Occidentem perlatus diutius perstitit. Nam cum per Ulphilam, Episcopum arianum, inter Vandalos, Visigothos, Herulos et Longobardos fuisset propagatus, a Longobardis in Italiam, a Visigothis in Hispaniam et a Vandalis in Africam delatus, ibidem duravit usque ad sæculum VI.

60. *Macedonius* consubstantialitatem Verbi admittebat; Spiritum sanctum vero inter creaturas relegabat. Damnatus fuit Conc. Constantinop. I, an. 381.

61. *Obscuriores hæretici* qui circa Trinitatem errarunt fuere: *Simon Magus*, *Ebion* et *Cerinthus*, sæc. I; *Carpocrates* et *Gnostici*, *Artemon* et *Theodotus*, sæc. II; *Praxeas*, *Noetus* et *Patripassiani*, sæc, III; *Priscillianistæ*, sæc. V; *Philoponus*, et *Tritheitæ*, sæc. VI.

62. Abbas Joachim, qui unitatem in divinis, non veram et propriam sed quasi collectivam et similitudinariam statuisse videtur, damnatus est in Conc. Later. IV.

63. Roscelinus, ex nominalismi sui principiis statuens, nihil existere nisi individua, et mentis distinctiones omnes esse mera nomina, et, ut aiebat, flatum vocis; in Trinitate esse quasi tres Deos, asseruit.

64. Abælardus, audaci ac superbo ingenio indulgens, inter alios errores in Sabellianismum incidit, damnatusque est in Conc. Suessionensi ac Senonensi, 1140.

65. Gilbertus Porretanus divinam essentiam realiter a Personis distinguebat, damnatusque est in Conc. Rhemensi, 1148.

§ V. Divisio Tractatus.

66. Ut Theologica de SS. Trinitate doctrina plene exponatur, ipsum imprimis mysterii dogma est demonstrandum; deinde, quoad humanæ rationi concessum est, ejusdem mysterii characteres distinctius inspiciendi sunt. Unde duo capita:

Caput I, *de SS. Trinitatis veritate.*
Caput II, *de SS. Trinitatis characteribus.*

CAPUT PRIMUM.

DE SANCTISSIMÆ TRINITATIS VERITATE.

67. Dupliciter Sanctissimæ Trinitatis mysterium considerari potest : *in suo complexu*, trinam spectando in uno Deo personam : vel *per partes*, tum distinctas personas, tum substantiam unam singillatim contemplando. Hinc tres articuli :

Articulus I, *de Sanctissima Trinitate generatim.*
Articulus II, *de divinitate Filii et Spiritus S. speciatim.*
Articulus III, *de naturæ divinæ in tribus personis unitate.*

ARTICULUS I.

DE SANCTISSIMA TRINITATE GENERATIM

68. De Trinitatis mysterio generatim spectato quæri potest, quomodo hominibus innotuerit vel innotescere potuerit, et quomodo ejus veritas certissime nobis constet. Quæ ut ordine tractentur statuendæ sunt :

Quæstiones *de cognitione SS. Trinitatis.*
Propositio *de veritate SS. Trinitatis.*

QUÆSTIONES.

1° *Undenam oriri nobis posse SS. Trinitatis notitia concipitur ?* — 2° *Quid naturalis ratio valet ad cognoscendam et probandam SS. Trinitatis existentiam ?*— 3° *Quomodo omnimoda rationis impotentia, sive ad probandum sive ad impugnandum hoc mysterium, ostenditur ?* — 4° *Quomodo respondendum objectionibus ?* — 5° *Quibus argumentis de existentia SS. Trinitatis humanæ rationi certo constat ?* — 6° *An mysterium SS. Trinitatis sub Vetere Testamento innotuit ?* — 7° *Ex quibus præcipue V. T. testimoniis, pluralitas ac trinitas personarum in Deo eruitur ?*

69. QUÆR. 1° *Undenam oriri nobis posse SS. Trinitatis notitia concipitur ?* — R. Existentia Trinitatis, sicut reliqua ad Deum pertinentia, vel ratione vel revelatione concipitur nobis innotescere posse. Cum autem revelatio in tres partes distingui possit, dicendum, Trinitatis notitiam forte ad nos derivari posse quatuor ex fontibus : ex ratione, ex Vetere Testamento, ex Novo Testamento, ex Traditione. — Hic notasse juverit *rationem* distingui duplicem : *naturalem*, seu nudam rationem, propriis principiis insistentem ; et rationem *theologicam*, quæ

aliquo principio revelato innititur. — Porro ratio naturalis subdistingui potest, prout est in homine jam illuminato per revelationem, aut prout est *mere naturalis*, omnino nuda et infirma, ut in homine gentili deprehenditur.

70. Q. 2° *Quid ratio naturalis ad cognoscendam et probandam SS. Trinitatis existentiam valet?* — R. Observandum est, -1) probari aliquid posse duobus modis, positive scilicet vel negative. *Positive* quidem, cum ex ipsis rei visceribus ac principiis, aut ex aliis necessario et proprie cum re connexis, probatio eruitur. *Negative* autem, cum ab iis quæ in contrarium objiciuntur, aliquid vindicatur; id autem minus accurate probari dicitur. -2) Aliquid positive probari posse iterum dupliciter: verosimili nempe ac probabili duntaxat conjectura; aut certa et evidenti ratione, quæ sola *demonstratio* vocatur. -3) Cum quæritur an hoc mysterium ratio assequi possit, duplici item sensu controversiam hanc intelligi ac institui posse: seclusa nimirum fide, aut eadem supposita.

71. His præmissis, respondeo -1) tres dari de re proposita sententias. *Prima* asserit hoc mysterium sola ratione duce, et citra ullum Fidei auxilium, posse demonstrari; *secunda* id quidem fieri posse affirmat, sed tantum prælucente Fide; *tertia* utrumque respuit. Prima sententia est Claudiani Mamerti, Ecclesiæ Viennensis sæc. V Presbyteri, et, ut videtur, etiam Raymundi Lulli; secunda, Petri Abælardi, et forte etiam Richardi Victorini et Henrici Gandavensis; tertia est omnium vulgo Theologorum.

72. Respondeo -2) e communi Theologorum sententia tenendum est: *a*) solius ratione ope, citra Fidei auxilium demonstrari mysterium SS. Trinitatis nequaquam posse. Prov. XXV, 27: *Qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria.* Matth. XI, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* — S. Athanasius, Epist. ad Serapionem: *O stulti*, inquit ad Arianos, *atque ad omnia audaces et præcipites! Quare non potius SS. Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse duntaxat creditis? magistrum Apostolum hac in re imitati, cujus hæc sunt verba: Credere enim oportet accedentem ad Deum.*

73. Tenendum *b*) non magis demonstrari ope solius rationis, idem mysterium posse, etiam posita Fide; quod iisdem momentis evincitur.

74. Tenendum *c*) posita semel Fide, nonnullas in rebus creatis imagines reperiri posse, quæ mysterium Trinitatis aliquatenus adumbrent, ejusque innuant convenientiam. Etenim SS. Patres multas id genus attulerunt, sive duarum, sive trium simul personarum imagines; nimirum: *Luminis de lumine*

accensi ; *solis*, *radii*, ac *splendoris* ex ambobus emicantis [1] ; — *fontis*, *rivi*, ac *fluminis* ex utroque profluentis [2] ; — *radicis*, *trunci* et *rami* in eadem arbore [3] ; *trium lucernarum* in eodem cubiculo positarum, quæ unum idemque lumen effundunt [4] : *ignis*, *splendoris*, *caloris*, quæ cum sint tria, unum tamen sunt lumen [5] ; — *intelligentiæ*, *voluntatis* et *memoriæ*; quæ tria distincta quidem sunt, intime tamen in una eademque anima conjunguntur [6].

75. Tenendum *d*) rationem, sicut demonstrare Trinitatem non valet, ita nihil ad ipsam impugnandam valere.

76. *Q.* 3° *Quomodo ab intrinseco ostenditur, rationem, sicut ad demonstrandam, ita ad impugnandam Trinitatem nihil prorsus valere ?* — R. Ratio naturalis in primis ad Trinitatem *demonstrandam* nihil valet, quia hæc demonstratio fieri deberet a posteriori, vel a priori, vel a simultaneo ; at ex nullo horum fieri potest. Etenim non a posteriori, hoc est, *ex effectu* seu creaturis, quæ tantum pendent a Deo ut est unus, non vero ut est trinus ; nam ut habet commune effatum : *Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa ;* ergo nullus est effectus singulis Personis proprius, per quem demonstrari illæ queant. — Neque a priori, id est *neque per causam :* cum SS. Trinitas, utpote Deus ipse, non habeat sui causam ; *neque per quasi causam*, seu rationem intrinsecam, puta per divinitatem, essentiam Dei et ejusmodi : ob motiva quibus repugnat demonstratio a simultaneo. — Neque a simultaneo, seu *ex idea Trinitatis :* nam ad hanc demonstrationem requireretur notio Trinitatis, ut rei evidenter non repugnantis, imo ut perfectionem infinitam continentis ; atqui hæc notio naturaliter haberi non potest, præsertim quia naturaliter sciri nequit, *actionem puram* seu non causalem, in qua divinæ processiones fundantur, non esse chimæricam ; cum in creatis nulla actio pura inveniatur [7].

77. Simili modo intelligitur, cur ratio *ad Trinitatem impugnandam* pariter sit inefficax : impugnatio enim hæc fieri deberet per argumenta intrinseca, seu petita ex ipsa notione Trinitatis, quam repugnare ostenderent ; atqui hoc fieri non potest, quum non detur homini notio clara et distincta terminorum *personalitatis* et *essentiæ* in divinis, inter quæ repugnantia deprehendi deberet.

Q. 78. 4° *Quomodo respondendum objectionibus ?* — R. Objec-

[1] Lactant. ; — Athan. *Orat. 4 contra Arianos.* — [2] Dion. Alex. ; Athan. *Epist. de illius mente ;* August. *de fide et symb.* c. 9, n. 17. — [3] Tert. *adv. Praxeam ;* August. ubi supra. — [4] Greg. Naz. *Orat. 5 de Theologia.*

[5] Auctor sermonis *de Symbolo ad catechum.* apud August. et ipse ibid.

[6] Aug. *De Trin.* l. 14, c. 8. — Cf. S. Thom. p. 1, q. 45, art. 7 in corp. — Suar. tom. 1, tract. 3, l. 1, c. 12. — [7] Cf. S. Thom. p. 1, q. 32, art. 1. — Suar. tom. 1, tract. 3, lib. 1, cap. 11.

tiones duplicis generis distingui possunt : aliæ evincere conantur Trinitatis existentiam rationis principiis demonstrari ; aliæ, eamdem rationis principiis repugnare.

79. Qui probare nituntur rationem, ex sua nativa vi ad notitiam Trinitatis devenire posse, afferre solent tum ratiocinia, quibus aliquid de Trinitate concludi putant ; tum quamdam Trinitatis speciem, quam in scriptis Platonis, Zoroastri et Trismegisti inveniunt. — Sed respondendum, nulla ratiocinia id probare quod est in quæstione, tres nempe in una natura divina esse subsistentias. — Dein, Plato aliique, etiamsi de vera Trinitate, qualis a nobis creditur, loquerentur, adhuc probandi forent ex sua ratione, nec ex aliena traditione, hanc notitiam hausisse. Sed neque veram Trinitatem proferunt. Plato enim [1], qui cæteris videtur explicitior, tria quidem in divinis distinguit et enumerat ; at nequaquam ejus loquendi ratio tres personas in una numerice essentia satis innuit. Probabilior opinio tenet Platonem quamdam trinitatem intellexisse, quæ ab ea quam adoramus, toto cœlo diversa sit [2].

80. Illi vero qui repugnantiam in SS. Trinitate ostendere satagunt, objectiones afferre solent, in hoc, ut plurimum, fundatas æquivoco, quod naturam cum persona confundant, sublata unius ab altera distinctione virtuali, quam in tractatu *De Deo* asseruimus. Itaque ad difficultates solvendas illa distinctio præ oculis habenda est.

81. Præcipue hujusmodi objectiones ita quasi in fasciculum colligi possunt. Personarum in Deo Trinitas vario, aiunt, ex capite rationi repugnat : nimirum ex personarum pluralitate, ex personarum differentia, et ex personarum trinitate.

82. *Objic.* -1) *Repugnat in Deo pluralitas.* Etenim quod est unum, excludit pluralitatem in se ipso subsistentem ; atqui Deus est unus ; ergo. — R. *Dist. maj.* Excludit pluralitatem quacum non identificatur, *conc. ;* etiam illam quacum identificatur, seu nequit esse identicum cum pluribus subsistentibus, *nego :* id enim demonstrari nequit. — *Concessa min. dist. conseq.* Ergo Deus excludit pluralitatem, a qua realiter distinguatur, *conc. :* pluralitatem subsistentium, quacum identificetur realiter, *neg. conseq.*

83. *Obj.* -2) Atqui excludit Deus quamcumque pluralitatem subsistentium, seu personarum ; cum hæc induceret compositionem. *Prob.* Ibi est compositio, ubi est pluralitas et distinctio realis ; atqui in Deo est pluralitas et realis distinctio personarum ; ergo.—R. *Dist. maj.* Ibi est compositio ubi est pluralitas et distinctio realis, si insuper sit unio realiter distinctorum,

[1] In *Timæo.*— [2] Cf. P. Baltus, S. J. *Défense des SS. Pères accusés de Platonisme*, præcipue lib. 4, c. 19 ; l. 3, c. 1 ; item Petav. *De Trin.* l. 1, c. 1, 2, 8 ; — item Bergier, *Diction.* art. *Platonisme, Trinité platonique.*

trans. ; aliter, *neg.* — Jam vero personæ realiter distinctæ non sunt proprie unitæ inter se, sed tantum indentificatæ cum essentia. Videlicet vel personæ considerantur præcisive ab essentia, et non constituunt compositum : quia sub hoc respectu non uniuntur, sed tantum distinguuntur ; vel considerantur ut sunt in essentia, et iterum non constituunt compositum : quia sub hoc respectu non uniuntur sed identificantur.

84. *Instant.* Atqui pluralitas personarum veram inducit in Deum compositionem, cum inducat plures substantias inter se aliquo modo unitas. *Prob.* Persona significat substantiam, ut patet ex definitione Boetii : *Persona est rationalis naturæ individua substantia* ; ergo multiplicatis personis, multiplicantur in Deo substantiæ. — R. *Dist. prob.* Persona significat substantiam, qua ultimo completam et sui juris, seu subsistentem, *conc.;* significat substantiam simpliciter et directe, *neg.* Ergo multiplicatis personis non multiplicatur substantia secundum se, seu prout est substantia, sed tantum secundum subsistentiam seu modum subsistendi, ita ut eadem substantia diversis modis subsistat.

85. *Obj.* 3) Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se ; atqui divinæ personæ sunt eædem uni essentiæ, ergo sunt eædem inter se. Aliter : Pater est Deus ; item Filius est Deus ; ergo Filius est Pater. — R. *Dist. maj.* Sunt eadem inter se, quæ sunt eadem uni tertio sub omni respectu, seu *adæquate*, id est : ea quorum unumquodque indentificatur cum omni eo quod est tertium, illa identificantur inter se *conc.* ; quæ sunt eadem uni tertio *inadæquate*, i. e. quorum unumquodque identificatur cum tertio, non autem cum omni eo quod est tertium, sunt eadem inter se, *neg.* Hoc autem occurrit in dogmate Trinitatis. Docet enim Fides, unamquamque personam identificari cum divina essentia, non vero cum omni eo quod est essentia : videlicet unaquæque persona est essentia, seu est omnis perfectio absoluta quæ identificatur cum essentia ; non autem est omnis perfectio relativa, quæ cum eadem essentia identificatur. — Item, Pater est Deus, cum sua personalitate propria, *conc.;* sine personalitate propria, ita ut confundatur cum Filio, *neg.*

86. *Inst.* Non valet distinctio. Nam principium identitatis verum est de quacumque identitate enuntiatum, seu est absolutum, cum ratio nihil distinguat. — R. *Nego assert.* Nam hoc principium non est metaphysice verum, nisi sub quo respectu rationi est evidens ; jam vero rationi evidens tantum est, identica complete seu *adæquate* cum uno tertio, identificari inter sese : non vero *inadæquate duntaxat* identica uni tertio, etiam identificari inter se. — Quod autem principium soleat enuntiari absolute, inde provenit, quia in creatis identitas inadæquata, seu secundum naturam tantum, nuspiam occurrit. Porro adver-

sarii esset ostendere, identitatem hujusmodi inadæquatam esse absolute impossibilem : hoc autem demonstrari nequit ex principio identitatis, quod ab hac re omnino præscindit.

87. *Obj.*-4) *Repugnat personarum differentia.* Etenim si personæ inter se differunt, seu realiter distinguuntur, non sunt infinite perfectæ : cum una aliquid habeat quod non habet altera ; atqui personam divinam non esse infinite perfectam repugnat ; ergo. — *Neg. maj.* et adjectam probationem, *dist.* : una persona habet aliquid *absoluti* quod non habet altera, *neg.* ; aliquid *relativi subdist.* habet aliquid relativi quod non habet altera, per se, et, ut ita dicam, directe, *conc.* ; quod non habet altera indirecte, per communicationem et circuminsessionem, *nego.* — Unaquæque persona, hoc ipso quod identificatur cum essentia, continet mediante essentia, quidquid perfectionis aliis personis inest ; ac proinde unaquæque est infinite perfecta : sic esse Patrem in divinis, est æque infinite perfectum ac esse Filium, ut infra explicabitur [1].

88. *Obj.* -3) *Repugnat personarum trinitas.* Nam si sunt tres in Deo personæ, non solum tres, sed aliæ atque aliæ præterea sunt admittendæ. Cum enim omnia in Deo infinita sint, et ipsa fecunditas infinita sit oportet. — R. *Neg. antec.* Ad probat. *dist.* Oportet ut fecunditas sit infinita intensive, et quoad excellentiam, *conc.* ; etiam extensive, et quoad numerum terminorum, *neg.* Ex eo quod sit in Deo fecunditas infinita, sequitur tantum, esse oportere aliquam productionem termini infiniti : at quotuplex productio esse debeat, ratio ex idea infinitæ fecunditatis deducere non potest. Cur autem revera duplex tantum terminus producatur, unde Trinitas exoritur, ex naturæ intellectualis consideratione, aliqua ratione explicari potest [2].

89. Q. 5° *Quomodo de existentia Trinitatis humanæ rationi certo constat ?* — R. Auctoritate, vi cujus ratio humana, juxta propria sua principia, Trinitatis dogma admittere omnino tenetur. Illud enim ratio admittere tenetur, quod ex una parte nullam contradictionem in se manifestat, et ex altera parte evidenti nititur argumento ; atqui primo, Trinitas nullam manifestat contradictionem, ut ex modo dictis patet ; — secundo, nititur argumento evidenti, auctoritate Ecclesiæ infallibilis [3], Trinitatem ut dogma fidei proponentis. Ergo.

90. Q. 6° *An mysterium SS. Trinitatis cognitum fuit sub Vetere Testamento ?* — R. Tres Judæorum ordines discernendi sunt : -1) Patriarcharum, Prophetarum, et aliorum in ea gente insignium virorum ;-2) Scribarum et legis Doctorum ;-3) vulgi.—

[1] Cap. 2, art. 1, § 3, *quær.* 5, n. 158. — [2] Cf. infra, cap. 2, art. 1, § 1, *quær.* 2, n. 138 — [3] Cf. supra, tract. *De Eccl.* n. 216.

Jam vero cum communi Theologorum tenenda sunt sequentia.

91. -1) Mysterium SS. Trinitatis sub Vetere Testamento revelatum fuit, illudque Patriarchæ, Prophetæ aliique viri insignes cognoverunt. Etenim Patriarchæ exoptarunt videre Verbum incarnatum [1] ; Prophetæ vero, ut mox ostendetur, tum divinarum personarum distinctionem, tum Christi et Spiritus S. divinitatem in V. T. tradiderunt ; atqui profecto id noverant quod scribebant et annuntiabant ; ergo.

92. -2) Scribis etiam et Doctoribus Judæorum quædam esse potuit, licet obscurior, notitia duarum saltem Trinitatis personarum. Etenim multa V. T. loca, quæ venturum Messiam pollicentur, ejus divinitatem simul significant. Non igitur credibile est, Legis Doctores, cum sacris codicibus scrutandis totos se darent, Messiæ divinitatem prorsus ignorasse. Aliunde vero Messias Scripturis exhibebatur ut persona distincta a Deo, a quo mittendus erat. Unde, cum probe scirent Doctores Deum unum esse, duas saltem in uno Deo personas intellexisse censendi sunt.

93. -3) Judæorum vulgo, vel nulla, vel valde confusa SS. Trinitatis notio erat. Etenim quando Christus se Messiam et Patris æterni filium, ac verum cum ipso Deum esse significavit, Judæorum multitudo, eum lapidare voluerunt, dicentes : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia : et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Joan. X, 33. — Idem confirmat constans deinceps Judæorum circa hoc mysterium error.

94. Q. 7° *Ex quibus præcipue T. V. testimoniis, pluralitas ac trinitas divinarum personarum eruitur ?* — R. Pluralitas personarum indicatur Gen. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.—Et creavit Deus hominem ad imaginem suam : ad imaginem Dei creavit illum.*

95. Distincte indicantur divinæ personæ, vel singillatim, vel tres simul : Ps. CIX : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis... Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te.* — Ps. XLVI, 7 : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*— Ps. XXXII, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* — Isai. XLVIII, 16 : *Et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus.* Ibid. VI, 3 : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.*

[1] Matth. XIII, 17 ; Joan. VIII, 56. — [2] Cf. Theodoret. quæst. 19 in Gen.; Tertull. *cont. Prax.* c 12 ; Petav. *De Trin.* l. 2, c. 7. — [3] Cf. Ad. Hebr. cap. I ; item Ps. II. — [4] Cf. Petav. l. 2, c. 7, n. 14.

PROPOSITIO.

SS. Trinitatis dogma perhibet tum Scriptura, tum perpetua Ecclesiæ catholicæ Traditio.

96. Propositio, prout jacet, est *certa et cum ipso dogmate connexa.*

97. PROB. I PARS. Missis testimoniis Veteris Testamenti, quæ supra delibavimus, Novum Testamentum afferemus, ubi luce longe clariore Trinitatis mysterium refulget. Testimonia varia reduci possunt ad triplicem classem, prout ducuntur ex locis, ubi vel 1° tres personæ expresse nominantur ; vel 2° personæ Patris et Spiritus S. cum Christo conjuncte exhibentur ; vel 3° separatim Filii et Spiritus S. divinitas adstruitur.

98. 1° Matth. XXVIII, 19 : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quæ verba ita exponi possunt : *Baptizantes eos,* id est, per Baptismum eis conferentes divinam gratiam, qua a peccatis mundentur, in filios Dei adoptentur, atque ita jure ad visionem beatificam potiantur : totidem dona quæ a solo Deo concedi possunt. — *In nomine*, i. e. in virtute ac potestate ; *Patris*, qui, omnibus fatentibus, Deus est ; *et Filii, et Spiritus sancti*, qui æquali gradu cum Deo Patre nominantur, ut simul, et per modum unius principii, divinum opus sanctificationis et adoptionis operentur.

99. Qua expositione præmissa, facile ex allato textu colligitur existere Trinitatem, seu tres personas æqualis dignitatis, in una divina essentia. Etenim -1) distincta nominatione indicatur distinctio realis personarum. -2) Invocatione una et æquali, demonstratur eas esse dignitate æquales. -3) Ex verbo *in nomine*, ostenditur eas in eadem numero natura subsistere. Quod etiam facile concluditur ex divinæ naturæ unitate, aliunde certissima.

100. Testimonio Matthæi adjungi potest I Joan. V, 7 : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus et hi tres unum sunt.*

101. 2° Matth. III, 16 : *Baptizatus Jesus confestim ascendit de aqua : et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

102. 3° Joan. V, 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* — Joan XVI, 13 : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

[1] Hujus loci genuinitas perperam a Socinianis fuit in dubium revocata. Vid. Perrone, *De Trin.* n. 64.

103. PROB. II PARS. Argumenta Traditionis ad duplicem classem reduci possunt : sunt enim 1° vel argumenta generalia, vel 2° Patrum particularia testimonia.

104. 1° Forma Baptismi supra exposita, a principio in Ecclesia usurpata, perpetuam Trinitatis fidem arguit. — Idem demonstrat cultus publicus SS. Trinitatis, qui semper in Ecclesia obtinuit. Justinus, Apol. 2ª, ait : *Patrem, et, qui ab eo venit, Filium et Spiritum sanctum, colimus et adoramus.* — Inde doxologia : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.*

105. 2° Patrum testimonia copiosissima collecta videre est apud auctores [1] ; unum afferre juvat S. Irenæi, Adv. hæreses, l. 1, c. 10, ita scribentis : *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab Apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem... et in Jesum Christum, Filium Dei, incarnatum pro nostra salute ; et in Spiritum sanctum.*

106. His addi potest coronidis instar, *argumentum præscriptionis*, quod etiam argumentum legitimæ possessionis, seu legitimi præjudicii vocari potest. Hujus autem argumenti forma hæc est : Ecclesia universa hoc dogma hodie possidet, et antehac omni memoria possedit, ita ut nullum tempus quo hac possessione caruerit assignari possit ; ergo hoc dogma possedisse a tempore Apostolorum, et ab iis proinde accepisse dicenda est. Quod sane irrecusabile ratiocinium innititur in hoc evidenti S. Augustini principio : *Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum sed semper retentum est, ab ipsa apostolica traditione manare, rectissime creditur* [2]. — Jam vero argumentum præscriptionis ita ad rem nostram applicamus: Cum Ariani, Sabelliani et quilibet alii adversus Trinitatis dogma insurgerent, Ecclesia quæ eos ut novatores damnavit, hoc dogma possidebat ; ergo illud ab Apostolorum tempore possedisse, a quibus et accepit, dicenda est [3].

ARTICULUS II.

DE DIVINITATE FILII ET SPIRITUS SANCTI IN SPECIE.

107. De divinitate Patris cum nunquam controversia exstiterit, agendum non est. Filii autem et Spiritus S. divinitas, cum a multis hæreticis, præsertim ab Arianis et Macedonianis vehementissime fuerit impugnata, speciatim est defendenda.

Propositio I, *de divinitate seu consubstantialitate Verbi.*
Propositio II, *de personalitate et consubstantialitate Spiritus S.*

[1] Cf. Præsertim Petav. *De Trin.* — [2] Cont. Donat. l. 4.
[3] Cf. Liebermann, cap. 1, § IV ; item Perrone, n. 43 et 114.

PROPOSITIO I.

Verbum, seu Filius, secunda Trinitatis persona, est verus Deus, Patri consubstantialis.

108. *De fide*, ex definitione, Conc. Nicæni adversus Arianos.

109. Dicitur in propositione, Verbum esse *verum Deum, Patri consubstantialem* : quo non duæ res distinctæ significantur, sed una et eadem explicatur : divinitas nempe proprie dicta Verbi. Nam Verbo tribuere veram divinitatem, idem est ac ei unam eamdemque numerice cum Patre divinam substantiam tribuere ; seu idem est ac asserere, Verbum esse *consubstantiale Patri*.

110. PROB. 1° *Ex Scriptura V. T.* Præter testimonia superius [1] allata ex Psalmis, alia proferri possunt ex libris Sapientialibus, ubi Salomon æternam generationem Sapientiæ celebrat. Hæc enim Prov. VIII, 22, ita inducitur de semetipsa loquens : *Dominus possedit me* [genuit me] *in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram. Necdum fontes aquarum eruperant ; necdum montes gravi mole constiterant ; ante colles ego parturiebar.* Ergo Sapientia hæc increata est, et ab æterno genita ; sed eadem est *Verbum Dei in excelsis*, Eccli. I, 5 ; ergo Verbum est increatum, ab æterno genitum, ac proin consubstantiale Patri.

111. 2° *Ex Script. N. T.* Hinc testimonia præsto sunt duplicis generis : alia directe adstruunt *Verbi* divinitatem ; alia divinitatem *Christi*, quæ proin divinitatem Verbi demonstrant indirecte : cum Christi et Verbi eadem sit persona, ut patet passim ex Evangelio [2]. Joan. I : *Verbum caro factum est et habitavit in nobis... Joannes testimonium perhibet de ipso* (Verbo Jesu)... *quia hic est Filius Dei.*

112. Joan. I : *In principio erat Verbum : et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

113. Joan. X, 30 : *Ego et Pater unum sumus... ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre.*

114. 3° *Ex Patribus*, præsertim antenicænis, quos Sociniani calumniati sunt non prædicasse Verbi divinitatem, quum illam per Concilium Nicænum invectam esse mentirentur. Hi Patres passim longo ordine apud auctores citantur [3]. Nobis unum alterumve adduxisse sufficiat. S. Irenæus : *Semper est coexistens Filius Patri.* Hæres. l. 2, c. 35. — S. Ignatius : *Medicus unus est, carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine existens Deus, et ex Maria et ex Deo... qui est Verbum ipsius*

[1] Art. 1, n. 95. — [2] Cf. infra Tract. *De Incarnat.* cap. 2, art. 1, prop. unica, n. 62. — [3] Cf. Witasse, *De Trinit.* quæst. 4, sect. 4 ; Petav. præfat. ad tom. 2.

æternum, non post silentium egrediens. Epist. ad Eph. n. 7 ; et ad Magnes. n. 8. — S. Justinus : *Filius ejus, qui solus proprie dicitur Filius, Verbum, simul cum eo ante creaturas et existens et nascens.* Apol. I. — Tertullianus : *Ego et Pater unum sumus : ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem pertinet.* Cont. Prax. c. 25.

115. His addi possent copiosissima *de divinitate Christi* testimonia ; quippe quæ, propter identitatem personæ, ad Verbum pertineant.

PROPOSITIO II.

Spiritus Sanctus est vera per se subsistens persona, Patri et Filio consubstantialis.

116. *De fide*, ex omnibus Symbolis, speciatim vero ex definit. Conc. CP. I, adversus Macedonianos.

117. Personalitas Spiritus S. potissimum adversus Socinianos, divinitas vero adversus antiquiores Pneumatomachos vindicanda est. Hi namque passim Spiritum Sanctum ut veram personam spectabant, sed Patre ac Filio inferiorem ; Sociniani vero eum non esse personam, sed tantum virtutem quamdam Dei et energiam asseruerunt.

118. PROB. I PARS. *Spiritus sanctus est vera persona.* Præter argumentum indirectum, quod duci potest ex Propositione *de veritate Trinitatis*, qua supra probatum est tres esse in Deo personas realiter distinctas, e quibus Spiritus S. una est ; argumenta directa tum Scriptura tum Traditio suppeditat.

119. 1° Spiritus S. in Scriptura *vocatur persona*, saltem æquivalenti termino, ut Joan. XVI, 16 : *Ego rogabo Patrem, et* ALIUM *paraclitum dabit vobis.* — Ibid. XV, 26 : *Cum venerit araclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

120. Dein Spiritui S. in Scriptura tribuuntur operationes quæ personarum sunt ; ergo vera persona est ; nam *actiones sunt suppositorum* ac proin personarum, cum persona sit suppositum rationale. — *Prob. antec.* Scriptura Spiritui S. tribuit *docere, testari, operari pro arbitrio, dona largiri*, etc. ; quæ omnia ad rationale suppositum pertinent. Joan. XIV, 26 : *Ille vos docebit omnia.* — Ibid. XV, 26 : *Ille testimoniuin perhibebit de me.* — I Cor. XII, 11 : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

121. 2° Traditio patet, partim ex hæresi Macedonii, quæ Spiritum S. creaturam quidem, sed tamen personam esse statuebat ; partim ex ejusdem hæresis damnatione (381), qua definitum est Spiritum S. personam *divinam* esse, cum Patre et Filio simul adorandam.

[1] Tract. *De Incarn.* cap. 2, n. 62 seqq.

122. II PARS. *Spiritus S. est Patri et Filio consubstantialis.*

123. 1° Scriptura Spiritum S. *Deum* appellat ac *Dominum.* Isai. VI,8: *Audivi vocem Domini dicentis : Vade, et dices populo huic : Audite audientes et nolite intelligere...* Atqui hic *Dominus* est *Spiritus S.*, explicante Paulo Act. XXVIII, 25: *Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros, dicens : Vade ad populum istum et dic ad eos : Aure audietis et non intelligetis.* — I Cor. III, 16 : *Nescitis quia templum* DEI *estis,et* SPIRITUS DEI *habitat in vobis?*

124. Scriptura Spiritui S. *attribuit operationes divinas,* ut miracula, remissionem peccatorum, sanctificationem,etc. I Cor. XII, 11 : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus.* — Joan. XX, 22 : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* — I Cor. VI, 11 : *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis, in nomine D. N. J. C. et in Spiritu Dei nostri.* — Rom. V, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

125. 2° Traditio patet -1) ex Consilio Constantinop., Macedonii hæresim damnante. -2) Ex disertis testimoniis Patrum, qui Spiritum S. affirmant esse Deum, sicut Patrem et Filium, adorandum. S. Justinus : *Patrem, et qui ab eo venit Filium, et Spiritum sanctum propheticum colimus et adoramus.* Apolog. 2. — Athenagoras : *Quis non miretur,cum audit nos, qui Deum Patrem prædicamus, et Deum Filium, et Spiritum sanctum, atheos vocari.* Legat. pro Christian [1].

ARTICULUS III.

DE NATURÆ DIVINÆ IN TRIBUS PERSONIS UNITATE.

126. Quemadmodum in superioribus adversus Arianos et Macedonianos demonstrata est *in divinis Personis proprietas;* ita nunc adversus Tritheitas ostendenda est *in Essentia unitas,* unde patebit necessarium esse, ut ab omnibus, prout Ecclesia concinit, *in Majestate adoretur æqualitas.*

PROPOSITIO UNICA.

Tribus SS. Trinitatis personis communis est una numerice natura divina.

127. *De fide,* ut clarissime proponitur in Symbolo Athanasiano, et Conc. Later. IV, cap. *Firmiter.*

128. PROB. 1° *Ex Script. et Patribus.* I Joan. V, 7 : *Hi tres*

[1] Cf. Witasse, quæst. 4, sect. 2.

unum sunt. — Joan. X, 30 : *Ego et Pater unum sumus ;* quæ verba S. Hilarius, 4 de Trin. ita commentatur ; *Absolute Pater Deus et Filius Deus unum sunt, non* UNIONE *personæ, sed substantiæ* UNITATE [1].

129. 2° *Ex ratione theol.* Deus est unus, seu una numero est natura divina, ut ipsa ratio demonstrat [2] ; atqui si natura divina esset specifice tantum una et numerice triplex, non foret una numero ; ergo impossibile est ut natura multiplicetur pro numero personarum : ac proin, etiam multiplicatis personis, una numerice natura communis existat necesse est.

130. Dein, natura divina est simplicissima, ut supra pariter demonstratum est [3] ; ergo omnis compositio aut collectio excludenda est ab ea ; ergo tribus personis communis est divina natura, non collective sed numerice una.

[1] Ita Patres unanimiter. Cf. Witasse, Quæst. 4, art. 4. — [2] Cf. supra, **Tract.** *De Deo*, cap. 2, art. 2, n. 84 seqq. — [3] Tract. *De Deo*, ibid. n. 96 seqq

CAPUT SECUNDUM.

DE SS. TRINITATIS CHARACTERIBUS [1].

131. Mirabile SS. Trinitatis mysterium Theologi catholici non tantum demonstrare, sed præterea, divinis verbis innixi, summo studio simul ac reverentia rimari contenderunt ; ut quoad humanæ intelligentiæ datum est, illud perspicerent, et omnia quæ Deus hominibus de semetipso dignatus est revelare, quam optime assequerentur. Sanctum quidem et laudabile studium. Nam si ex una parte fugienda est temeritas, quia *qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria*[2]; ex altera tamen, qui debita reverentia verbum Dei assequi quam diligentissime conantur, *bene faciunt attendentes* illi *quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus*[3]. — Igitur quemadmodum astronomi et naturæ periti, solis faciem radiosque speculantes, nonnullos ejus characteres detegere potuerunt ; ita quoque Theologi varios in SS. Trinitatis mysterio deprehenderunt characteres ; quorum studiosa consideratio ad fidem SS. Trinitatis distinctius definiendam, et clarius percipiendam non mediocriter conducit.

132. *Characteres* appellamus quæcumque propria sunt SS. Trinitatis. Quæ licet *generatim proprietates* vocari possent, quia tamen quædam *strictiore sensu proprietates* dici debent, ne confusio generetur, aliud nomen censuimus usurpandum.

133. Characteres SS. Trinitatis duplici modo spectari possunt : *in communi*, et præscindendo a particularitate personarum quibus insunt ; vel *in particulari*, prout sunt in singulis personis. Hinc duo articuli :

Articulus I, *de characteribus in communi.*
Articulus II, *de characteribus in particulari.*

ARTICULUS I.

DE SS. TRINITATIS CHARACTERIBUS IN COMMUNI.

134. Characteres in SS. Trinitate numerantur sequentes ; 1° processio, 2° subsistentia, 3° relatio, 4° proprietas, 5° notio, 6° appropriatio et communitas, 7° circuminsessio, 8° missio, 9° æqualitas et ordo. De singulis agendum distinctis paragraphis.

[1] Cf. S. Thom. p. 1, qq. 27-43. — Suarez, tom. 1, tract. 3.
[2] Prov. XXV, 27. — 3 II Pet. I, 19.

§ I. De processione in divinis.

QUÆSTIONES.

1° *Quid est processio in divinis ?* — 2° *Quot processiones dantur ?* — 3° *Quæ sunt divinarum processionum proprietates ?* 4° *Quæ sunt earumdem principia ?* — 5° *Quodnam est processionis Filii et Spiritus S. discrimen ?* 6° *Cur sola processio Verbi dicenda est generatio ?*

135. QUÆR. 1° *Quid est processio in divinis ?*—R. [1] Processio generatim sumpta, idem sonat ac *origo*, *seu emanatio unius ab alio*. Est duplex : una *transiens* seu *ad extra*, vi cujus terminus ponitur extra principium a quo procedit : ut in humanis, filius a patre sed extra patrem procedit ; altera *immanens* seu *ad intra*, qua terminus intra principium suum manet. — Hæc posterior distinguitur etiam duplex: imperfecta et perfecta. *Imperfecta*, quæ et *physica* dicitur, est, quando terminus productionis a principio suo proprie et stricte pendet, et natura saltem numerice ab ipso differt, ac proinde appellatur effectus. Sic processio cogitationis in homine est immanens, quia cogitatio manet intra mentem ; sed simul physica et imperfecta, quia cogitatio a mente in sua existentia proprie dependet, utpote quod naturam differens a mente, sicut accidens a substantia. *Perfecta*, quæ et *metaphysica* dicitur, est, quando terminus a principio suo non proprie dependet, utpote eadem numerice cum illo natura constans. Talis est in divinis processio Verbi a Patre, et Spiritus Sancti ab utroque : talis inquam est, cum eadem numerice sit tribus natura, quod supra probatum est.

136. Porro *processionis* nomen accipitur dupliciter : -1) ut est nomen commune productioni Filii et Spiritus S. ; uterque enim procedere dicitur ; -2) ut est nomen speciale productionis tertiæ personæ : quo sensu proprium Spiritus Sancti. Quum enim amborum processiones distinguuntur, Filius dicitur *gigni*, Spiritus S. *procedere*.

137. Q. 2° *Quot processiones dantur ?* — R. Duæ tantum, altera Filii, altera Spiritus S. ; ut fidei Symbola docent et Scriptura testatur, Ps. CIX : *ex utero ante luciferum genui te ;* quæ verba processionem includunt : non enim potest sine aliqua processione intelligi generatio. — Joan. VIII, 42 : *Ego ex Deo processi et veni.*—Ibid. XV, 26 : *Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.*

138. Porro, quod sint processiones in Deo, rationi consentaneum est ; quum in iis appareat divinæ naturæ fecunditas, quæ videtur esse perfectio quædam summa, Deo proinde non dene-

[1] Cf. supra, *Introduct.* § 1, n. 31-42. — S. Thom. 1 p. q. 27, art. 1.

ganda. Ad quod confirmandum aptatur vulgo illud Isaiæ LXVI, 9 : *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam ?... Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero* [1]?—Quod autem sint processiones omnino *duæ*, nec plures esse possint, aliqua etiam congruentia assignatur. Etenim processiones in sinu Dei sunt actiones immanentes, cujusmodi tantum sunt duæ, *intellectio* et *volitio*, quibus intellectualium operationum circulus perficitur : nam intellectio oritur ab objecto, ab intellectione volitio, et hæc iterum redit ad objectum [2].

139. Q. 3° *Quænam sunt divinarum processionum proprietates ?* — R. Immanentia, substantialitas, necessitas, æternitas, demum immunitas ab omni imperfectione, unde et metaphysicæ dicuntur.

140. Processiones sunt -1) *immanentes :* earum enim termini intra principia sua manent, v. g. Filius in Patre est. Unde Joan. I, 1 : *Et Verbum erat apud Deum ;* v. 18 : *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Hujus vero rei causa est, quod processiones istæ peraguntur intellectu et voluntate, quæ immanentur operantur, ut ipsi etiam philosophi docent.

141.-2) *Substantiales seu subsistentes.* Hoc enim est discrimen Deum inter et creaturas, quod creaturæ cum intelligunt et volunt, nonnisi accidentales terminos producunt. Verbum enim ab humana mente cogitando efformatum, accidens est, non substantia. At vero termini intellectus et voluntatis Dei per se subsistunt, et veræ sunt personæ, eadem cum principio suo substantia constantes.

142. -3) *Necessariæ.* Non enim potest Pater se, et quidquid secum est connexum, non perfecte intelligere, et Verbum suum, sibi æquale, intelligendo non producere. Similiter Filius et Pater, non possunt non sese amare ut summum bonum, et hoc amore non producere amoris, seu voluntatis istius terminum, hoc est, Spiritum sanctum.

143. -4) *Æternæ.* Nullum enim fingi potest momentum, in quo se vel non intellexerit, vel non amaverit Deus. Porro intellectio et amor Dei propriis ac nativis terminis suis nunquam carere potuerunt.

144. -5) *Omnis imperfectionis expertes*, unde et *metaphysicæ* dicuntur ; scilicet, citra omnem mutabilitatem, dependentiam, aut naturæ diversitatem : in quo differunt ab iis quæ in creaturis cernuntur. Neque enim generatio divina, v. g. ejusdem est cum humana conditionis, aut iisdem imperfectionibus obnoxia ; siquidem Pater æternus sine ulla sui mutatione producit Filium ; Filius sine ulla dependentia proprie dicta a Patre est, cum numerice eamdem cum Patre naturam a Patre acci-

[1] Cf. Witasse, *De Trin.* quæst. 5, a. 2. — [2] Cf. S. Thom. 1 p. q. 27, a. 5.

piat. Quæ producentis immutabilitas, et producti independentia, in processione quoque Spiritus S. obtinet. Hoc ineffabile mysterium SS. Patres, ut imagine aliqua adumbrarent, vulgo compararunt luci, quæ ex sole, aut igni, qui ex alio igne oritur. Hilarius l. 6, de Trinitate : *Vera fidei professio est*, inquit, *ita Deum ex Deo natum, ut lumen ex lumine: quod sine detrimento suo, naturam præstat ex sese, ut det quod habet, et quod dederit habeat.*

145. Q. 4° *Quæ sunt divinarum processionum principia?*— R. [1]. -1) Constat apud omnes Theologos, principium *quod* esse ipsammet personam producentem : sic, principium *quod* generationis Filii, est Pater, qui solus proprie generare dicitur.

146. -2) Non minus indubitatum est, principium *quo remotum* esse divinam naturam.

147. -3) Sed difficultas est determinandi principium *quo proximum*, seu per quid proxime persona producens in actum erumpat. Quocirca plures proferuntur sententiæ, quarum communior statuit, principia *quo proxima* esse *intellectum* et *voluntatem :* non quatenus hæ facultates sunt *essentiales* ac tribus personis communes, sed quatenus *notionales*. Notionalis autem dicitur intellectus, quatenus uni personæ producenti, id est Patri, proprius est ; notionalis dicitur voluntas, quatenus propria est utrique, id est Patri et Filio. Porro utraque facultas propria est peculiari personæ, ac proin notionalis, quatenus relationes huic personæ proprias sibi adnexas habet. Actiones itaque productivæ divinarum personarum, sunt juxta hanc sententiam, intellectio notionalis, quæ est *dictio* activa, seu *dicere;* et volitio notionalis, quæ est *spiratio* activa, seu *spirare*.

148. Nota tamen, juxta probabiliorem sententiam, relationes adnexas intellectui et voluntati, ut principiis proximis divinarum processionum, non se habere ut comprincipia producentia, sed tantum ut conditiones ad producendum necessarias.

149. Q. 5° *Quodnam est processionis Filii et Spiritus S. discrimen ?* — R. Non tantum differunt eo quod una ab intellectu, altera a voluntate sit ; sed eo etiam, quod sola Verbi processio sit, ac dici debeat *generatio ;* sicut Symbolis definitur, a Patribus traditur, et ex Scripturis facile intelligitur. Scripturæ enim non solum nomen generationis nunquam tribuunt alteri processioni ; sed etiam conceptis verbis definiunt, Verbum Filium Dei *unigenitum* esse ; *Verbum caro factum est... et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. — Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Joan. I, 14, 18.

150. Q. 6° *Cur sola processio Verbi, non autem Spiritus*

[1] Cf. Suar. tom. 1, tract. 3, l. 1, c. 5 seqq.

sancti, dicenda est generatio? — R. Ardua est hæc quæstio, et ipsa, ut ita dicam, mysterii viscera rimatur. Hinc Theologorum, qui, modeste ut par est, in hoc discrimine assequendo allaborarunt, tot diversæ sententiæ. Unam proferre sufficiat Angelici Doctoris [1], juxta quem idcirco Verbum est genitum quod procedat per intellectum. Etenim intellectus præcise qua talis, habet vim producendi terminum similem objecto cognito, i. e. Patri ; et qua perfectissimus, producere debet terminum similem Patri similitudine perfectissima, i. e. natura. Atqui talis productio est proprie dicta generatio ; ergo Verbum, quia procedit per intellectum, est proprie persona genita, adeoque Filius. — Spiritus autem S. non est genitus, eo quod procedat per voluntatem, et sit terminus amoris divini. Ratio est, quod terminus amoris divini non est similis principio suo in natura, vi processionis istius *formaliter sumptæ ;* ergo licet reapse sit similis, non tamen quatenus sic productus. Nam voluntatis actus est duntaxat quidam motus in rem amatam ; qui non objectum sibi, sed se ipsum potius objecto assimilat. Ergo terminus amoris divini, non est similis in natura vi processionis *formaliter* sumptæ, sed tantum quia realiter et quasi *materialiter*, per amorem Patris et Filii, communicata accipit omnia quæ habent, i. e. ipsam naturam divinam.

§ II. De subsistentiis divinis.

QUÆSTIONES.

1° Quid est subsistentia in divinis? — 2° Quot sunt in Deo subsistentiæ? — 3° An præter tres subsistentias relativas, admittenda est quarta communis?

151. QUÆR. 1° *Quid est subsistentia in divinis?* — Subsistentia [2], seu personalitas, est ratio constitutiva personæ, seu ipsa persona abstractive sumpta. — Porro sat communis Theologorum usus habet, ut hæ voces : *persona, personalitas, subsistentia, hypostasis et suppositum* pro eodem sumantur in divinis, licet *hypostasis, suppositum et subsistentia* latius pateant, quam *persona* et *personalitas* [3].

152. Q. 2° *Quot sunt in Deo subsistentiæ?* — R. Tot sunt in Deo subsistentiæ seu personalitates, quot sunt personæ : nam multiplicato concreto substantivo, multiplicetur abstractum necesse est. Tres sunt itaque in Deo subsistentiæ : *Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva ;* quæ subsistentiæ sunt relativæ.

153. Q. 3° *An præter tres subsistentias relativas, admittenda est quarta communis ;* — Affirmativam sententiam, rite

[1] P. 1, q. 27, art. 2 et 4. — [2] Cf. supra, n. 25.
[3] Cf. supra *Introd.* § 2, n. 25 seqq

intellectam, probabilem censet Suarez [1]. Communiter tamen Theologi eam rejiciunt, censentes, præter subsistentias tres relativas, quibus Deus trinus est, nullatenus quartam admitti posse, qua Deus unus sit. Etenim subsistentia, ubicumque in concreto occurrit, suppositum constituit : et si in natura intellectuali reperitur, personam ; ergo quarta in Deo subsistentia quartam personam induceret.

§ III. De relationibus divinis.

QUÆSTIONES.

1o Quid sunt relationes in Deo ? — 2o An dantur in Deo relationes originis ? — 3o Quot numerantur relationes originis ? — 4o Quomodo relationes divinæ, tum ab essentia, tum inter se distinguuntur ? — 5o An relationes divinæ sunt perfectiones ?

154. QUÆR. 1° *Quid sunt relationes in Deo ?* — R. Relatio, quæ est ordo seu respectus unius ad alterum, multiplex in Deo distingui potest. Aliæ enim relationes *ad extra*, quas habet Deus ad creaturas ; aliæ *ad intra*, quas habent tres divinæ personæ ad se invicem. — Relationes ad intra, aliæ sunt tribus personis *communes*, v. g. relationes *identitatis*, *æqualitatis*, *similitudinis ;* aliæ sunt *personales* seu *originis*, quia nempe fundantur in origine, seu processione unius personæ ab altera, v. g. *paternitas*, *filiatio*. De relationibus originis hic solum sermo est.

155. Q. 2° *An dantur in Deo relationes originis ?* — R. Dari in Deo relationes originis ad fidem pertinet. Nam in Deo tres sunt personæ realiter distinctæ, non per id quod est in Deo absolutum, sed per id quod relativum est ad duas processiones seu origines ; ergo dantur in Deo relationes originis.

156. Q. 3° *Quot numerantur relationes originis ?* — R. Quatuor : duæ namque sunt processiones ; atqui singulis processionibus correspondent duæ relationes, una producentis ad productum, altera producti ad producentem ; ergo quatuor sunt relationes originis : *Paternitas* et *Filiatio* fundatæ in processione per intellectum ; *Spiratio activa* et *Spiratio passiva*, fundatæ in processione per voluntatem.

157. Q. 4° *Quomodo relationes divinæ tum ab essentia, tum inter se distinguuntur ?* — R. In divinis, valet effatum : *Omnia unum sunt ubi non obviat relationis oppositio*, quæ consistit in ordine producentis et producti. — Unde -1) relationes *non* distinguuntur *realiter ab essentia*, quacum nullam habent oppositionem relativam. Distinguuntur tamen ab ea *virtualiter*, cum de relationibus prædicetur id, quod prædicari non potest de essentia : nimirum quod producant vel producantur. -2) Relationes originis quæ sibi mutuo opponuntur, nempe paternitas et filiatio, spiratio activa comparata cum spiratione passiva, *realiter* inter se distinguuntur. -3) Spiratio activa non distin-

[1] Tom. 1, tract. 3, l. 4, c. 11. — Cf. Antoine, *De Trinit.* c. 4, art. 2.

guitur realiter a paternitate et filiatione, sed *virtualiter* tantum. -4) Spiratio passiva distinguitur *realiter* a paternitate et filiatione adæquate sumptis, et prout realiter identificatis cum spiratione activa.

158. Q. 5° *An relationes divinæ sunt perfectiones?*— R. Probabilius affirmandum videtur, relationes originis in unaquaque persona esse veras perfectiones; secus enim dicendum foret, perfectionem non esse id quod personam divinam constituit, distinguit, atque, ut ita dicam, specificat. In hunc quoque sensum loquuntur Patres, ut Cyrillus, in I Thess. cap VI, dicens: *Pater est perfectus, non solum quia Deus, sed etiam quia Pater.* — Hinc tamen non sequitur, plus esse perfectionis in persona quam in essentia; plus in tribus personis quam in una. Etenim essentia continet *eminenter* quidquid est perfectionis in personis; et singulæ personæ perfectiones aliarum continent: -1) *eminenter*, ratione essentiæ communis tribus; -2) *æquivalenter*, ratione propriæ personalitatis, aliarum personalitati æquivalentis; -3) *formaliter*, per circuminsessionem, id est, personarum in se invicem inexistentiam, fundatam in identitate naturæ, de qua Joan. XIV, 10; *Ego in Patre et Pater in me est* [1].

§ IV. De personarum proprietate.

159. QUÆR. 1° *Quid est personarum proprietas?* — R. Proprietas simpliciter dicta, quæ et constitutivum personæ vocatur, est attributum cuique personæ ita proprium et intrinsecum, ut per illud, quasi per formam, persona constituatur ac distinguatur. Hic fuit Patrum ab ineunte Ecclesia sensus. *Tres sunt personæ*, inquit Gregorius Naz., *non naturis sed proprietatibus distinctæ*. Orat. 32. — Et in præfatione de SS. Trinitate canit Ecclesia: *Ut in personis* PROPRIETAS, *et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas*.

160. Q. 2° *In quo proprietates sitæ sunt?* — R. In relationibus originis sibi mutuo oppositis, scilicet *Paternitate, Filiatione, Spiratione passiva*. Etenim Scripturæ, ubi personas *propriis nominibus* designant, vocabula relativa adhibent, Patris nimirum, Filii et Spiritus sancti. Nec alia loquendi ratione utuntur Patres. Basilius, Epist 349: *Communis est*, inquit, *divinitatis ratio*; *hypostasis vero cernitur in proprietate Paternitatis, Filietatis, et Virtutis sanctificantis*.—Accedit ratio. Id enim per quod unaquæque persona constituitur ac distinguitur, est ejus proprietas constitutiva; atqui personæ constituuntur ac distin-

[1] Cf. S. Thom. p. 1, q. 28 et 40. Item Platel. *Synops. theol.* de Deo, c. 5, § 2, n 255, t. 1, tract. 3, l. 3, c. 6, 9.

guuntur tantum per relationes originis oppositas, cum absoluta omnia sint communia ; ergo.— Dein, fides docet, solum Filium esse incarnatum, proindeque unionem Verbi cum natura humana, non immediate in eo quod tribus personis commune est, i. e. in natura, factam fuisse ; sed in eo quod Filio proprium est ac singulare, id est, in ejus Personalitate. Ex quo sequitur Filio inesse aliquid proprium et peculiare, quo constat, et ab aliis personis distinguitur : porro id est relatio originis ejus : cum aliud nequeat convenienter assignari. Idem de Patre et Spiritu S. dici potest [1].

§ V. De divinarum personarum notionibus.

161. QUÆR. *Quid sunt et quæ numerantur notiones in SS. Trinitate ?* — R. Notio in divinis idem est ac tessera, seu nota quædam peculiaris, qua divinæ personæ internoscuntur et ab invicem distinguuntur [2]. Ad notionem divinam tres vulgo requiruntur conditiones : 1° ut sit aliquid proprium uni personæ, vel duabus tantum ; 2° ut ad originem pertineat, cum ratione originis tantum distinguantur personæ : 3° ut perfectionem et dignitatem personæ importet, quia persona nomen est dignitatis et honoris. — Porro, licet Ecclesia circa notionum numerum nihil definierit, quinque tamen a Theologis statuuntur : *Innascibilitas*, *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa et Spiratio passiva.*

162. Hinc in Deo recensetur *natura* una, *processiones* sive origines duæ, subsistentiæ et *personæ* tres, *relationes* quatuor, *notiones* quinque.

§ VI. De appropriatione et communitate in divinis.

163. QUÆR. 1° *Quid est et an admitti debet appropriatio in divinis ?* — R. Appropriatio est loquendi modus, in re fundatus, quo certæ operationes vel proprietates ad naturam divinam spectantes, uni personæ præ aliis attribuuntur. Quamvis enim tribus personis communia sint, tum omnia attributa absoluta, juxta illud Christi : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, Joan. XVI, 15 : tum opera externa, juxta Scholæ pronuntiatum : *Indivisa sunt opera Trinitatis ad extra ;* tamen quædam perfectiones absolutæ, quædam opera externa, certis personis specialiter attribui jure merito solent. Sic omnipotentia, et quæ hinc consequuntur, Patri ; sapientia et huc spectantia, Filio ; bonitas, charitas, et quæ ad eumdem ordinem spectant, Spiritui S. adscribuntur. — Diximus, *jure merito*, quia hic loquendi hujus a Scriptura et Ecclesia consecratus est, utpote in re ipsa fundatus. *Sicut unicum Dei Verbum*, inquit Augusti-

[1] Cf. Suar. t. 1, tract. 3 l. 7, c. 1 seqq. — [2] Cf. S. Thom. p. 1, q. 32.

nus, *proprie vocamus, nomine* SAPIENTIÆ, *cum sit universaliter et Spiritus S. et Pater ipsa sapientia ; ita Spiritus S. proprie nuncupatur vocabulo* CHARITATIS, *cum sit universaliter charitas et Pater et Filius.* De Trin. l. 15, c. 17 [1].

164. Q. 2°. *An existentia communis est toti Trinitati ?* — R. Existentia absoluta et essentialis una duntaxat est, eaque communis tribus personis. — Præter hanc existimat Suarez esse relativas existentias tres, quæ realiter identificantur quidem cum absoluta, sed inter se distinguuntur, sicut oppositæ relationes ad quas pertinent [2].

§ VII. De circuminsessione.

165. QUÆR. *Quid est circuminsessio in divinis ?* — R. [3] Circuminsessio, quam Græci περιχώρησιν vocant, est rerum substantialiter unitarum mutua inexistentia ac inhabitatio. Distinguitur duplex, imperfecta et perfecta. *Imperfecta* est eorum, quæ ita sibi invicem insunt, ut unum tamen altero latius pateat ; talis est circuminsessio quæ inter duas Christi naturas, divinam nimirum et humanam, agnoscitur. — *Perfecta*, est earum rerum, quæ sibi invicem ita insunt, ut sese mutuo pervadant ac penetrent usquequaque, nec altera ullibi sit extra alteram : hæc circuminsessio inter divinas personas admittenda est, juxta doctrinam Patrum. *Filius*, inquit Hieronymus, *est locus Patris, et Pater est locus Filii, dicente Domino Salvatore : Ego in Patre, et Pater in me.* In cap. 3 Ezech. — *In summa Trinitate*, inquit Augustinus, *tantum est una* (persona), *quantum tres sunt ; nec plus aliquid sunt duæ, quam una. Ita et singula sunt in singulis, et omnia in singulis et in singulo.* **De Trin. l. 6, c. 10.**

§ VIII. De missione in divinis.

QUÆSTIONES.

1o *Quid est missio divinarum personarum ?* — 2o *An divinis personis omnibus mitti competit ?* — 3o *An missio est quid notionale et certis personis proprium ?* — 4o *An personæ ab iis solis mittuntur a quibus procedunt ?*— 5o *Quotuplex est missio ?* — 6o *An Filius et Spiritus S. mittuntur quoties in anima operantur ?* — 7o *An divinæ personæ mittuntur quoad substantiam ?*

166. QUÆR. 1° *Quid est missio divinarum personarum ?* — R. Missio est unius personæ ab altera processio, cum habitudine seu ordine ad temporalem effectum : id est, cum connotatione temporalis effectus. Duo igitur ad missionem requiruntur: processio personæ quæ mittitur, et externa quædam efficientia ;

[1] Cf. Wirceb. theol. *De personis div.* c. 2, art. 1.
[2] Suar. ibid. l. 3, c. 5. — [3] Suar. ibid. l. 4, c. 16.

hæc temporalis est, illa æterna. Utrumque respectum expressit Christus, Joan. VIII, 42, dicens : *Ego ex Deo processi*, en processio ; *et veni in mundum*, en missio, seu effectus, aut novus existendi modus in tempore [1].

167. Q. 2° *An divinis personis omnibus mitti competit ?* — R. Omnibus quidem competit ut veniant ; ut mittantur autem, duabus duntaxat. -1) Omnes venire possunt : *Si quis diligit me... Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Joan. XIV, 23. — 2) Non omnes mittuntur : ut enim observat Augustinus, l. 2, de Trin. c. 5 : *Pater nusquam legitur missus.*—3) Filio et Spiritui S., utpote procedentibus, competit ut mittantur: *Misit Deus Filium suum.* Gal. IV, 4 : *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Joan. XV, 26.

168. Q. 3° *Estne mitti quid notionale et certis personis proprium, an toti Trinitati commune ?* — R. Est quid notionale. Vel enim active sumitur vel passive : si active, solius est mittentis personæ : si passive, solius missæ. Nec dicas effectum ad extra esse communem toti Trinitati : nam effectus ille communis quidem est efficienter, ut aiunt, sed non habitudinaliter ; sic humana Christi natura opus fuit totius simul Trinitatis ; sed peculiarem tamen habitudinem eadem natura habebat cum secunda persona, a qua sola hypostatice assumpta est. Idem dicendum videtur, proportione servata, de aliis apparitionibus seu missionibus visibilibus, tum Filii tum Spiritus S., in Scriptura memoratis : scilicet effectum temporalem speciatim personæ missæ convenire.

169. Q. 4° *An personæ ab iis solis mittuntur a quibus procedunt ?* — Resp. affirmative. Nec enim aliter Scriptura loquitur. Et vero *mittere* quamdam, si ita loqui fas est, auctoritatem sonat. Nulla autem est in divinis personis auctoritas, nisi penes originem, qua una aliam producit. — Quod si, Isai. LXI, 1, Christus de Spiritu S., a quo non procedit, dicit : *Ad annuntiandum mansuetis misit me :* ea ad Christum secundum humanam naturam, non vero secundum divinam processionem spectare, nemo est qui non agnoscat.

170. Q. 5° *Quotuplex est missio?*—R. Duplex : *visibilis* una, qualis fuit missio Filii in incarnatione, et missio Spiritus S. in Christi baptismate, dieque Pentecostes ; *invisibilis* altera, de qua Scripturæ variis in locis. Sap. IX, 10, de increata Sapientia dicitur : *Mitte illam de cœlis sanctis tuis.* — Ibid. 17 : *Sensum tuum quis sciet, nisi... miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis.* — Gal. IV, 6 : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* — Missio *visibilis*, ut ex datis exemplis patet, fit in effectu aliquo sensibiliter apparente, et personam missam repræsentante ; sive creatura visibilis in unitatem personæ as-

[1] Cf. S. Thom. p. 1, q. 43. — Suar. tom. I, tract. 3, lib. 12, c. 1.

sumatur, uti in incarnatione ; sive solum adhibeatur tanqua. signum sanctificationis, quam operatur persona missa : ut quando Spiritus S. in specie ignis super Apostolos apparuit. — Missio *invisibilis* ea est, quæ fit in aliquo effectu spirituali et invisibili, ut in justificatione. — In missione visibili mittitur et manifestatur una persona sine alia ; in invisibili nunquam una persona sola mittitur, sed duæ procedentes. Et licet Pater non mittatur quia non habet principium a quo sit ; venit tamen, et communicat se animæ, juxta verba Joan. XIV, 23, quæ supra citavimus. — Porro missio in divinis, sive visibilis sive invisibilis sit, non arguit inferioritatem in eo qui mittitur ; sed tantum originem unius personæ ab alia : quæ quidem origo, non imperio, sed ejusdem naturæ communicatione perficitur. Tripliciter enim aliqua missio fieri potest : vel per imperium, sicut a domino mittitur servus in villam ; vel per consilium, sicut a medico mittitur rex ad balnea ; vel per originem, sicut flos emittitur ab arbore, lumen a sole. Hoc ultimum exemplum, demptis imperfectionibus, missionem divinam, aliqua ratione adumbrat.

171. Q. 6° *An Filius et Spiritus S. mitti invisibiliter dicuntur, quoties in animis hominum aliquid operantur ?* — R. Non mittuntur proprie nisi ad habitandum ; ac proinde non nisi cum gratia sanctificante[1].

172. Q. 7° *An divinæ personæ in animas hominum mittuntur ac veniunt, etiam quoad substantiam ?* — R. Tenenda est communis ac certa [2] Theologorum sententia, quæ statuit divinas personas mitti, non tantum penes dona ab iis profecta ; sed etiam secundum substantiam, seu propriam subsistendi rationem ; quatenus anima iis donis ornata, speciali titulo exigit substantialem divinarum personarum in se ipsa præsentiam, quæ cæteroquin ei adest vi divinæ immensitatis. Hanc veritatem aperte Scriptura docet : *Si quis diligit me*, ait Christus, *diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Joan. XIV. Ergo quoties anima exornatur charitate, atque adeo gratia sanctificante, quæ ab ea inseparabilis est, toties in eam immensa Trinitatis descendit majestas. Hinc etiam I Joan. IV, 16 : *Qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo ;* et I Cor. VI, 19 : *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo ? Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Hanc doctrinam corroborat Patrum auctoritas, quorum innumera propemodum testimonia congessit Petavius l. 8, cap. 4-7.

173. Ipsa ratio theologica auctoritati nonnihil suffragari videtur. Nam gratia sanctificans perfectissimam amicitiam Deum

[1] Cf. S. Thom. p. 1, q 43, art. 3. — [2] Cf. Suarez, tom. I, *De Trinit.*, l. 12, cap. 5.

inter et animam constituit : porro amicitia *perfectissima*, præsertim si sit spiritualis, amicos inter se conjungere debet unione *perfectissima*, i. e. non tantum morali, sed etiam physica, quæ substantialem præsentiam requirit. Ergo ratione divinæ charitatis et amicitiæ quam inducit, gratia sanctificans substantialem Spiritus sancti in homine justo præsentiam postulat. Quare in anima sancta dicitur idem Spiritus velut in templo, ac propria domo, sicut sponsus cum sponsa habitare [1], et cum ea uniri unione intima, quæ recte cum unione animæ et corporis conferri possit. Nam sicut anima corpus vivificat et ad ampliorem dignitatem evehit ; ita Spiritus S. est principium vitæ spiritualis animæ, illamque ad statum elevat, qui omnem ordinem naturalem transcendit. Quo referuntur illa I Cor. VI, 17 : *Qui adhæret Domino unus Spiritus est ;* et Gal. II, 20 : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus ;* et II Pet. I, 4 : *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit ; ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ* [2].

§ IX. De æqualitate et ordine divinarum personarum.

174. QUÆR. *An inter divinas personas aliquis ordo existit aut subordinatio?* — R. Subordinatio in SS. Trinitate nulla est, cum perfectissima sit *majestatis æqualitas* [3]. Eamdem ob causam nullus quoque datur ordo perfectionis, nec dignitatis, nec temporis, nec virtutis agendi ad extra. Solummodo est ordo subsistendi, originis seu processionis, ratione cujus primus est Pater, secundus Filius, tertius Spiritus S. Quo sensu S. Justinus, Apol. 2, ait: *Jesum agnoscimus verum Dei Filium, et loco secundo colimus ; tertiumque ordine Spiritum propheticum.*

ARTICULUS II

DE CHARACTERIBUS SS. TRINITATIS IN PARTICULARI.

175. Hoc articulo considerandi sunt SS. Trinitatis characteres, prout insunt singulis personis. Cum autem pene omnia quæ singulas personas respiciunt, exposita jam fuerint, potis-

[1] I Cor. VI, 15 et 17. — Canticum cantic. Salomonis.

[2] Cf. Petav. l. 8, c. 4, 5, 6. — Licet Spiritus S. mittatur secundum substantiam, non ideo tamen substantiam Spiritus Sancti esse idem ac gratiam sanctificantem existimandum est. Hæc opinio Petavii, statuentis Spiritum S. esse quasi formam, qua mediante justi sumus, merito passim a Theologis rejicitur. Etenim Concilium Trid. sess. 6, can. 11, sedulo gratiam hanc a Spiritu S. distinguit, nec obscure innuit illam esse quemdam habitum, quamvis a nomine habitus abstineat. Id porro non traditioni tantum, sed ipsi etiam Scripturæ consonat, in qua charitas velut qualitas animæ inhærens, et a Spiritu S. producta, ubique exhibetur, v. g. Rom. V, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Vid. hujus op. tom. 2, *De Grat.* cap. 2, art. 1, n. 310 seqq. — [3] Cf. Suar. t. 1, tract. 3, l. 4, c. 15.

simum ubi de divinis processionibus sermo fuit : nihil hic tractandum restat, nisi 1° *de nominibus* cuique personæ propriis, 2° *de processione Spiritus S. a Patre et Filio*, 3° *de modo loquendi* circa SS. Trinitatis mysterium.

§ I. De variis divinarum personarum nominibus.

176. QUÆR. 1° *Quomodo divinarum personarum nomina generatim distinguuntur?*—R. Alia sunt *propria*, alia *appropriata*. Nomen proprium illud est, quod uni personæ tantum realiter convenit ; appropriatum est illud, quod, licet toti Trinitati sit commune, tamen propter quamdam specialem rationem, singulariter uni personæ præ aliis tribuitur.

177. Q. 2° *Quænam sunt nomina primæ Trinitatis personæ ?* —R. Primum est *Ingenitus*, Ἀγέννητος : quod vocabulum tripliciter sumi potest : -1) prout excludit creationem, et ita commune est tribus personis ; -2) prout excludit generationem ; et ita commune est Patri et Spiritui S. ; -3) prout removet quamlibet processionem, et hoc sensu naturæ divinæ est proprium ac Patri æterno, sed ratione diversa : de hoc enim *privative*, de illa vero *negative* dicitur. Nam natura divina repugnantiam ex sese, et omni ex parte, habet ut producatur ; proinde ingenita est negative : Pater autem privative duntaxat : quia, licet ut talis persona, scilicet prima, eamdam repugnantiam includat ; eam tamen non habet præcise ut persona divina, quandoquidem ratio personæ in Deo, per se, omnem processionem non excludit.

178. Secundum est nomen *Patris*, quod de Deo tum notionaliter tum essentialiter dicitur. Notionaliter quidem, ob respectum ad æternam Verbi generationem, et sic proprium est Patri ; essentialiter vero, ob respectum ad creationem, vel ad gratuitam hominum in Dei filios adoptionem, quo sensu toti Trinitati commune est.

179. Tertium est nomen *Principii*, quod de Patre tanquam proprium solet usurpari ; non quod solus ille sit principium creaturarum et actionum immanentium ; sed quod solus sit principium sine principio.

180. Q. 3° *Quæ sunt nomina secundæ Trinitatis personæ ?* —R. Nomina *propria* sunt : -1) *Filius*, eo quod solus generatione procedat : hoc nomen est in Scripturis usitatissimum. -2) *Verbum*, Λόγος eo quod ex intellectu originem suam ducat. Ad hoc porro vocabulum referendæ sunt denominationes *Ratio* et *Sermo*, quibus secunda persona frequenter a veteribus insignitur. Aptius autem est nomen *Verbi* quam *Sermonis*, cum *verbum* appelletur etiam internus mentis fœtus, *sermo* vero tantum vox extrinsecus prolata. Vocatur -3) *Imago*. Nimirum imago est similitudo ad repræsentandum expressa ; adeoque tria postulat:

-1) ut conveniat cum re cujus imago est, et nihilominus ab ea realiter distinguatur ; -2) ut ab ipsa originem trahat, quod Augustinus monet, lib. de Gen. ad litt.; -3) ut vi processionis suæ hanc similitudinem habeat. Atqui hæc omnia soli secundæ personæ competunt. Itaque nomen *Imaginis* jure Filio tanquam peculiare tribuitur [1], ut etiam nomina *Characteris ac Figuræ* [2]; *Candoris lucis æternæ, Speculi sine macula* [3].

181. Nomina *appropriata* secundæ Personæ sunt *Sapientia* ac *Virtus Dei*. His enim vulgo, cum in Scripturis tum in Patribus, Filius designatur [4].

182. Q. 4° *Quænam nomina tertiæ Personæ tribuuntur ?*— R. Tertia SS. Trinitatis persona vocatur -1) *Spiritus sanctus*. Quamvis enim Pater et Filius sint spiritus, et ambo sint sancti, non secus ac tertia persona ; ac proinde tota Trinitas appellari jure possit Spiritus sanctus ; hoc tamen nomen tertiæ Personæ, tanquam proprium, multis de causis tribuitur : imprimis, quia Spiritus S. procedit per voluntatem, estque terminus divini amoris. Etenim amor est quædam voluntatis spiratio, seu impulsio in rem amatam ; a qua spiratione dicitur Spiritus sanctus, quasi *sancte spiratus* : sancte quidem, propter puritatem summam amoris ex quo procedit — Dicitur -2) *Charitas, Amor, Vinculum, Nexus, Unio, Complexus, Osculum* Patris et Filii ; qui quidem tituli notionales sunt, eo quod Spiritus S. a Patre et Filio per voluntatem, tanquam amor procedat, eosque conjungat. — Vocatur -3) *Dei donum*, quod vocabulum ipsi certa ratione singulare est. Etsi enim tota Trinitas se ipsam dare queat, et Filius in Scripturis non semel *nobis datus* legatur ; hoc tamen de Spiritu sancto magis proprie dicitur, quia donum ex voluntatis inclinatione procedit ; sic autem procedere Spiritui S. proprie competit. -4) *Paracletus*, propterea quod a Christo, postquam in cœlum ascendit, in Apostolos mœstos, tristemque Ecclesiam tanquam *consolator, excitator, hortator ad bonum*, missus est. — *Dei sapientia*, qui titulus licet communiter Filio tribuatur, tamen frequentissime apud veteres invenitur appropriatus Spiritui S., eo quod ab illo sapientiæ donum in angelos et homines diffundatur [5].

[1] Coloss. I, 15. — [2] Hebr. I, 3 — [3] Sap. VII, 25. 26. — [4] Hic poni solet quæstio *ex quarum rerum cognitione Verbum procedat ?* quam vid. apud Witasse, quæst. 9, art. 2, sect. 2. — item Suar. tom. 1, *de Trinit.* lib. 9, c. 4 seqq.

[5] Cf. Petav *De Trinit.* l. 7, c. 12, n. 17. — Suar. t. 1, *De Trinit.* l. 11, c. 1.

§ II. De Spiritus S. a Patre Filioque processione.

Quæstio prævia, *de controversia cum Græcis.*
Propositio I, *de Spiritus S. processione.*
Propositio II, *de insertione particulæ* Filioque *in Symbolo.* — *Objec.*

QUÆSTIO PRÆVIA.

183. *Quænam controversia circa spiritum S., Latinos inter et Græcos schismaticos, exstitit?* — R. Existit controversia duplex : altera respicit dogma, utrum scilicet Spiritus S. a Patre et Filio, tanquam uno principio, procedat ; altera respicit disciplinam, utrum recte Ecclesia Romana Symbolo addiderit particulam *Filioque.*

184. Quando, et quo auctore prior controversia inceperit, ambigitur. Verisimile est, eam ab Arianis et Macedonianis originem duxisse, sæculo nimirum IV. — Postea de Spiritus S. processione jurgium excitarunt Monothelitæ sæc. VII, occasione epistolæ synodicæ S. Martini I ; item, sæc. VIII, Constantinus Copronymus ; sæc. IX, Joannes, monachus montis Oliveti ; eodem sæculo, anno nimirum 854, Photius, ut suum cohonestaret schisma, damnationemque a Nicolao I sibi inflictam ulciscerétur. Itaque solum Ariani, Monothelitæ et Iconoclastæ, usque ad Photii ætatem, Spiritus S. processionem impugnaverunt.

185. Incertum pariter est quandonam particula *Filioque* Symbolo fuerit addita. Constare videtur primum in Hispania, unde a reliquis occidentalibus Ecclesiis paulatim fuerit recepta, additionem factam fuisse, et quidem probabiliter anno 589, cum Gothi, ejurata hæresi ariana, catholicam fidem professi sunt in synodo Toletana VI, Romanis Pontificibus interim passive se habentibus. — In ecclesiis urbis Romæ, videtur additamentum receptum fuisse inter Photii et Cerularii tempora ; verosimilius cum Benedictus VIII, adnitente Henrico imperatore an. 1014, indulsit ut Romæ Symbolum Constantinop. in Missa caneretur, quod antea factum non fuerat ; tunc enim cantari cœpisse censendum est cum additione *Filioque*, prout in reliquis Ecclesiis canebatur. Hinc intelligitur, quare omnium primus Michael Cerularius Romanam Ecclesiam corrupti Symboli insimulaverit. — In Lugdunensi Concilio II, an. 1274, Græci dogma processionis Spiritus S. acceperunt cum additamento Symboli, quod ibidem cum Latinis in Missarum solemniis decantarunt. Idem præstiterunt in Conc. Florentino an. 1439 ; ex quo vix digressi, in vetus schisma veteresque calumnias, agente Marco Ephesino, relapsi sunt.

PROPOSITIO I.

Spiritus S. a Patre et Filio, tanquam ab uno principio, procedit.

186. *De fide*, quoad utramque partem : ut patet tum ex ver-

bis Symboli Constantinop., *qui a Patre Filioque procedit ;* — tum ex Conc. Later. IV, Lugdun. II et Florentino, cujus hæc sunt verba ; *Definimus... quod Spiritus S. ex Patre et Filio... æternaliter, tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit.*

187. PROB. I PARS. 1° Joan. XVI, 14, Christus de Spiritu S. loquens, ait : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt ; propterea dixi, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* — Gal, IV, 6 : *Misit Deus Spiritum Filii sui.*

188. 2° Traditio antiqua, etiam apud Græcos, est perspicua. Epiphanius, Hæres. 62, n° 5, ait : *Spiritus sanctus... a Patre procedens et accipiens a Filio ; a Patre Filioque non alienus, sed ex eadem substantia, eademque divinitate ex Patre et Filio.* Et in Anchorato n° 8 : *Spiritus Patris*, inquit, *et Spiritus Filii, inter Patrem Filiumque medius, ex Patre et Filio procedens.* — Cyrillus Alex., lib. 34 Thesauri : *Cum ergo Spiritus S.*, inquit, *in nobis existens, conformes nos efficiat Deo, procedat autem ex Patre et Filio, perspicuum est, divinæ ipsum esse substantiæ, substantialiter in ipsa procedentem.*

189. II PARS. Spiritum S. procedere a Patre et Filio tanquam *ab uno principio*, probatur 1° auctoritate. S. Augustinus : *Fatendum est, Patrem et Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia.* De Trinit. l. 5, c. 4.

190. 2° *Ratione theol.* Ibi non duo sed unum est processionis principium, ubi una ac indivisa est producendi virtus ; atqui in Patre et Filio una indivisaque est virtus producendi Spiritum S. Nam *in divinis omnia unum sunt, ubi non intercedit relationis oppositio ;* atqui Patrem inter et Filium, ratione spirationis, nulla intercedit relationis oppositio, nulla ratio diversæ originis, quoad vim illam spirandi ; ergo a Patre et Filio, tanquam ab uno principio Spiritus S. procedit.

PROPOSITIO II.

Jure merito addita fuit Symbolo particula Filioque.

191. *Fide certum*, ut patet ex definitione Concilii Flor., cui omnes Græci et Latini Patres subscripserunt : *Definimus, explicationem illorum verborum :* FILIOQUE, *veritatis declarandæ gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.*

192. PROB. Jure merito, seu licite et rationabiliter Ecclesia additamentum *Filioque* Symbolo inseruit, si jus et rationes inserendi habuit ; atqui habuit. — 1° Habuit jus, cum ex Domini præcepto, Fidei dogmata, ubi opus est, illustrare, et adversus errores vindicare teneatur. Quod jus exercuit in Concil Nic., CP^no^, etc , ubi Symbolum Apostolorum additamentis pluribus

auxit. — 2° Habuit et gravissimam rationem, collocandi videlicet in tuto dogma de Spiritus S. a Filio processione. Nam cum verba Concili CP. : *Qui a Patre procedit*, a plurimis, præsertim in orientali Ecclesia, eo sensu intelligerentur quod Spiritus S. a Patre solo procederet ; necesse fuit, per explicationem illorum verborum et additamentum *Filioque*, pravæ interpretationi occurrere. — Cæteroquin, cum de dogmate constet, merito Græcis utcumque cavillantibus opponi potest illud S. Gregorii Naz. : *Si ita credendum, cur non ita dicendum ?*

193. OBJIC. 1° Scriptura affirmat tantum processionem Spiritus S. a Patre ; ergo a Filio Spiritus S. non procedit. — R. *Dist. antec.* Explicite, seu conceptis terminis, *conc.* ; implicite, seu æquivalentibus terminis, *neg.* — Et *neg. conseq.* Cujus falsitas aperte demonstratur ex Traditione, quæ non minus est verbum Dei quam Scriptura.

194. *Obj.* 2° Concil. CP. I. Symbolo Nicæno addidit hæc verba : *Qui a Patre procedit*, nulla facta Filii mentione ; ergo Spiritus S. a Filio processionem non admisit. — R. *Neg. conseq.* Ideo enim Concilium non adjecit particulam *Filioque*, quia agebat tantum contra Macedonium et Eunonium, qui asserebant Spiritus S. a solo Filio procedere, eumque creaturam esse : ideo satis habuit definire Spiritum S. procedere a Patre, non negando, sed supponendo illum procedere etiam a Filio.

195. *Obj.* 3° S. Joan. Damascenus, de fide orthod. l. I, c. 13, ait : *Filii Spiritus est, non tanquam ex ipso ; sed quod per ipsum ex Patre procedat* ; ergo expresse docuit Spiritum S. ex Filio non procedere. — R. *Dist. conseq.* Docuit Spiritum S. non procedere ex Filio, tanquam ex primo principio quod a nullo procedat, *conc.* ; tanquam a secundo principio. *neg.* Ad particulam *per* quod attinet, S. Damasc., sicut et alii PP., particulis *ex* et *per* idem omnino exprimunt, nimirum habitudinem ad principium ; usu tamen receptum apud ipsos fuit, ut particula *ex* uterentur ad designandam habitudinem ad principium sine principio ; particula autem *per*, ad significandam habitudinem ad principium ex principio.

196. *Obj.* 4° Principium *quod* processionis est persona, a qua procedens suum esse recipit ; ergo, cum Pater et Filius sint duæ personæ, duo quoque erunt Spiritus S. principia. — R. *Dist. antec.* Est persona simul cum virtute productiva, *conc.* ; sine virtute productiva, *neg.* Quocirca ad principiorum multiplicitatem, non satis est multiplicitas personarum, sed insuper requiritur multiplicitas virtutis spirativæ. Jam vero in Patre et Filio una eademque est spirandi virtus, cum una eademque sit in eis voluntas ; ergo Pater et Filius unicum sunt Spiritus S. principium, unus Spirator ; sicut tres personæ unum sunt

rerum creatarum principium, atque unus Creator, eo quod una eademque in illis est omnipotentia.

§ III. De modo loquendi circa SS. Trinitatis mysterium.

197. Quo altius et ab humano captu remotius est SS. Trinitatis mysterium, eo major adhibenda cautio, ut accurata et recta omnino sit de eo loquendi ratio. Idcirco juvabit attendere ad sequentes regulas communiter a Theologis traditas.

198. I. Cavenda sunt vocabula, quæ vel minimum læderent naturæ unitatem, aut personarum pluralitatem. Hinc 1° vocabula *unum et idem* recte dicuntur de personis divinis in neutro genere, non autem in masculino, nisi jungantur termino absoluto. Sic catholicæ sunt hæ propositiones : *Pater, et Filius et Spiritus S. sunt unum et idem. — Pater, Filius et Spiritus S. sunt unus et idem Creator.* Contra vero falsa et Sabelliana est propositio hæc : *Pater et Filius et Spiritus S. sunt unus et idem.* Ratio est, quia verba *unum et idem* in neutro genere, vel quando in masculino conjuguntur cum termino absoluto, significant naturam ; in masculino autem genere significant personam. — 2° Neque recte diceretur : Deus *triplex, omnis* aut *aliquis* Deus ; quia hæc indicarent plures esse Deos, seu naturas divinas. Contra vero, recte dicitur : Deus *trinus ;* quia usu receptum est, ut per hoc vocabulum denotetur personarum trinitas.

199. II. Cavenda vocabula, quæ, dum Personarum proprietates enuntiant, communicabilitatem naturæ vel simplicitatem tollant. Hinc 1° non dicitur, *tria esse in Deo individua ;* quia significaretur, tres esse naturas incommunicabiles et distinctas. 2° Nec dicitur aliqua Persona, v. g. *Pater, esse aliud, diversus, discrepans, alienus a Filio :* his enim vocabulis alia natura indicatur. Item nec dici debent *Personæ esse diversæ, separatæ, unitæ, conjunctæ :* quia sic tolli videretur Dei simplicitas. At dicitur *Pater alius, distinctus a Filio :* his quippe vocibus alia utriusque connotatur personalitas.

200. III. Nomina essentialia dicuntur de tota Trinitate. Hinc dicitur : *æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus S.*

201. IV. Quoniam opera ad extra ad totam pertinent Trinitatem, ratione essentiæ divinæ qua tres Personæ communiter operantur, ideo dici debet : *Pater mundum creavit : Filius creavit ; Spiritus S. creavit ; non tamen sunt tres Creatores sed unus est Creator* [1].

202. V. Attributa tamen quædam, uti et opera essentialia, specialiter uni personæ præ aliis tribuuntur appropriative. Nimirum *Patri tribuitur potentia* et potentiæ opera, uti mundi creatio et gubernatio ; *Filio sapientia* et sapientiæ opera. Spe-

[1] Cf. Symbol. Athan. — Suar. tom. 1, *De Trin.* lib. 5, cap. 13, 14.

ciali autem modo, magnum sapientiæ opus [1], Redemptio, Filio tribuundum est ; propterea quod in natura humana, quam sibi propriam assumpsit, opus illud perfecerit.—*Spiritui S.* demum tribuitur *bonitas*, amor, ejusque opus : justificatio, distributio gratiæ et charitatis [2].

203. VI. Nomina substantiva essentiala, sive concreta sint sive abstracta, tantum in singulari efferuntur : unde dicitur *unus Deus, una Deitas* non tres.

204. VII. Nomina adjectiva essentialia, adjective sumpta, prædicantur de personis pluraliter : ita dicere licet, *tres personæ sunt coæternæ, æquales, habentes Divinitatem.*

205. VIII. Nomina essentialia concreta quandoque pro persona supponunt, dum scilicet eorum significatio per aliquid notionale restringitur ; et ita recte dicitur : *Deus generat Deum verum de Deo vero.*

206. IX. Nomina essentialia in abstracto non supponunt, id est non accipiuntur, pro persona ; quia essentiam ut formam abstractam significant, ideoque de illis nomina personalia vel notionalia, in sensu formali non prædicantur. Unde dicere non possumus : *Essentia vel Deitas generat aut generatur* [3].

207. Hæ quidem regulæ, et aliæ similes, suam habent utilitatem ; sed regula practica præcipue attendenda, est usus loquendi in Ecclesia receptus, quem in omnibus fideliter retinere debemus [4]. Hic certe, si ullibi vitanda est novitas ; ne, ut sapienter monet Augustinus. De Trinit. l. 1, c. 2, *in opinionem noxiæ falsitatis temeritas inordinata præcipitet.* Vitanda quoque audax curiositas, quæ, quod intelligere nequit, ut falsum rejicit : menteque recolenda S Bernardi verba, De Consid. l. 5, c. 8, de mysterio SS. Trinitatis ita loquentis : *Scrutari hoc temeritas est, credere pietas, nosse via et vita æterna.*

[1] 1 Cor. 1. 24. — [2] Cf. S. Thom. 1 p. q. 39, art. 7 et 8.
[3] S. Thom. ibid. art. 4 et 5. — [4] Vid. Symbol. Athanas

Tractatus VII.

DE CREATIONE ET PECCATO ORIGINALI.

—

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum Tractatus.* — § II. *Doctrina catholica.* — § III. *Errores contrarii.* § IV. *Divisio Tractatus.*

§ I. Argumentum Tractatus.

1. Absolutis iis quæ pertinent ad Deum spectatum in se et ad intra, sequitur ut agamus de Deo ut operante ad extra, et rerum omnium causa. Res existentes omnes apte distinguuntur a Patribus in visibiles et invisibiles : visibiles sunt mundus iste corporeus, ejusque incolæ homines ; invisibiles vero, angeli, seu meri spiritus. Utrumque creaturarum genus hic Tractatus complectetur.

2. Inscribitur autem Tractatus *De Creatione et peccato Originali*, quia hoc titulo summa totius materiæ tractandæ indicatur, cujus non exigua pars est, post hominis creationem, lamentabile illud exponere peccatum, quod ab homine in ipsa origine sua commissum, inde in omnes generationes propagatur. — Juxta aliam Theologiæ divisionem [1], tractatus iste ad eam partem refertur quam ἀνθρωπολογίαν vocant, seu *tractationem de homine*, quoniam inter opera Dei præcipuum est homo.

3. Hoc igitur tractatu ea exponuntur quæ fides docet circa mundum hunc aspectabilem, et, quæ in eo vivunt creaturas intellectuales. — Mundus iste, sine fidei lumine consideratus, velut ænigma est, multisque tenebris obvolvitur ; accedente autem fide, apparet ut fabricatio quædam divina, et speculum mirabilium Dei. Cum enim homo cœlum terramque contemplatur, non potest quin recogitando quæret : unde ista moles terræ, et innumerabiles stellæ per immensa cœli spatia disseminatæ? Unde præsertim homo qui tantam nobilitatem in semetipso cum tantis miseriis conjungit ? Undenam in interiore homine illa carnis adversus spiritum concupiscentia, ex qua tot humani generis perturbationes, calamitatesque perpetuæ ? — Has similesque quæstiones, dum philosophia revelationis lumine orbata, aut imperfecte dumtaxat, aut nullo modo solvere potest, doctrina Fidei perfectissime explicat.

[1] Cf. Tract. I, *De princip. theolog.* in fine, n. 213.

§ II. Doctrina catholica.

4. Deus mundum hunc et omnia quæ in eo sunt, visibilia et invisibilia, angelos et homines, ex nihilo creavit [1].

5. Angeli sunt puri spiritus, naturæ dotibus, intellectu et voluntate hominibus præstantiores ; limitatam tamen habentes facultatem. — Omnes a Deo in statu gratiæ constituti sunt ; ex quo multi peccando exciderunt, atque sine spe veniæ in statum summæ miseriæ dejecti sunt.

6. Theologi communiter docent, angelos in cœlo creatos fuisse, non seorsim ab aliis creaturis, licet ante hominis productionem, numero quam plurimos, variis ordinibus distinctos ; eosdemque in loco esse, quamvis loco non contineantur, nec eo possint circumscribi.

7. Boni angeli sunt Dei ministri, a quo deputantur ad hominum salutem et custodiam. Singulis fidelibus et electis suus adest angelus custos. Imo probabiliter singulis hominibus, nec non regnis, civitatibus, aliisque communitatibus, angeli præsunt tutelares.

8. Mali angeli hominum animabus insidiantur ; eorumque corpora variis modis, quandoque etiam possessionibus, Deo permittente, vexare possunt.

9. Adam omnium hominum primus creatus est, a quo universum genus humanum originem ducit. Creatus est autem homo coalescens ex corpore organico, et anima rationali, libera ac immortali, quæ corporis per se et essentialiter forma est [2]; insuper originali justitia, aliisque donis eximiis, gratuita Dei benignitate ornatus.

10. At primus homo, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisit ; incurritque iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub potestate diaboli ; totusque Adam, secundum corpus et animam in deterius commutatus est.

11. Hoc peccatum, quod mors est animæ, quodque origine unum est, ab Adamo in omne genus humanum, (non tamen in B. Immaculatam Dei Genitricem Mariam,) propagatione non imitatione transfusum, inest unicuique proprium : ita ut omnes nascantur filii iræ, et naturæ suæ insitas ferant peccati pœnas, ignorantiam, concupiscentiam, varias hujus vitæ miserias, ac mortem corporis [3].

[1] Lateran. IV, cap. *Firmiter*. — Cf. Concil. Vatican. Constitut. *Dei Filius*, cap. 1. — [2] Clementis V et Concil. Vienn. *definit. contra errores Joan. Petri Olivi*; item Concil. Lateran. V, sub Leone X, Bulla *Apostolici regiminis*.

[3] Trid. Sess. 5, *Decret. de peccato orig.* — Constit. Pii IX, *Ineffabilis*.

Canones Concilii Vaticani de Deo rerum omnium Creatore.

1. *Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit ; anathema sit.*

2. *Si quis præter materiam nihil esse affirmare non erubuerit ; anathema sit.*

3. *Si quis dixerit, unam eamdemque esse rerum omnium substantiam vel essentiam ; anathema sit.*

4. *Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse ; Aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia ;*

Aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universalitatem in genera, species et individua distinctam ; anathema sit.

5. *Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas ;*

Aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum ;

Aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit : anathema sit.

§ III. Errores contrarii.

12. Errores distingui possunt in quatuor classes, prout versantur : I. circa mundum, II. circa angelos, III. circa creationem hominis, IV. circa hominis statum primitivum, et peccatum originale.

13. I. *Circa mundum* quatuor præcipui sunt errores : -1) *materialismus*, statuens mundum esse improductum et æternum ; -2) *emanatismus*, statuens mundum esse quidem productum, sed *per emanationem*, ex divina substantia, sive immanentem sive transeuntem. *Immanens* emanatio est ea, qua mundus asseritur ita a Deo procedere, ut in Deo maneat et cum ipsa divina substantia confundatur : quod pantheisticum est ; *transiens*, qua fingitur mundus exire et separari a divina substantia, non secus ac radii ex sole, aut telæ ex aranea. -3) Tertius error est *dogma Gnosticorum*, statuens mundum fuisse factum ab Æonibus ; quo nomine genitos a Deo angelos intellexisse videntur. -4) Quartus demum est *dualismus*, statuens mundum fuisse a duobus Principiis conditum.

14. Hi errores tum apud veteres viguerunt tum apud recentiores.

15. *Apud veteres*, errarunt 1° *philosophi gentiles :* -1) Aristoteles et Peripatetici, statuentes mundum æternum esse ; -2) Epicurei, mundum ex atomis fortuito concurrentibus coaluisse ; -3) Platonici, materiam esse æternam, sed in tempore formatam

a Deo et adornatam, -3) Stoïci et Pythagorici, mundum, tanquam magnum quoddam animal, animatum et intelligentem esse: qui error hylozoismus vocatur. — 2° Errarunt quoque *variæ hæreticorum sectæ*, -1) Manichæi, dicentes mundum factum a duobus principiis; duplicem animam, non autem liberum arbitrium, homini inesse, quem asserebant ferri necessario, vel in bonum, si anima bona, vel in malum, si anima mala prævaleat. -2) Hermogenes Stoïcus, statuens materiam improductam, æternam et rerum omnium coprincipium. -4) Gnosticorum secta, præter productionem mundi virtute Æonum peractam, admittens metempsychosin seu humanarum animarum transmigrationem.

16. *Apud recentiores*, pseudo-philosophi alii alios veterum errores secuti sunt, et suis theoriis idealisticis et authotheisticis auxerunt.

17. II. *Circa angelos*, errarunt Sadducæi, Anabaptistæ, Sociniani passim ac Rationalistæ, angelorum existentiam negantes.

18. III. *Circa creationem hominis* errores hi sunt præcipui: *Aborigenismus* et *Autochthonismus*, qui in idem fere recidunt, homines fingunt ex terræ fecunditate variis in locis prognatos. *Præadamismus* et *Coadamismus*, statuunt homines vel ante Adamum, vel simul cum eo productos. — Erravit sæc. XIV, Pet. Joannes Olivus, negans animam rationalem esse formam corporis.

19. IV. *Circa statum primitivum hominis et peccatum originale*, errarunt 1° Pelagiani, Sociniani et Rationalistæ, negantes tum dona supernaturalia primo homini collata, tum peccatum originale; 2° Lutherani, Calviniani et Janseniani, dicentes, dona primæva homini naturalia ac naturæ humanæ debita fuisse; post peccatum autem, naturam hominis ita fuisse corruptam, ut liberum arbitrium amiserit.

§ IV. Divisio Tractatus.

20. Quoniam universa creatio tria præcipue rerum genera complectitur, de quibus singulatim agendum nobis est; hinc tota materia pertractanda in tria capita sponte resolvitur:

Caput I, *de mundo.*
Caput II, *de angelis.*
Caput III, *de homine et peccato originali.*

CAPUT PRIMUM.

DE MUNDO [1].

PROPOSITIO UNICA.

Deus mundum universum in tempore ex nihilo creavit.

21. Propositio *de fide* est, ut patet ex Symbolo Apostolorum : *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ*, scilicet *visibilium et invisibilium*, ut Symbolum Nicæno-Constant. exponit ; item, ex Concil. Lateran. IV, cap. *Firmiter*, ubi statuitur *Deus unum universorum principium, creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium ; qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam ; ac deinde humanam, quasi communem, ex spiritu et corpore constitutam.* Quam doctrinam novo anathemate sancivit concil. Vatic. Constitutione *Dei Filius*.

22. Dicitur in propositione : *creavit*, hoc est, a non existentia vocavit ad existentiam. *Creatio* enim sensu stricto intellecta, est *productio rei ex nihilo sui et subjecti*.

23. Hinc additur : creavit *ex nihilo*, i. e. non ex materia seu subjecto præexistente. Nihilum proinde sese habet, non tanquam terminus positivus actionem creandi aliquo modo juvans ; sed tanquam terminus negativus, seu omnis externi adjumenti absentia : in quo creatio differt ab omni alia effectione.

24. Dicitur : creavit *mundum universum*, hoc est, omnem substantiam quæ extra Deum existit, corpora scilicet, angelos et homines.

25. Dicitur : creavit *in tempore*, seu initio temporis, non ab æterno ; ita ut fuerit aliqua duratio cum mundus non esset, et, quod consequens est, mundus existere inceperit, atque numerabiles sint anni existentiæ ejus.

26. PROB. 1° Ex Scriptura. *a)* Gen. I, 1. *In principio creavit Deus cœlum et terram ;* ubi illud *in principio* excludit æternitatem [2] ; alterum autem verbum, *creavit* (BARA, ἐποίησε,) hoc loco significat creationem proprie dictam [3], quod patet ex constanti Judæorum traditione, et ex II Machab. VII, 28 : *Peto,*

[1] Cf. S. Thom. p. I, qq. 45, 46 et 65-74 ; Suarez, tom. 3, tract 1, lib. I, 2.
[2] Cf. Patrizi, *De Interpret. SS. Script.* lib. 2, quæst. 1, art. 2 seqq.
[3] Patrizi, ibid.

nate, ut aspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus. — b) Joan. XVII, 5 : *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te.*

27. 2° Ex Patribus. S. Irenæus dicit : *Nos tenemus regulam, unum esse Deum creatorem, qui per Verbum suum condidit mundum ex eo quod non erat.* Adv. hæres. l. 1, c. 19.

28. 3° Ipsa ratio hanc veritatem demonstrat. Dico *demonstrat ;* nec ideo affirmo sola ratione apud gentiles, nulla præsupposita revelatione, hanc veritatem potuisse morali possibilitate *inveniri.* Ratio enim *inventiva* a ratione *demonstrativa* apprime distinguenda est.

29. Demonstratio itaque est hæc : mundus est vel a se, vel a Deo. Non est a se, quia in hac hypothesi foret infinite perfectus [1] : ergo est a Deo. — Est autem a Deo tanquam a causa ; non intrinseca, sive *materiali* sive *formali*, quod foret pantheisticum ; ergo tanquam a causa extrinseca, i. e. *efficiente.* — Deus autem mundum *effecit* vel ex præjacente ac increata materia, vel ex nihilo. Primum dici non potest, quia materia increata esset ens a se, ac proin infinite perfecta, ac prorsus independens a Deo, qui propterea neque posset eam annihilare, elisa ad arenulam omnipotentia ejus. Remanet ergo ut dicatur, mundum esse creatum ex nihilo. Unde quoque sequitur, mundum habuisse initium, a quo numerari possint anni existentiæ ejus ; proindeque simul cum mundo incepisse tempus, seu durationem successivam et mensurabilem [2].

30. Altera demonstratio ducitur ex eo quod Deus est causa prima et universalis. Etenim, ut S. Thomas ait, id *quod est causa rerum, in quantum sunt entia, oportet esse causam rerum, non solum secundum quod sunt talia per formas accidentales, nec secundum quod sunt hæc per formas substantiales ; sed etiam secundum omne illud quod pertinet ad esse illorum quocumque modo. Et sic oportet ponere etiam materiam primam creatam ab universali causa entium* [3].

31. OBJIC. 1° Sap. XI, 18, dicitur : *Creavit* (Deus) *orbem terrarum ex materia invisa,* id est, *informi,* ἐξ ἀμόρφου ὕλης ergo non ex nihilo. — R. *Neg. conseq.* Sensus enim hujus loci est : Deus non solum materiam condidit (quod aliqui *creationem primam* vocant); sed ipsam præterea sapienter disposuit ac formavit (*creationem secundam* vocant) ; ut patet ex contextu, et scopo quem auctor sibi proponit, commendandi sapientiam Creatoris.

32. *Obj.* 2° *Ex nihilo nihil fit,* vetus axioma est ; ergo creatio

[1] Cfr. supra, tract. *De Deo*, c. 2, a 2, prop. 5, n. 110.
[2] Cf. Lessius. *De div. perfectionibus*, l. 4, c. 2, n. 10 seqq.
[3] 1 p. q. 44, art. 2. Cf. Suar. *Metaphys.* t. 23.

ex nihilo est impossibilis. — R. *Dist. antec.* Nihil fit ex nihilo tanquam termino positivo, quo sensu illud axioma veteres usurparunt, *conc. antec.;* ex nihilo tanquam termino negativo, *subd.*, sola virtute finita, *conc.;* infinita Dei potentia, *neg. antec.*

33. *Obj.* 3° Mundus, si esset productus a Deo, esset quid divinum : effectus enim participat naturam causæ; atqui hoc foret pantheisticum, quod repugnat [1]; ergo mundus non est productus a Deo. — R. *Dist. maj.* Esset quid divinum ratione causæ efficientis qui Deus est, *conc.;* ratione sui ac naturæ suæ, *neg. maj.* Adjectam probationem etiam *dist.* Effectus participat naturam causæ, si agitur de causa materiali, ex qua fit, *conc.;* si de causa efficiente, a qua fit, *subd.:* cum effectus producitur generatione proprie dicta, *conc.;* cum producitur quocumque modo, *neg.* Sic statua, licet sit ab homine ut causa efficiente, non est tamen homo.

QUÆSTIO.

34. *Quem ad finem Deus mundum creavit?* — R. Ad suam gloriam et creaturarum rationalium bonum. Ipsa enim ratio dictat, finem ultimum operis Dei alium esse non posse nisi ipsum Deum. Unde recentiorum quorumdam theoria, qua mundi hujus scopus finalis reponitur in commodis temporalibus quam maxime evolvendis, rationis principiis adversatur; et, quod caput est, a revelatione apertissime reprobatur, testante Scriptura, Prov. XVI, 4 : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Quod confirmant unanimiter Patres, qui passim dicunt, sicut hominem propter Deum, ita mundum materialem factum esse propter hominem; ut per hominem omnis creatura ad gloriam Creatoris referatur, prout iterum indicat Scriptura : *Quid est homo, quod memor es ejus? Constituisti eum super opera manuum tuarum... Confiteantur tibi Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant tibi.* Ps. VIII et CXLIV. Cf. Gen. I et II [2].

[1] Cf. supra, tract. *De Deo*, cap. 2, art. 2, n. 92. — [2] Cf. Constit. *Dei Filius*, cap. 1, *de Deo rerum omnium Creatore*, et ejusdem capitis can. 5, supra ad n. 11. — Item Suar. Prolog. IV, *De Creat.* n. 10. — Lessius, *De Div. perf.* l. 14.

CAPUT SECUNDUM.

DE ANGELIS [1].

35. Inter mundi incolas primo loco veniunt Angeli; qui, cum sint mere spirituales, naturæ excellentia creaturis corporeis antecellunt. De illis porro præcelsioribus creaturis quæritur an existant, et quæ sit natura earum? an omnes in primævo statu remanserint? quodnam habeant cum hominibus commercium? Quæ cuncta commode tres sequentes articuli comprehendent.

Articulus I, *de existentia et natura angelorum.*
Articulus II, *de angelorum lapsu.*
Articulus III, *de angelorum cum hominibus commercio.*

ARTICULUS I.

DE EXISTENTIA ET NATURA ANGELORUM.

Propositio I, *de angelorum existentia.*
Propositio II, *de angelorum spiritualitate.*
Propositio III, *de angelorum super homines præstantia.*
Propositio IV, *de angelorum gratia originali.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Existunt angeli.

36. *De fide*, ut patet ex Lateran IV, cap. *Firmiter : Deus condidit utramque creaturam, angelicam et mundanam.*— Item ex quotidiana Ecclesiæ doctrina et cultu, atque ex apertissimo Scripturæ testimonio.

37. *Angelus*, vi vocis quæ origine græca est, idem sonat ac *nuntius*. Vi autem significationis, quæ huic nomini passim, ut hic a nobis tribuitur, angelus est *substantia creata, spiritualis et intellectualis, completa, homine naturaliter superior*. Angeli scilicet sunt excellentes quædam creaturæ, ab hominibus hominumque animabus diversæ, quæ ideo vocantur angeli, quod a Deo adhibentur ut nuntii et ministri : *Qui facis angelos tuos spiritus*(Ps. CIII); ita ut *angelus officii nomen* sit *non naturæ*[2].

38. Dicitur *existere angelos*, non vero *esse creatos ex nihilo;* quia quæcumque præter Deum existunt, creata esse ex nihilo

[1] Cf. S. Thom. I p. q. 60-64 ; 106-114. Item Suar. tom. 2, lib. 1-8.
[2] August. *in Ps.* CIII, et Greg. *Homil. 24 in Evang.*

jam probatum est. Proinde non statuitur propositio contra Manichæos, aliosque Gnosticos, qui angelos esse non inficiabantur, sed tantum ex divina substantia profluxisse dicebant; verum contra Sadducæos et Rationalistas, qui angelorum existentiam negant.

39. PROB. 1° Frequentissime de angelis mentio occurrit in Scripturis tum V. tum N. Testamenti. Gen. XXI, 17 : *Vocavit angelus Dei Agar de cœlo.*— Matth. XXII, 30 : *In resurrectione neque nubent neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.* — Act. XXIII, 8 : *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum.*

40. 2° S. Gregorius : *Angelos et archangelos omnes fere sacri eloquii paginæ loquuntur.* Homil. 34 in Evang.— S. Augustinus : *Esse angelos novimus ex fide... nec inde dubitare fas nobis est.* In Ps. 102.

41. 3° Accedit universalis traditio. Antiqui ethnici agnoscebant angelos, quos passim Genios vel Δαίμονας vocabant; et etiam hodie apud Orientales gentes eadem doctrina ita viget, ut totius theologiæ earum velut fundamentum sit [1]. — Ipsa ratio, licet angelorum existentiam nequaquam a priori demonstrare possit; tamen convenire cernit ornatui et perfectioni ordinis universi, ut quemadmodum corporales, et corporeo-spirituales creaturæ, ita quoque spirituales, seu angeli, in rerum universitate collocati existant.

PROPOSITIO II.

Angeli sunt meri spiritus, omnis corporis expertes.

42. Propositio *certa* est, ex Conc. Lat. IV, cap. *Firmiter*, ubi dicitur : *Deus utramque condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem, ex corpore et spiritu constitutam.* Ergo angelica natura mere spiritualis est, et omnis corporis expers; alioquin humana natura inter angelicam et mundanam non foret media, seu communis : quod explicatione sequenti clarius patebit.

43. Dicitur in propositione : *angeli sunt meri spiritus*; i. e. eorum substantia *non est corporea*, videlicet *composita* partibus *et extensa*, sicut substantia humana; *neque naturaliter ordinata ad substantiam corpoream* constituendam, informando materiam, sicut anima humana.

44. PROB. 1° Scriptura sacra angelos et dæmones passim *spiritus* appellat, nulla facta corporis mentione, atque ita ut aliquid significet a substantia corporea diversum : Matth. XII, 42: *Cum immundus spiritus exierit ab homine.*—Hebr. I, 7: *Ad angelos quidem dicit : Qui facit angelos suos spiritus.*

[1] Cf. supra, Tract. 2, *De relig. Christiana*, in Append. n. 354, 7.

45. 2° Patres plerique hanc doctrinam profitentur. Ignatius Epist. ad Trall., angelos vocat *incorporeas naturas*. — Greg. Nyssenus: *Omnis natura rationalis dividitur in incorpoream et corpoream ; incorporea porro est angelica natura, altera nos sumus homines*. Homil. 4. De orat. dom. — Gregorius : *Angelus namque solummodo spiritus ; homo autem spiritus est et caro*. Moral. l. 4, c. 9.

46. OBJIC. 1° In Gen. VI, 2, legitur : *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ,acceperunt sibi uxores ;* atqui hi filii Dei sunt angeli;ergo angeli sunt corporei. —R. *Neg. min.* Filii Dei hic vocantur filii Seth, homines scilicet veri Dei cultores. Ita interpretes, et recte. Si enim angelos supponas, fuerunt illi vel boni vel mali ; atqui utrumque repugnat. Boni enim non nubunt neque nubuntur [1]; mali vero non vocarentur filii Dei.

47. *Obj.* 2° Non defuerunt Patres, ut Justinus, Clemens Alex., qui angelos corporeos dixerint; Augustinus et Bernardus dubii hæserunt; ergo. — R. *Neg. conseq.* Plerique ex iis Patribus, ut de corpore improprie dicto loquentes,intelligendi sunt. Etenim alii corpus vocant omne ens substantiale creatum ; alii corporeos et compositos vocant angelos respectu Dei, cui soli competit simplicitas absoluta. — SS. Augustinus et Bernardus, in quæstione nondum definita, noluerunt aliquid certi proferre. Hæc enim res non nisi sæc. XIII penitus eliquata fuit.

PROPOSITIO III.

Angelorum natura licet sit humana natura præstantior, tamen limitata est.

48. Propositionis prima pars *certa* est ; secunda etiam *fidei proxima*.

49. *Natura* hic sumitur integraliter, pro substantia cum suis facultatibus, quæ in spirituali ente reducuntur ad tres : intellectum, voluntatem et potentiam externam : qua triplici facultate angelos esse præditos, ex actionibus quas ipsis Scriptura tribuit, copiose constat.

50. PROB. PARS I. Angelorum natura est humana præstantior, II Reg. XIV, 17, 20 : *Sicut angelus Dei,sic est Dominus meus Rex, ut nec benedictione nec maledictione moveatur... Tu, Domine mi Rex, sapiens es sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram*. Unde patet, angelos apud Judæos habitos fuisse, et intellectus perspicacia et voluntatis firmitate, præter humanum modum mirabiles. — Ps VIII: *Minuisti eum* (hominem) *paulo minus ab angelis*. — II Pet. II, 11 : *Angeli fortitudine et virtute cum sint majores*.

51. PARS. II. Angelorum natura limitata est. Hoc sequitur ex

[1] Matth. XXII, 30.

creatæ naturæ conditione. — Præterea ex Scriptura patet, angelos, tum cognitione, tum voluntate et potentia esse limitatos.

52. 1° Cognitione limitati sunt : I Cor. II, 11 : *Quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* — Jerem. XVII, 10 : *Ego Dominus, scrutans cor et probans renes.* — Isai. XLI, 23 : *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis vos.* — Ergo solus Deus, non angeli, mysteria, secreta cordium et futura naturaliter cognoscunt.

53. 2° Voluntate et potentia angelos quoque limitatos esse, tum ex intelligentiæ eorum imperfectione, tum ex plurium lapsu probatur.

PROPOSITIO IV.

Angeli omnes gratia sanctificante donati, imo in ea creati fuerunt.

54. Propositio utraque parte *probabiliorem et communem* sententiam enuntiat.

55. PROBATUR simul utraque pars. 1° Joan. VIII, 44 : *Diabolus in veritate non stetit* [1]. Ex quibus verbis «perspicuum est,» ait Catechismus Concilii Tridentini, « eum reliquosque deser-« tores angelos, ab ortus sui initio gratia præditos fuisse. » Part. I, art. I, quæst. 21. — Ezech. XXVIII, 12 : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et decore, omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Tu cherub extentus, et protegens : et posui te in monte sancto Dei : in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Quæ juxta Hieronymi, Ambrosii, aliorumque Patrum, et communem interpretum sententiam, de Lucifero, sub typo regis Tyri, dicuntur.

56. 2° S. Augustinus : *Cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhærerent, angelos creavit ; simul in eis et condens naturam et largiens gratiam* [2].

57. 3° Quare S. Thomas ita concludit : *Probabilius videtur tenendum, et magis dictis Sanctorum consonum est, quod angeli fuerint creati in gratia gratum faciente.* I p. q. 62, art. 3 [3].

QUÆSTIONES.

1° *Quando angeli creati sunt ?* — 2° *Quantus est eorum numerus ?* — 3° *Quænam ordinum distinctio ?* — 4° *Quomodo versantur in loco ?* — 5° *Quanta eorum cognitio ?* — 6° *Qualis voluntas ?* — 7° *Quanta potentia ?*

58. QUÆR. 1° *Quando angeli creati sunt ?* — R. Sententia communior apud Patres et medii ævi Theologos, tenet, angelos fuisse creatos in cœlo, eodem tempore quo crearetur mundus

[1] Cf. Epist. Jud. 9. — [2] *De Civit.* l. 13, c. 9.
[3] Cfr. S. Thom. p. I, q. 61, art. 3. — Suar. tom. 2, lib. 1, cap. 4.

corporeus ; idque comprehendi voce *cœli* qua utitur Moyses, dicens : *In principio creavit Deus cœlum et terram.*

59. Q. 2° *Quantus est angelorum numerus?*—R. Licet angelorum numerus determinate non sit cognitus, certe tamen maximus censendus est. Dan. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena miltia assistebant ei.* Hinc Ecclesia angelos vocat *militiam cœlestis exercitus.—Angeli*, inquit S. Thomas [1] *in quadam multitudine maxima sunt, omnem materialem multitudinem excedentes.* Hinc sat recepta sententia,numerum angelorum excedere numerum hominum, quotquot usque ad finem mundi sunt exstituri.

60. Q. 3o *Quænam inter angelos ordinum distinctio?* — R. Distinguuntur novem ordines, seu chori angelorum, in tres hierarchias, seu sacros principatus distributi. In hierarchia suprema sunt Seraphim,Cherubim et Throni; in media, Dominationes, Virtutes et Potestates; in infima, Principatus, Archangeli et Angeli. — Porro diversa illa nomina sortiuntur ex diversis quibus funguntur ministeriis et officiis.[2]—Angeli quoque distinguuntur in *assistentes* et *ministrantes* [3] : quia licet omnes sint administratorii spiritus, omnesque Domini concinant gloriam ; quidam tamen ministeriis, quidam vero glorificando Deo specialius deputantur. — In Scriptura tantum tria reperiuntur angelorum nomina, Michael, Gabriel et Raphael. Omnium autem angelorum supremum esse Michaelem nonnulli [4] existimant, quod Scriptura insinuare videtur Apoc. XII, 7 : *Michael et angeli ejus prœliabantur cum dracone.*

61. Q. 4° *Quomodo versantur in loco ?* — R. Esse angelos in loco, certum est : tum quia substantia existens non potest nullibi, sed debet alicubi existere ; tum quia in Scriptura vel cœlum, vel infernus, vel terra, ut locus iis assignatur. Sunt ergo in aliquo loco et quidem determinato, cum non possint esse ubique sicut Deus. In loco autem sunt, non *circumscriptive* sicut corpora, quorum moles a loco correspondente linea mensuratur ; sed *definitive*, ita ut toti sint in toto loco determinato, et toti in singulis partibus, fere ut anima humana continetur in corpore. Quanquam, ut S. Thomas adnotat [5], verius dicitur animam esse in corpore, et angelum in loco, ut *continens* quam ut *contentum ;* quia *substantia incorporea sua virtute contingens rem corpoream, continet ipsam, et non continetur* ab ea [6]. — Locus in quo toto esse et operari potest angelus, vocatur sphæra præsentiæ et activitatis ejus.

[1] P. I. q. 50, art. 3.— Suarez, tom. 2, lib. 1, cap. 11.— [2] Cf. S. Greg. *Homil.* 34 in *Evang.;* S. Thom. q. 108. — Suar. t. 2, l. 2, c. 13.
[3] Cf. Dan. VII, 10. Suar. tom. 2, lib. 6, cap. 5 et 10. — [4] Suarez tom. 2, l. 6, cap. 10. — Estius in 2, p. 10. § 5. — [5] I p. q. 52, art. 1.— Suar. t. 2, l. 4, c. 1, 2, 7. — [6] S. Thom. ibid. q. 58, a. 3. — Suar. ib. l. 2, c. 33.

62. Q. 5° *Quanta est angelorum cognitio ?* — R. Angelica cognitio rerum naturalium, quarum angelus evidentiam habet, est mere intellectualis ; non sicut humana, rationalis seu discursiva. Cognitio autem rerum supernaturalium, aliarumque omnium, quas angelus vel non evidenter cognoscit, vel per conjecturam tantum judicat, ut sunt secreta cordium, est vere discursiva, licet sine successione aut mora temporis peragatur. — Cognoscunt autem naturaliter angeli Deum, *abstractive* ex creaturis, non vero *quidditative*, seu per essentiam ; nam cognitio quidditativa Dei, cum gaudium afferat, dæmonibus omni gaudio privatis profecto non inest : inesset autem si naturalis foret, cum ipsis naturalia omnia sint integra ; non est igitur naturalis.

63. Angeli se ipsos, alios angelos, ac substantias omnes ordinis naturalis, sive per se, sive per species in ipsis existentes, cognoscunt quidditative. — Item cognoscunt naturaliter futura necessaria, non vero futura libere contingentia. — Non intuentur secreta cordium, quæ soli Deo patent : *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* II Paral. VI, 30 [1].

64. Scholastici, post S. Augustinum, distinguunt in angelis cognitionem *matutinam* et *vespertinam*. Prior est illa qua vident res in Verbo, i. e. in essentia divina [2] ; altero vero, qua vident res in se ipsis.

65. Angeli inter se *loquuntur*, conceptum mentis suæ, per voluntariam ad alterum directionem, manifestando ; ita ut angelorum *lingua* sit virtus manifestativa mentis, *auditus* vero intellectus et *auditio* intellectio, qua angelus percipit actus alterius ad se directos. — Cum angeli, Isai. VI, Apoc. VII, dicuntur *clamare ad invicem*, clamore significatur magnitudo rei de qua loquuntur, vel ardor affectus, quo volunt rem manifestare. — Potest angelus simul loqui pluribus etiam distantibus ; non tamen ad quamlibet distantiam, cum habeat sphæram actionis et visionis limitatam.

66. Cum angelus superior alloquitur inferiorem, et veritatem aliquo modo supernaturalem docet, eum *illuminare* dicitur. Quemadmodum autem angelos, ita et homines illuminare angeli possunt [3].

67. Q. 6° *Qualis est angelorum voluntas ?* — R. Angeli habent voluntatem liberam, qua potuerunt aliquando peccare. Nunc autem licet angeli boni peccare amplius non possint, nihilominus tamen vere liberi manent ; nam stabilitas in bono liberta-

[1] Theol. Wirceb. tom. 1, *De ang.* c. 2 ; — S. Thom. q. 54. — Suar. t. 2, lib. 2, c. 9 et 21. — [2] S. Thom. q. 58, art. 6. — Supra *De Deo*, cap. 2, a. 3, quæst. 7, n. 145 seqq. — [3] Ibid. q. 106 et 107 ; — Wirceb. Theol. *De ang.* c. 2, a. 1, § 3. — Suar. tom. 2, lib. 6, cap. 15 et 16.

tem, seu vim eligendi non tollit, quemadmodum certa scientia, seu impossibilitas efformandi judicium falsum, vim intelligendi non destruit [1].

68. Q. 7° *Quanta est angelorum potentia ?* — R. Angeli potentia externa pollent maxima : quod ex factis plurimis patet. Sic, IV Reg. XIX, 36, legimus : *In nocte illa venit angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.*

69. Angeli possunt movere se ipsos motu locali ; possunt alios movere spiritus et etiam corpora ; possunt quoque sibi corpora assumere, vel ex aere et vaporibus formata, vel etiam viva ; non tamen ea possunt formaliter vivificare, sed tantum gerere ut motores. Possunt apparere, sive vere, in adaptatis sibi corporibus [2] ; sive tantum phantastice. — Possunt applicando activa passivis quædam mira efficere, patrare vero miracula proprie dicta, vel quidquam, quo derogetur ordini ac legibus physicis, naturaliter non possunt : imo quæ naturaliter possunt, non pro libitu præstare permittuntur [3].

ARTICULUS II.

DE LAPSU ANGELORUM.

Propositio unica, ***de lapsu et pœna angelorum.***
Quæstiones ***de angelis lapsis.***

PROPOSITIO.

Angelorum plurimi peccaverunt, et in æternam damnationem dejecti sunt.

70. Propositio *fide certa* quoad omnes partes, ut ex Scriptura et Patribus manifestum est.

71. Gratia et sanctitate, quam ab origine sua receperant angeli, excidere poterant ; donec, probata sua erga Creatorem fidelitate, ad gloriam ac visionem Dei evecti in gratia feliciter confirmarentur. Hinc duplex fuit angelorum status, *viæ* et *termini ;* in quibus distingui possunt eorum *creatio, perseverantia vel defectio, pœna vel præmium.*

72. PROB. 1° Joan. VIII, 44 : *Diabolus... homicida erat ab initio.* — I Joan. III. 8 : *Qui facit peccatum, ex diabolo est : quoniam ab initio diabolus peccat.* — II Pet. II, 5 : *Deus angelis peccantibus non pepercit.* — Matth. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et angelis ejus.*

73. 2° Unanimis est consensus Patrum. S. Fulgentius ait :

[1] Cf. infra. n. 233 seqq. — [2] Cf. Tob. V ; Gen. XVIII, XXXIII.
[3] Cf. Wirceb. ibid. art. 2. — Suarez, t. 2, l. 4, c. 18, 19, 23-39. — Supra. tract. *De relig. christ.*, n. 148.

Iniqui semper sunt arsuri cum Diabolo, justi autem regnaturi sine fine cum Christo. L. De fide ad Pet. c. 43.

QUÆSTIONES.

1o *Quodnam fuit angelorum peccatum ?* — 2o *Quanta fuit prævaricatorum multitudo ?*—3o *Quænam est inflicta pœna dæmonibus ?*—4o *Quare Deus angelis peccantibus non pepercit ?*

74. QUÆR. 1° *Quodnam fuit angelorum peccatum ?* — R. Juxta communem sententiam, Luciferi peccatum fuit superbia, in eo sita quod voluerit esse *ut Deus*, non quidem secundum æqualitatem naturæ, sed per quamdam similitudinem. Eccli. X. 15: *Initium omnis peccati superbia.*—Tob IV,14: *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio.*— Isai. XIV, 12: *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris?... Qui dicebas: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum... similis ero Altissimo.*

75. Porro in assignando medio, quo prævaricator angelus hanc similitudinem affectavit, discrepant auctores. S. Thomas superbiam Luciferi in eo reponit, quod sua naturali felicitate contentus, sibi ipsi sufficere vellet, atque eatenus esse similis Altissimo [1]. — Nec improbabile censet Suarez, Luciferum quoque superbia peccasse appetendo sibi unionem hypostaticam, et sic ab initio fuisse Christi adversarium. Cum enim Incarnationis mysterium sibi revelatum, et Christi futuram consideraret super omnes creaturas excellentiam ; hanc ipse sibi, tanquam ratione decoris sui debitam, superbe concupivit. Ex hac autem superbia secutum est inobedientiæ peccatum, quod cæteri quoque mali angeli commiserunt. Præceptum enim de Christo tanquam Rege suo adorando : *Adorent eum omnes angeli Dei* (Hebr. I), sibi impositum contempserunt ; et ita superbiæ simul et rebellionis rei facti sunt [2].

76. Q. 2° *Quanta fuit prævaricatorum multitudo ?* — R. Ingentem fuisse numerum ex omnibus fere ordinibus, communis Patrum et Theologorum sententia est ; minorem tamen numero eorum qui in bono perstiterunt. Censent etiam Theologi principem rebellionis fuisse Luciferum [3], ordine Seraphinum, eumque aliis angelis causam ruinæ exstitisse. Ipse inter dæmones, quemdam principatum obtinet : quare in Scriptura vocatur *Diabolus* antonomastice, vel Satanas, vel Draco: *Draco pugnabat et angeli ejus.* Apoc. XII, 7. — *Si Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus ?* Luc. XI, 18.

[1] Q. 63, art. 3.—Cf. Wirceb. ibid. cap. 3, art. 2.— Item Suarez. t. 2, lib. 7, cap. 2. — [2] Suar. tom. 7, cap. 13, 18. — [3] Cf. Petavium, *De angelis*, lib. 3, c. 3.—Item Suar. *De angelis*, t. 2, lib. 8, cap. 21 ; lib. 7, c. 16, 17 ; lib. 2, c. 14.

77. Graves auctores, ut Augustinus, Anselmus, Isidorus [1], asserunt, ad instaurandam ruinam angelorum, homines assumptos esse ; quasi tot ex hominum genere ad æternam vitam sint prædestinati quot angeli fuere dejecti : unde multo major hominum quam dæmonum numerus censendus foret. Auctoritates tamen aliæ obstant ea gravitate, ut res in incerto remaneat. — Illud magis certum est, homines ad angelorum gradus assumi posse, secundum ordinem videlicet gloriæ, non naturæ ; imo ad Luciferi locum, qui putatur fuisse omnium princeps, posse pertingere. Quin, B. Virginem longe sublimius, super omnes angelorum choros exaltatam esse novimus. — Non tamen animæ beatæ omnes assumi ad aliquem angelorum ordinem sunt dicendæ, v. g. infantes, peccatores, tarde et vix resipiscentes ; qui vel novum ordinem constituent, vel infimo angelorum ordini aggregabuntur [2].

78. Q. 3° *Quænam est inflicta pœna dæmonibus?* — R. Sicut angeli boni, post probatam erga Deum fidelitatem, statim admissi sunt in cœlum ad videndam faciem Patris ; ita angeli mali, post peccatum, statim sunt detrusi in infernum : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Luc. X.18. — E cœlo dejecti, omni gratia destituti, in malo obstinati, æternas pœnas luunt, veri ignis supplicio addicti: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Matth. XXV, 41. — Infernus est locus pœnalis in quo detinentur; at, permittente Deo, possunt in terra et in aere vagari. *Et rogabant illum, ne imperaret illis ut in abyssum irent.* Luc. VIII, 31. Quocumque tamen volitant, ubique suam gehennam circumferunt, ut Ven. Beda loquitur [3].

79. Q. 2° *Quare Deus angelis peccantibus non pepercit ?* — R. Ultima ratio, ob quam Deus homini, non angelis peccantibus pepercerit, est justa simul et misericors voluntas Dei. — Rationes convenientiæ varias proponunt Doctores [4]. Ex SS. Gregorii et Bernardi sententia, propterea quod singuli angeli propria voluntate, homines vero unius voluntate peccaverunt ; decuit, ut hi unius etiam beneficio liberarentur. S. Augustinus aliud præterea Deum intendisse ostendit, cum ait : *Ne sibi parci existimet superbia dura mortalium, de superborum supplicio terrenda est angelorum.* Tract. in Joan. 95, n. 4. — Et alibi idem Pater ait, Deum ostendere voluisse quid creatura esse possit per gratiam suam, et simul quo decidere possit per se ipsam et per superbiam.

[1] Petav. lib. 1, c. 14, — [2] Suar. tom. 2, lib. 2, cap. 14. — [3] *In Epist. Jac.* cap. III, 6. — Cf. Petav. *De ang.* l. 2 et 3. — Item Suar. tom. 2, lib. 8, cap. 12 seqq. — [4] Cf. Suarez, tom. 16, disput. 4, sect. 1.

ARTICULUS III.

DE ANGELORUM CUM HOMINIBUS COMMERCIO.

Propositio I, *de angelis custodibus.*
Propositio II, *de dæmonum adversus animas insidiis.*
Propositio III, *de dæmonum in hominum corpora nocumentis.*
Propositio IV, *de dæmonum possessionibus.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Angeli a Deo in hominum custodiam deputantur.

80. Propositio, generaliter tantum statuens dari angelos custodes, *dogma fidei est*, manifestum ex Scriptura ac Patribus, nec non ex festo ab Ecclesia instituto.

81. PROB. 1° Ps. XC, 11 : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* — Matth. XVIII, 10 : *Angeli eorum* (pusillorum) *in cœlis, semper vident faciem Patris mei.*

82. 2° Illud Act. XII, 15 : *Angelus ejus est*, de angelo custode Petri intelligendum esse, Patres unanimiter affirmant. — S. Hieronymus : *Magna dignitas animarum*, ait, *ut unaquæque habeat, ab ortu nativitatis, in custodiam sui angelum delegatum.* Comment. in Matth. XVIII, 10, lib. 3 [1].

PROPOSITIO II.

Dæmones hominum saluti insidiantur, eosque variis modis tentant et ad peccatum alliciunt.

83. *De fide*, ut patet ex manifestis Scripturæ Patrumque testimoniis, nec non ex Ecclesiæ precibus.

84. Tentatio, sensu *generali*, experimentum significat, quod a Deo quoque fieri potest : *Tentavit Deus Abraham.* Gen. XXII, 1 [2]. — Sensu *speciali*, tentatio est *quævis sollicitatio ad malum.* Hinc non solum diabolus, sed caro quoque et mundus tentant ; hæc quidem tantum instrumentaliter aut materialiter, diabolus vero formaliter, ea scilicet intentione ut perducat ad peccatum.

85. Tentatio diabolica est conatus dæmonis in animam, quo ipsam sollicitat impellitque ad malum.

86. Distinguitur dupliciter tentatio diabolica, ratione principii et ratione modi. *Ratione principii* est vel *immediata*, quum fit per ipsum dæmonem ; vel *mediata*, quum fit mediante homine instrumento diaboli, aut hominis concupiscentia a diabolo commota. — *Ratione modi*, est vel violenta, quæ per vim pravorum

[1] Cf. Petav. *De angelis*, lib. 2, cap. 7.
[2] Cf. Jacob. I, 13 seqq. — Suar. tom. 2, lib. 8, cap. 19, 20, 21.

motuum operatur; vel illusoria, quæ arte et astutia fit, qua animus sub specie boni subtilius in malum inducitur.

87. PROB. 1° Ex ipso nomine *Satan*, id est, adversarius; et *Diabolus*, id est calumniator, impostor, qui per mendacia et fallacias nocere conatur. Matth. IV, 3 : *Accedens tentator dixit.* — I Pet. V, 8, 9 : *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret.* — Eph. VI, 11 : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.*

88. 2° Tertullianus aliique Patres dicunt, dæmones per peccatum sibi subjecisse mundum, in eoque fundasse tanquam novum imperium idololatriæ; ideoque Satan principem hujus mundi vocari.

PROPOSITIO III.

Dæmones possunt infeste agere in corpora et bona hominum externa.

89. *Fide certum.*

90. PROB. Job. I. 7 : *Satan percussit Job ulcere pessimo.* — Ps. LXXVII, 49 : *Misit in eos* (Ægyptios) *iram indignationis suæ : indignationem et iram et tribulationem, immissiones per angelos malos.*

PROPOSITIO IV.

Admittenda est proprie dicta dæmonis possessio.

91. *Fide certum.* Etenim homines quandoque vere a dæmone possideri, tum ex Scriptura, tum ex Patrum et catholicæ Ecclesiæ sensu indubie constat.

92. Assertio statuitur contra recentiores quosdam Protestantes, neotericos Biblicos et Rationalistas; quibus accessit ex Catholicis Jahn [1], autumans dæmoniacorum nomine in Scriptura non nisi ægrotos designari.

93. *Possessio dæmoniaca* est potestas vexandi hominem dæmoni concessa, et cum actuali vel habituali vexatione conjuncta.

94. Dividitur possessio in obsessionem et insessionem. — *Obsessio* vel *circumsessio*, est actio dæmoniaca in hominem, sine dæmonis inhabitatione. *Insessio* vel *possessio* stricte talis, dicit inhabitationem dæmonis in energumeno. Ad hanc autem pertinet, 1° ut revera et personaliter dæmones insint homini tanquam motores; 2° ut habeant facultatem, pro Dei permissione majorem vel minorem, physicis hominis potentiis utendi. Itaque quod in dæmoniaco fit, non ab hominis voluntate, sed a spiritu adventitio corpus occupante oritur : ut v. g. cum iste lingua energumeni loquitur et respondet [2].

[1] *Archæologia biblica*, § 194 et seqq.
[2] Cf. Rituale Rom. *De exorcizandis obsessis a dæmonio.*

95. PROB. 1° Evangelica historia nos dubitare non sinit, plures exstitisse a dæmone correptos, qui cum infirmis confundi nequaquam possint. Marc. I, 34 : *Curavit multos, qui vexabantur variis languoribus ; et dæmonia multa ejiciebat et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.*

96. 2° Tertullianus in Apologetico ita publice ethnicos provocat : *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet ; jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi deum de falso.* Cap. 23 ; edit Rigalt.

97. 3° Hinc, ab ipsa ætate apostolica, institutus est in Ecclesia ordo *Exorcistatus*, et regulæ atque orationes ad exorcismos peragendos præscriptæ.

QUÆSTIONES.

1° *An singuli homines suum habent angelum custodem ?* — 2° *Quænam angeli custodes obsequia præstant clientibus ?* — 3° *Quænam signa sunt possessionis dæmoniacæ ?* — *Quænam ejusdem causæ ?* — 5° *Quid de magia sentiendum ?* — 6° *An singulis hominibus diabolus adjunctus est tentator ?*

98. QUÆR. 1° *An singuli homines suum habent angelum custodem ?* — R. Singulis hominibus, non solum justis et prædestinatis, sed etiam peccatoribus ac futuris reprobis angelum deputari ; — singulis præterea communitatibus, regionibus, provinciis, regnis, ecclesiis, angelos præesse ; — communis et certa sententia est ; licet, pene omnibus fatentibus, ad fidem minime spectet. Matth. XVIII,10 : *Angeli eorum ;* hoc est, angeli proprii singulis parvulis adscripti. — Act. XII, 15 : *Angelus ejus est :* ex quibus verbis patet, Judæis et primis Christianis persuasum fuisse, unicuique adesse suum angelum. — S. Basilius : *Quod autem unicuique fidelium adsit angelus, tanquam pædagogus aliquis et pastor, vitam gubernans, nemo contradicet qui verborum Domini meminerit, dicentis : Ne contemnatis,* etc. Cont. Eunom. l. 3 [1].

99. Peccatores porro ac reprobos suum quoque angelum custodem habere, Theologi deducunt, tum ex benigna Dei erga homines voluntate ; tum ex eo quod multi Patres, cum de angelis hominum custodibus loquuntur, neminem, sive fidelis sit sive infidelis, sive justus, sive peccator, excludunt [3] ; tum denique quod, ut animadvertit S. Thomas, angelorum custodia peccatores etiam et reprobi *juvantur quantum ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahuntur, quibus et sibi et aliis nocere possunt.* P. 1, q. 113, art. 4 ad 3.

100. Quod spectat ad angelos singulis communitatibus depu-

[1] Cf. S. Bern. *Serm.* 12 *in Ps. XC*, n. 6, edit. Maurin. — Item S. Thom. I p. q. 113, art. 2 ; Suarez, tom. 2, lib. 6, c. 17.

[2] Cf. Petav. *De ang* l. 2, c. 7, n. 6.

tatos, hæc doctrina diversis nititur Scripturarum locis : sic, Exod. XIV, 19, memoratur *Angelus Dei, qui præcedebat castra Israël ;* Jos. V. 14, apparuit *princeps exercitus Domini ;* Dan X, 13 et 20, commemorantur *principes*, id est, angeli regni *Persarum, Græcorum* et *Judæorum*.

101. Communis quoque fidelium sensus est, S. Michaelem esse custodem Ecclesiæ catholicæ, sicut antea fuit Synagogæ : *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester*. Dan. X. 21.

102. Q. 2° *Quænam angeli custodes obsequia præstant clientibus?* — R. Obsequia angelorum custodum ex Scriptura et Patribus collecta, ad sequentia reducuntur : -1) orationes, bona opera et pia desideria clientum Deo offerunt, ac sua intercessione commendant [1]. — 2) Excitant intellectum et voluntatem ad prosecutionem boni et fugam mali ; cogitationes bonas suggerendo, memoriam piorum propositorum revocando, occasiones bonorum operum suppeditando. — 3) A periculis liberant : arcent et cohibent dæmones ne noceant, tam in spiritualibus quam in temporalibus [2] ; tentationes depellunt vel mitigant, occasiones peccati avertunt ; pœna medicinali, morbis, infortuniis, etc. corripiunt ; in corporalibus necessitatibus adjuvant ; in hora mortis auxiliantur ; animasque solantur in purgatorio.

103. Angelus custos clientem sibi demandatum ab ortu suo suscipit, nec unquam in vita plane derelinquit ; quamquam ob ejus peccata specialem quandoque subtrahit curam ; ut cum v. g. imminentes calamitates non avertit : quo sensu in persona angelorum intelligi potest illud Jerem. LI, 19 : *Curavimus Babylonem, et non est sanata ; derelinquamus eam* [3].

104. Defuncti hominis animam, si in peccato mortali sit, statim deserit angelus ; si vero in gratia, deducit ad purgatorium ; aut si purgatione non indigeat, immediate ad cœlum, occurrentibus aliis angelis, juxta quod canit Ecclesia : *Occurrite angeli Dei, suscipientes animam ejus* [4].

105. Q. 3° *Quæ sunt signa possessionis dæmoniacæ?* — R. Varia dantur indicia possessionis, alia aliis clariora. Quædam sunt tantum *suspiciosa*, ut mores agrestes et ferini, aut consecratio sui facta dæmoni. — Alia sunt *probabilia*, ut insolitæ vociferationes, ululatus belluini, horribilis vultus, stupor membrorum, ingens inquietudo, vires corporis excedentes facultatem hominis, variæ contorsiones et projectiones, quibus sibi adimere vitam possessus aggreditur. Quædam demum aliquam *certitudinem habent:* ut si quis, prius ignarus, derepente linguis

[1] Tob. XII. — [2] Ibid. VIII. — [3] S. Thom. q. 113, art. 6. — Cfr. Suarez, tom. 2 l. 6, c. 18 et 19. — [4] Cf. S. Thom. ibid. art. 7.

loquatur peregrinis; legat, scribat, cantet artificiose; de rebus sublimioribus et aliunde ignotis erudite respondeat; si quis secreta, peccata occulta, res procul gestas manifestet; si omnia quæ tempore vexationis acciderunt, ea cessante, penitus ignoret; si nomen Dei, Jesu, Mariæ et Sanctorum nequeat invocare; si rerum sacrarum, Ecclesiæ, Evangeliorum, etc. horrorem præ se ferat.— Quod si quædam falsa dicantur ab energumeno, non ideo vis indiciorum infirmatur : proprium enim dæmonis est veris falsa miscere.

106. Q. 4° *Quænam est possessionis causa?* — R. Distinguitur triplex : moralis, physica et finalis. Causa *moralis* est peccatum, vel proprium vel alienum : quæ tamen causa necessaria non est. — Causa *physica* est Deus, utens dæmone tanquam ministro; subin quoque viri sancti, ut S. Paulus I Cor. V, 5; nonnunquam etiam magi, Deo permittente, dæmones immittunt. — Causa *finalis*, quatenus intenditur a Deo, est energumeni bonum, emendatio, vel probatio ad meritum; item, sensibilis manifestatio spirituum, virtutis quæ Eucharistiæ ac sacramentalibus inest, quandoque etiam ecclesiasticæ potestatis. Quatenus vero a dæmone intenditur, causa finalis est odium in Deum et hominem, ac ruina salutis humanæ.

107. Q. 5° *Quid de magia sentiendum?* — R. Magia accipi potest lato vel stricto sensu. *Magia late sumpta*, quæ et naturalis, artificialis vel alba dicitur, nihil est aliud quam ars circulatoria seu præstigiatorum. Magia *stricte sumpta*, de qua sola hic movetur quæstio, est ars patrandi prodigia, quæ, licet non absolute supernaturalia, vires tamen hominum superent, ac per dæmonem, vi pacti, cum ipso vel formaliter vel virtualiter initi, producantur.

108. Variæ distinguuntur operationes magicæ : carmina, divinatio, incantatio, evocationes seu necromantia, fascinatio, maleficia, philtra, sortes et sortilegia.

109. Non confundenda est vis dæmonis cum vi magorum, seu horum cum dæmone commercio : prior explicite asseritur in Scriptura, altera non item.

110. Quod pertinet ad existentiam magiæ, seu commercii pacti cum dæmone, *duplex invenitur opinio.* — *Prima* negat magiam existere, omniaque facta quæ arti magicæ tribuuntur, repetit vel ex ignorantia rerum physicarum, vel ex facinorosorum hominum astutia, vel ex phantasiæ illusionibus : sed hæc opinio *temeraria* est. — Sententia *altera*, omnino *tenenda*, magiam existere affirmat. Quamvis enim omnes fateantur deceptiones plurimas occurrere, et nimiam in hoc genere credulitatem ut noxiam reprobent; nihilominus magiam generatim spectatam non esse figmentum, *communis* sententia est. Quæ qui-

dem, spectatis ejus fundamentis, adeo certa videtur, ut salte absque temeritatis nota, in dubium nequeat revocari. *Dari magiam*, ait Suaresius [1], *ita certum est, ut sine errore in fide negari non possit.*

111. Huic revera sententiæ argumenta favent intrinseca et extrinseca validissima. Magiæ veritatem -1) *ab intrinseco* suadent ipsa rei non tantum possibilitas, sed et verisimilitudo; quæ satis patet spectata dæmonis malitia, et humanarum cupiditatum vi : *Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.* Virg. — 2) *Ab extrinseco* : *a*) Quæ in Scripturis leguntur de magis, veneficis, pythonibus ; ex. gr. Exod. VII et VIII; I Reg. XXVIII; Act. VIII, XIII, XVI. *b*) Auctoritas gravissimorum scriptorum, qui non tantum artis magicæ mentionem faciunt, sed insuper ejusdem originem aperiunt. Sic Augustinus commemorat *consultationes, et pacta quædam significationum, cum dæmonibus placita atque fœderata ; qualia sunt molimina magicarum artium.* De doctr. Christ. c. 20, n. 30 [2]. *c*) Leges tum divinæ, tum ecclesiasticæ et civiles, contra magicas operationes latæ. Exod. XXII, 18 : *Maleficos non patieris vivere*[3]. — Constitutio Innocentii VIII data anno 1484, et Constit. Sixti V, *Cœli et terræ Creator*, eos damnat, qui *sortilegiis et superstitionibus, non sine dæmonum saltem occulta societate aut tacita pactione, operam dare non verentur.* Item Gregor. XV, Constit. *Omnipotentis Dei* [3].

112. Q. 6° *An singulis hominibus adjunctus est diabolus tentator* [4] — R. Communiter receptum est, juxta Suarez, angelum malum, Deo permittente, cuilibet homini a Lucifero deputari ; cum id fundetur in Scriptura, et a pluribus Patribus expresse asseratur.

[1] Tom. 12, l. 2, *De superstit.* cap. 14. 16, 17. — Cf. Lessius, *De justitia, ceterisque virt. card.* lib. 2, cap. 43. — [2] Cf. Euseb. *Præpar. Evang.* l. 5, c. 10 et 11 ; — S. Hieron. *in Vita S. Hilarionis*, n. 21. — Cf. Bolland. S. Theophil. 4 febr. ; S. Ægid. 14 maii ; S. Cyprian. 26 sept. — [3] Cf. Levit XIX, 31.
[4] Cf. Wirceburg. *De ang.*, c. 2, art. 2, § 1 ; Perrone, *De creat.* n. 126.

CAPUT TERTIUM.

DE HOMINE EJUSQUE PECCATO.

113. Homo inter creaturas visibiles locum occupat principem, constitutus quasi Rex mundi ab ipso Creatore dicente : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : et præsit... volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ.* Gen. I. — Unde et exclamat Psaltes VIII, 5 : *Quid est homo, quod memor es ejus !... Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* — Patres quoque certatim variis encomiis hominis excellentiam extollunt, vocantes eum *creationis interpretem, sanctificatorem mundi, rerum visibilium pontificem, microcosmum,* seu *totius mundi compendium.* — *Sicut* (Deus) *mundum,* ait Lactantius, *propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se, tanquam divini templi antistitem, spectatorem operum rerumque cœlestium* [1].

114. Jam vero penitius nobis natura hominis ejusque fata consideranda sunt ; ideoque duo articuli statuendi.

Articulus I, *de hominis creatione, ejusque statu primitivo.*
Articulus II, *de lapsu protoparentum et peccato originali.*

ARTICULUS I.

DE CREATIONE HOMINIS EJUSQUE STATU PRIMITIVO [2].

NOTIONES PRÆVIÆ.

115. Notiones præviæ explicandæ sunt sequentes : *naturalis conditio hominis, natura, naturale, connaturale, præternaturale, supernaturale, status supernaturalis ; gratia sanctificans, justitia originalis ; dona primitiva et gratuita ; status varii humanæ naturæ.*

116. *Conditio naturalis hominis* est ipsa natura hominis accepta pro physica ejus essentia, et definiri potest : *Complexus partium quibus homo coalescit, et facultatum quibus instruitur.* Hæ porro reduci possunt ad quatuor : corpus sensibile, animam immortalem, intellectum rationalem, et voluntatem liberam.

[1] Lactant. *Ira Dei,* cap. 14. — [2] Cf. S. Thom. p. I, qq. 75-102 ; Suar. tom. 3, tract. 1, lib. 3, 4, 5 ; et tract. 2, lib 1-6.

117. Facultates seu potentiæ hominis, principaliter pertinent ad aninam, quæ humani compositi forma, et operationum ejus primarium principium est. Sunt autem duplicis generis : *organicæ* et *inorganicæ*. Organicæ potentiæ, quæ et *inferiores* dicuntur, illæ sunt, quæ organis corporeis animatis inhærent, complentur et exercentur. — Inorganicæ, quæ et *superiores* appellantur, illæ sunt, quæ absque ullo organo in sola anima subsistunt, et sine complemento organico exercentur.

118. Vires *organicæ* sunt tres : *vegetativa*, *locomotiva*, *sensitiva*. — Vis *sensitiva*, *seu sensibilitas*, alia est *apprehensiva* et alia *appetitiva*. — Apprehensiva est vel *externa*, et quinque sensibus exercetur ; vel *interna*, quo refertur phantasia, instinctus etc. — Sensibilitas appetitiva, seu sensualitas, *appetitus sensitivus*, dividitur in *concupiscibilem*, cujus objectum est bonum delectabile secundum sensus ; et *irascibilem*, cujus objectum est idem bonum quatenus arduum. Ad appetitum sensitivum referuntur *passiones*, quæ in eo proprie resident, influxui tamen virium superiorum subjectæ sunt.

119. Vires *superiores seu inorganicæ*, sunt vel *apprehensivæ* : intellectus, ratio et quæ eodem reducuntur ; vel *appetitivæ*, quæ voluntate seu appetitu intellectivo continentur. — Ad vires superiores referuntur *habitus*, qui in iis propriam sedem habent [1].

120. Prædictæ facultates omnes quatuor constitutivis supra expositis continentur, vel ab iis dimanant ; suntque homini naturales, quia ex natura ejus immediate et necessario sicut a sole radii proficiscuntur.

121. *Natura*, in sua integritate sumpta, non tantum est principium et subjectum omnis activitatis in ente ; sed etiam illam ipsam activitatem includit : seu, est complexus facultatum, quæ a prædicto principio manant, et ad specificam entis perfectionem pertinent. Sic natura hominis, integraliter sumpta, non tantum substantiam animalem et rationalem, sed etiam facultates omnes, intellectum, voluntatem, sensus internos et externos comprehendit [2].

[1] Cf. S. Thom. I, p. q. 77, 78. seqq.— Hujus op. tom. 2, *De virtut.* n. 40, 44 seqq. — *Nota.* Vires superiores seu intellectuales, omnia efficiunt quæ sensitivæ; sed excellentius. Hinc datur intellectualis visus, auditus, gustus, etc., analogus visui, aliisque operationibus sensitivis. Objecta quoque similia objectis sensibilibus occurrunt, in ordine superiore seu intellectuali posita : nempe verum et falsum, pulchrum et turpe, bonum et malum, delectabile et triste.— Porro objecta utriusque ordinis, i. e. tum sensibilis tum intellectualis, esse possunt naturalia aut supernaturalia. Sic, corpus Christi in sua Passione, erat objectum sensibile naturale ; idem vero corpus Domini in sua Transfiguratione, erat objectum sensibile supernaturale. Sic etiam, Deus abstractive spectatus in hac vita, est objectum intellectuale naturale; spectatus vero intuitive in cœlo, est objectum intellectual supernaturale. — [2] Cf. Supra, *De Trinit.* Introd. § 2, n. 10.

122. *Naturale* id est, quod ad naturam pertinet : seu quod est vel pars naturæ, vel ex natura fluit, vel a natura aliquomodo exigitur sive ad integritatem sive ad perfectionem : cujusmodi sunt v. g. rami, flores, fructus, in arbore ; loquela, scientia, in homine.

123. *Connaturale* frequenter idem sonat ac *naturale*, sensu autem particulari aliquando usurpatur, ad significandum id quod natura secum ducit, quod cum ea connexum est licet ab ea non intendatur, utpote ad ejus integritatem seu perfectionem minime conferens ; ut concupiscentia, mortalitas in homine.

124. *Præternaturale* est id quod, licet a natura non exigatur, naturæ tamen ordinem non transcendit ; sed tantum eam intra suos limites perficit, ad superiorem ordinem non elevando : ut immunitas a concupiscentia, ab ærumnis, a morte [1].

125. Itaque tria hæc : *naturale, connaturale* et *præternaturale*, intra ordinem naturæ continentur. His opponitur *supernaturale stricte dictum*, de quo n° sequenti.

126. *Supernaturale*, vel ens supernaturale, est *illud quod naturæ vires et exigentias excedit*. Naturæ *vires* intelliguntur tum activæ, tum passivæ seu receptivæ, non vero obedientiales. Sic visio beatifica est supernaturalis homini, licet non superet vires obedientiales ejus. Naturæ *exigentiæ* sunt quædam jura physica, vel ut alii vocant, appetitus innati, ad aliquas res obtinendas ; et hæc dicuntur exigentiis illis deberi ab auctore naturæ, ut exercente justitiam providentialem [2].

127. Distinguitur ens supernaturale, -1) quoad modum vel quoad substantiam, -2) relative vel absolute.

128. Supernaturale *quoad modum* duntaxat, est donum in se naturale, collatum modo proprie supernaturali ; ut vita mortuo restituta. — Supernaturale *quoad substantiam*, seu *stricte dictum*, est peculiare Dei donum, quod, in se spectatum, totius naturæ ordinem, vires et exigentias excedit ; quia refertur ad Deum, *ut in se est* attingendum : cujusmodi est gratia interna.

129. Supernaturale dicitur aliquid *relative*, cum tale duntaxat est respectu alicujus creaturæ in particulari : ut immunitas a morte, a concupiscentia, respectu hominis. — *Absolute*, cum tale est respectu omnis creaturæ ; seu cum cujuslibet naturæ, creatæ vel creabilis vires et exigentias transcendit : hujusmodi est visio intuitiva Dei, et gratia quæ ad ipsam conducit [3]. Ad hæc excelsa dona, nulla creatura jus ullum vel possibilitatem habet, nec ullatenus aspirare potest ex semetipsa : sicut nemo subditus, ad habitandum tanquam filius et hæres in domo Regis.

[1] Cf. Perrone, *De Creat.* n. 298, not. (2). — [2] Cf. S. Thom. I p. q. 21. art. 1 ad 3. — [3] Cf. tom. 2, *De gratia*, introd.

130. Hinc facile intelligitur, quid sit elevatio hominis ad *statum supernaturalem :* est scilicet ejus ordinatio ad visionem beatificam ; et consequenter, donatio gratiæ sanctificantis, qua ad illam disponitur.

131. Dicitur *status supernaturalis*, quia sic statuitur homo quasi in novo ordine, seu in via quæ ducit ad finem supernaturalem, i. e. ad visionem beatificam. Visio enim beatifica, seu Deus revelata facie videndus, ac beate possidendus, est *finis supernaturalis* hominis ; cujus finis connaturalis [1] est Deus abstractive tantum, in creaturis scilicet tanquam in speculo, contemplandus et laudandus.

132. *Gratia sanctificans*, quæ etiam sanctitas et justitia vocatur, est supernaturale Dei donum, animæ permanenter inhærens, eam vivificans et ineffabili quodam splendore exornans : quo homo redditur formaliter sanctus, justus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, aliquomodo *consors divinæ naturæ* [2], deiformis, et ad gloriam æternam omnino comparatus.

133. *Justitia originalis* est supernaturale donum Dei, quo homo ab origine sua justus constituebatur. Definiri potest : *Forma supernaturaliter disponens primum hominem ad omnia justitiæ opera facienda.* Est ipsa gratia sanctificans, considerata quatenus forma, per quam homo constituebatur justus et rectus, rectitudine scilicet voluntatis, Deo perfecte subditæ atque conformis [3]. Hinc fit ut *gratia, sanctitas, justitia originalis*, passim promiscue ursurpentur. — Porro donum supernaturale gratiæ et justitiæ, in primo homine principium erat, ex quo manabant et pendebant alia dona gratuita ordinis naturalis [4].

134. *Dona primitiva et gratuita*, ut ex dictis patet, distinguuntur duplicis generis : supernaturalia et præternaturalia. *Supernaturalia* sunt gratia et justitia originalis de qua modo dictum, et virtutes infusæ cum ea connexæ ; *præternaturalia*, dona naturæ humanæ intra ejus ordinem superaddita, quæ numerantur quatuor : *integritas, scientia, immortalitas, felicitas.*

135. *Integritas* sensu *stricto* accepta, prout passim accipi solet, est rectitudo seu ordinatio inferioris hominis, qua in Adamo vires inferiores superioribus erant omnino subjectæ. Hæc integritas quasi complementum erat justitiæ, et cum ea constitue-

[1] Cf. Suar. t. 6, *De Grat.*, proleg. 4, cap. 1. — Item, S. Thom. p. 1, q. 23, a. 1 in c. — [2] II Pet. 1, 4. — [3] Scilicet hæc rectitudo *principaliter* sita in voluntate, *secundario* ad omnes animæ potentias pertinebat : ita ut *adæquate* sumpta totius hominis *harmoniam* constitueret. Cf. S. Thom. 1, 2, q. 82, art. 1. 2, 3. — Item hujus op. t. 2, *De Gratia*, cap. 2, art. 1, quær. 5, n. 315.

[4] Cf. S. Thom. 1 p. q. 95, art. 1. — Suar. tom. 3, l. 3, c. 20 ; t. 6, *De Grat.* proleg. 4, c. 2 seqq. — Perrone, *De Creat.* n. 298.

bat rectitudinem illam adæquatam, seu *harmoniam, quæ continebat omnes animæ partes in unum. Erat autem hæc rectitudo secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animæ corpus. Prima autem subjectio, erat causa secundæ, et secunda tertiæ. Porro prima subjectio, qua ratio Deo subdebatur, erat secundum supernaturale donum gratiæ;* ita ut *per gratiam in anima existentem inferiora ei subderentur.* Quare postmodum *deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam* [1]. — Ergo sicut per originalem justitiam voluntas subdebatur Deo [2] : ita per integritatem vires inferiores, præsertim appetitus sensitivus, concupiscibilis et irascibilis, subdebantur voluntati ; et sicut justitia excludebat a voluntate *peccatum ;* ita integritas exludebat a sensualitate *concupiscentiam*, seu motus rationi rebelles.

136. Sumpta *sensu lato*, et secundum vim vocis, *integritas* significat naturam hominis prout erat *integra* ante peccatum, comparate ad detrimenta ac vulnera quæ passa est post peccatum.

137. *Scientia,* de primo homine prædicata, significat facultatem intelligendi præstantissimam, et cognitiones eidem infusas.

138. *Immortalitas* est immunitas a morte. Potest esse triplicis generis : vel *essentialis*, ut in Deo ; vel *naturalis*, ut in angelis; vel *præternaturalis et gratuita*, ut in primo homine, qui speciali Dei dono vindicabatur ab interitu.

139. *Felicitas* generatim significat complexionem donorum primi hominis [3]; prout autem distinguitur a tribus donis modo enumeratis, significat immunitatem ab ærumis, doloribus, morbis, aliisque miseriis physicis.

140. Hæc porro dona primitiva vocantur *gratuita*, hoc est indebita. Gratuitas enim est proprietas doni quod conceditur gratis ; seu quod nullo titulo, neque naturali neque personali debitam est. *Naturalis titulus* est aliqua entis exigentia, in ipsa ejus naturæ conditione fundata : *personalis*, est meritum, quod ex personæ actionibus oritur.

141. *Status naturæ humanæ* est certa conditio totius humani generis, seu modus se habendi in ordine ad finem ultimum, et quod consequens est, ad media eo spectantia. Finis ultimus, qui Deus est, potest homini præfigi vel naturaliter vel supernaturaliter attingendus. Unde imprimis duplex status exoritur, naturalis et supernaturalis. At propter varias humani generis vicissitudines, plures distinguendi sunt status : 1) status *naturæ puræ*, importans facultates humanæ conditioni naturaliter debitas, sine peccato originali et sine gratia supernaturali ;

[1] S. Thom. 1. 2, q. 82, a. 1, 2, 3 ; I p. q. 95, a. 1.
[2] S. Thom. 1. 2, q. 82, a. 3. — [3] Cf. Perrone, *De Creat.*, n. 397 seqq.

-2) *naturæ integræ*, superaddens præcedenti, subjectionem virium inferiorum sub imperio rationis ; -3) *naturæ elevatæ*, superaddens præcedenti, gratiam ac justitiam, cum destinatione ad visionem beatificam : hic status consideratus in protoparentibus ante peccatum, etiam vocatur *status innocentiæ ;* -4) *naturæ lapsæ*, importans privationem gratiæ et integritatis; -5) *naturæ reparatæ*, importans restitutionem gratiæ sine integritate aut felicitate, -6) *status viæ*, pertinens ad tempus vitæ præsentis; -7) *status termini*, spectans ad sortem stabilem in æternitate.

142. His præmissis, varias quæstiones exponemus sequenti ordine :

Propositio I, *de creatione Adami, humani generis protoparentis.*
Propositio II, *de hominis conditione naturali.*
Propositio III, *de protoparentum donis supernaturalibus.*
Propositio IV, *de ipsorum donis præternaturalibus.*
Propositio V, *de omnium donorum gratuitate.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Creavit Deus primum hominem Adam, a quo universum hominum genus propagatum est.

143. Priori propositionis parte statuitur, primum hominem non a terræ fecunditate, aut quavis alia causa naturali, sed ab ipso Deo ex limo terræ esse productum : quod *ad fidem spectat*, ex decreto Later. IV, supra citato. Altera parte, contra Præadamitas et Coadamitas statuitur, unam esse omnium hominum originem : quod similiter *ad fidem spectat*, utpote connexum cum dogmate peccati originalis in omnes homines propagati. Utraque pars probatur simul.

144. PROB. 1° Gen. I, 27, et II, 7 : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam... formavit de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ; et factus est homo in animam viventem.* — Sap. X, 1 : *Hæc* (Sapientia) *illum qui primum formatus est a Deo, pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit.* — Act. XVII, 26 : *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.*

145. 2° Accedit unanimis Judæorum et Christianorum traditio.

146. 3° Eadem veritas, saltem quatenus unitatem originis humanæ respicit, confirmatur ex omnibus antiquis anthropogoniis : ex Gentilium, non tantum veterum, sed etiam recentiorum traditionibus ; ex historiis, quæ antiquarum gentium transmigrationes ex Asia profectas referunt ; ex philologia, quæ omnes linguas ad communem originem revocandas esse testatur, seu ad linguam primitivam, cujus adhuc vestigia perspicua cernuntur [1].

[1] Cf. Perrone, *De Creat.* n. 250. — Card. Wiseman, *Rapport entre la science et la religion révélée*, tom. 1.

PROPOSITIO II.

Homo creatus est cum corpore organico, et anima rationali, libera ac immortali.

147. Propositio *fide certa*, ex Scriptura et Traditione, nec non ex Lat. IV, cap. *Firmiter*, ubi dicitur : *Deus condidit creaturam... humanam, ex corpore et spiritu constitutam.* — In Later. V, ita pronuntiat Leo X : *Damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus* [1]. — Imo hæc assertio ex præcedenti consequitur propositione, in qua probavimus, naturam humanam totam a Deo fuisse creatam ; inde enim fluit, creatam eam fuisse quoad omnes partes quibus constituta est [2], quod nunc demonstramus.

148. PROB. Gen. I, 27 : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam.* — Gen. II. 7 : *Formavit Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Dicitur : Deus creavit hominem *ad imaginem suam*, hoc est : creavit *intellectivum*, cum non sine intellectu eum creaverit, et maxime in hoc speculo divina imago resplendeat [3]. *Inspiravit spiraculum vitæ*, seu vitale principium, quod est anima rationalis ; et factus est homo *in animam viventem*, id est, per animam corpus informantem exstitit vivens in unitate humanæ naturæ.

149. Eccli. XVII, 6 : *Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et bona et mala ostendit illis.* — Gen. I, 31 : *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Ergo etiam homo constitutus est a Deo *valde bonus*, quo innuitur eum fuisse in sua natura perfectum, i. e. instructum corpore, anima rationali et libera, ac proin spirituali atque immortali.

PROPOSITIO III.

Primi parentes in statu sanctitatis et justitiæ constituti fuerunt.

150. *Ad fidem pertinet*, ex Trid. Sess. 5, decr. de pecc. orig. can. 1 : *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat amisisse ; incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi, iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub eius potestate qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli ; totumque Adam, per illam prævaricationis offen-*

[1] Bulla contra errores Pomponatii edita, 14 Kal. jan. 1513. — [2] De fide porro est ita esse constitutam hanc naturam, ut anima sit per se et essentialiter forma (substantialis) corporis. Concil. Vienn. Defin. contra errores Joan. Olivi. — Cf. Suar. tom. 3, tract. 2, lib. 1, cap. 1, 11, 13. — [3] S. Thom. p. I, q 93, art. 2.

sam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse ; anathema sit.

151. Dicitur in propositione, *constituti fuerunt*, non vero : *creati fuerunt ;* ut præscindatur a quæstione utrum cum his donis fuerunt creati, quæ communis opinio est [1] ; an vero prius in naturalibus constituti, et deinde supernaturaliter elevati.

152. PROB. 1° Gen. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Cujus loci communis Patrum expositio est, ut nomen imaginis ad naturam, similitudinis ad sanctitatem et justitiam referant ; ex quo concludunt, Adam quidem per peccatum amisisse similitudinem quam habebat cum Deo, non autem Dei imaginem. — Eccl. VII, 30 : *Solummodo hoc inveni quod fecerit Deus hominem rectum.* Quo in loco vox hebraica JASSAR, non tantum rectitudinem moralem, sed sanctitatem ac justitiam supernaturalem, ut alibi passim, indicat. — Eph. IV, 23 : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* In quem locum Augustinus : *Vide ergo*, inquit, *quid sequatur : Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis : ecce quod perdidit Adam per peccatum.* De Gen. ad litt. l, 6. c. 26.

153. 2° Patrum doctrina est unanimis [2] : testimonium Augustini allatum sufficiat.

154. OBJIC. 1° Dicit Apostolus I Cor. XV, 45 : *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Ergo Adam spiritu vivificante, seu sanctificante gratia instructus non fuit. — R. *Neg. conseq.* Non loquitur Apostolus de gratia Adami et Christi, sed de corpore Adami recens formati et de corpore Christi resurgentis. Corpus Adæ animale vocat, utpote cibo potuque egens ; corpus autem Christi post resurrectionem, spiritale, cum nulli necessitati sit obnoxium. — Porro, qui dicit corpus Adæ fuisse animale, non negat animam fuisse supernaturaliter spiritalem, per inhabitantem videlicet Spiritum sanctum.

155. 2° S. Augustinus docet, non statim accepisse Adam spiritum gratiæ, sed solum spiritum animæ rationalis [3] ; ergo. — R. *Neg. conseq.* Ex his enim non sequitur protoparentes, gratia sanctificante ornatos, saltem post creationem, non fuisse. — Præterea, S. Doctor loquitur, non tam de gratia sanctificante, quam de omnimoda felicitate assequenda per meritum obedientiæ ; et mens ejus ex contextu esse videtur, Adamum in paradiso non accepisse gratiæ consummationem, quæ includit con-

[1] Suarez, *De opere sex dierum*, l. 3, c. 17, et seqq. — [2] Cf. Bellarm. Lib. *De gratia primi hominis*, c. 3, n. 2, 3. — [3] *De Civit.* l. 13, c. 23, n. 1.

ditionem corporis glorificati ; quum hæc tanquam merces fuisset ejus fidelitati tribuenda, quemadmodum tribuetur justis quando gloriose resurgent.

PROPOSITIO IV.

Una cum justitia et sanctitate, conjuncta erant in primis parentibus eximia tum animæ tum corporis dona.

156. *Ad fidem pertinet*, ut patet ex Concilio Milevitano II, et Ephesino, damnante Pelagianos, qui Adam in puris naturalibus constitutum, ac proinde ignorantiæ, concupiscentiæ, ærumnis ac morti obnoxium fuisse, perinde ac nos sumus, asserebant [1] ; — item ex Trid. Sess. 5, can 1 : *Si quis non confitetur, totum Adam per prævaricationis offensam, secundum corpus et animam, in deterius commutatum fuisse ; anathema sit.* Et can. 5 declarat *concupiscentiam ex peccato esse ;* ergo ante peccatum inerat humanæ naturæ integritas.

157. PROB. 1° Eccli. XVII, 6 : *Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et bona et mala ostendit illis.* — Gen. II, 25 : *Erat autem uterque nudus, et non erubescebant;* post peccatum autem cognoverunt se esse nudos, et ait Deus : *Quis indicavit tibi quod nudus esses nisi quod ex ligno, de quo dixeram tibi ne comederes, comedisti ?* — Sap. II, 23 : *Deus creavit hominem inexterminabilem... invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* [2]. — Gen, II, 15 : *Deus hominem posuit in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.* — Rom. VII, 15 seqq. : *Quod odi malum illud facio... non ego... sed quod habitat in me peccatum.* Porro concupiscentia peccatum dicitur *quia ex peccato est.* Trid. Sess. 5.

158. 2° Traditionis consensus patet ex Concil. Milev. II, can. 1 ; et ex Augustino *De civit.* l. 14, c. 26 [3]. — Primæva felicitas confirmatur quoque omnium fere gentium antiquis traditionibus ; unde Ovidius :

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat [4].

159. COROLL. Ex dictis non obscure arguitur, dona primitiva sanctitati conjuncta, fuisse quatuor : *scientiam, perfectam voluntatis et sensualitatis ordinationem, immortalitatem et felicitatem.*

[1] Cf. Concil. Araus. II, can. 1 et 2. — [2] Cf. Gen. II, III ; — Rom. V, 12.
[3] Cf. quoq. Petav. *De opif.* l. 2, c. 6 seqq. — [4] Metamorph. l. 1, v. 89.

PROPOSITIO V.

Gratia sanctificans et reliquæ dotes, quibus Deus primos parentes ornaverat, eorum naturæ non erant debitæ.

160. *Fide certum*, ex variis propositionibus Baii damnatis, in quibus contraria doctrina asseritur : scilicet 21ª : *Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis ;* — 26ª : *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio ;* — 55ª : *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur ;* — 78ª : *immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Hæ propositiones a S. Pio V et Greg. XIII damnatæ sunt ; et simul, ut facile patet, confixa Lutheri, Baii, Jansenii et Quesnelli doctrina, statuens Deum, salva sua bonitate et justitia, hominem sine donis primitivis condere non potuisse, ideoque illa esse naturæ debita.

161. Agimus de debito fundato in constitutione naturæ, ea dona exigentis : ut adversarios impugnemus dicentes, dona hujusmodi ad *naturalem hominis conditionem* pertinuisse. — Quod naturæ *debitum* non est, *gratuitum* appellatur.

162. His præmissis, PROBATUR propositio I, quoad gratiam, II, quoad reliqua dona.

163. I PARS. Gratia sanctificans fuit profecto gratuita : *Alioquin gratia jam non est gratia.* Rom. XI, 6.

164. II PARS. Reliqua dona fuere gratuita. Si dona primitiva fuissent debita naturæ, quatenus ex sua constitutione ea exigenti, etiamnum in natura correspondens exigentia aut tendentia deprehenderetur ; atqui nunc natura humana hanc tendentiam aut exigentiam non manifestat ; ergo nunquam hujusmodi donorum sive germen, sive exigentiam habuit. — E contra, ut et physiologi unanimiter docent, ex ipsis elementis et principiis quibus natura hominis constituitur, ut sunt appetitus rationalis, sensitivus et corpus carneum, connaturaliter exoritur concupiscentia, ignorantia, dolor ac dissolutio corporis ; quæ omnia donis de quibus agitur. i. e. immunitati a concupiscentiæ fomite et ab ærumnis, perfectæ scientiæ et immortalitati, opponuntur.

165. Accedit Traditio, quam imprimis Augustinus repræsentat. *Ignorantia et difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus sed laudandus esset.* Retract. l. 1,c.9,n.7. — *Possibile fuit Deo*, ait S. Thomas, *ut hominem faceret in puris naturalibus.* Quodlib. 1, art. 8.

166 OBJIC. Anima humana est naturaliter immortalis ; ergo immortalitas non est gratuita — R. *Conc. ant. dist. conseq.*

Non est gratuita immortalitas hominis quoad formam compositi humani, i. e. quoad animam, *conc.;* quoad totum compositum *neg.*

167. *Inst.* Tendentia, seu ordinatio ad unionem cum corpore, adeoque ad vitam corporalem, est animæ naturalis ; atqui hujusmodi tendentia opponitur naturali mortalitati ; ergo mortalitas non est naturalis. — R. *Dist. maj.* Naturalis est tendentia ad unionem cum materia sufficienter disposita, *C.;* aliter. *N.*— *Dist. min.* Illa tendentia opponitur mortalitati, ubi materia corporea est sufficienter disposita, *C.;* opponitur absolute, *subd.;* ex parte materiæ corporeæ, *N.*, ex parte animæ, *trans.* Non est autem necesse, ut mortalitas compositi sit debita naturæ ratione ipsius animæ : sufficit ut debita sit ratione materiæ corporeæ.

QUÆSTIONES.

1o *Quandonam homo creatus est ?* — 2o *Quomodo homo creatus est ?* — 3o *Quid est humana anima ?* — 4o *Quomodo homo est imago Dei ?* — 5o *Qualis et quanta fuit primi hominis scientia ?* — 6o *An Deus potuisset de potentia ordinata hominem creare qualis nunc nascitur ?* — 7o *Num homini in puris naturalibus constituto necessaria forent gratiæ auxilia, ad legem naturalem adimplendam ?* — 8o *Num humana natura, secluso peccato originali, nihilo deterior nunc est, quam foret in statu naturæ puræ ?*

168. QUÆR. 1o *Quandonam homo creatus est ?*—R. Die sexto[1] creationis, anno ante Christum natum, circiter 5500, juxta chronologiam LXX Interpretum; at secundum textum hebræum, quocum Vulgata nostra concordat, anno circiter 4000. — Post creationem hominis, hoc est die septimo, *requievit Deus*, inquit Scriptura, *ab universo opere quod patrarat*, Gen. II, 2 ; id est, a novis rerum speciebus producendis cessavit ; sic etiam homo, ubi opus absolvit, cessare seu *quiescere* dicitur. Nec obstat quod etiamnum Deus creet animas hominum qui nascuntur ; cessavit enim tantum a novis speciebus producendis : anima autem humana, quæ nunc creatur, ab anima Adami specie non differt [2].

169. *Quomodo homo creatus est ?* — R. Ultimo loco : nimirum quia cætera creata erant propter ipsum, ideo post reliqua ipse prodiit in mundum, tanquam in præparatum habitaculum ingressurus.

170. Creatus est autem Adam, sicut cæteris perfectus, ita etiam justa corporis statura, et ætate virili.

171. Corpus Evæ formavit Deus *e costa Adami*, Gen. II, 21, 22 : quod sensu non metaphorico, sed proprio, juxta interpretes

[1] Cf. quæ dicta sunt de diebus creationis in tract. *De Relig. christ.* c. 3, art. 1, n. 229. Vid. item Suarez, *De op. sex dier.* l. 1, c. 11.

[2] Cf. S. Thom. p. I, q. 73, art. 2.

omnes, intelligendum est. Hac formatione mulieris multa continentur mysteria. Nam quod mulier de latere viri sumpta est, significat -1) uxorem esse viri sociam,non dominam nec servam; -2) de latere Christi dormientis in cruce fluxura esse sanguinem et aquam, quibus formaretur Ecclesia [1].

172. Q. 3º *Quid est anima humana ?* — R. Anima est intimum et radicale principium elicitivum, ac subjectum saltem partiale actionum nostrarum immanentium, in nobis existens, seu verius, maxima ex parte nos ipsos constituens. Definiri potest : *Substantia spiritualis, ad corpus humanum essentialiter ordinata.*— Unitur autem anima corpori, non ut motor mobili, sicut posuit Plato ; sed ut forma substantialis [2]. Unde et demonstratur unicam esse oportere in quolibet homine animam rationalem, quæ animæ sensitivæ et vegetativæ officiis fungatur. In quo nulla repugnantia : quum quidquid habet anima sensitiva brutorum et vegetativa plantarum, substantia animæ rationalis virtualiter contineat [3].

173. Q. 4º *Quomodo homo est imago Dei?*— R.Dicitur homo factus ad imaginem et similitudinem Dei secundum animam,qua, juxta S. Thomam [4], tripliciter imaginem sui Creatoris refert : -1) quatenus anima est naturaliter apta ad cognoscendum et amandum Deum; -2) quatenus per fidem et charitatem cognoscit et amat Deum supernaturaliter ; -3) quatenus per lumen gloriæ et charitatem patriæ, Deum cognoscit et amat perfecte. Prima imago dicitur imago *naturæ*, et convenit omnibus hominibus ; secunda vocatur imago *gratiæ* seu similitudinis, et solis justis est propria ; tertia dicitur imago similitudinis *gloriæ*, et convenit solis Beatis, quo spectat illud Joan. I Epist. III, 2 : *Charissimi, nunc filii Dei sumus : et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est* [5].— Ratio imaginis in eo etiam elucet, quod homo libero arbitrio præditus sit, et dominio in cæteras creaturas potiatur.

174. Quod spectat ad corpus humanum, hoc imaginem Dei non refert, sed potius quoddam vestigium [6]. Nam figura quædam et quasi delineatio internæ Dei imaginis, id est, mentis, in corpore relucet, ratione præsertim staturæ et vultus ad cœlum erecti : ut hoc ipso homo admoneatur, quemadmodum Augustinus ait [7], non sibi terrena velut pecoribus spectanda, quorum corpora, quia voluptas ex terra est, in alvum prona atque prostrata sunt.

[1] Cf. S. Thom. q. 92, art. 2 et 3. — Suar. t. 3, tract. 1, lib. 3, c. 1-5.
[2] Conc. Vienn. Defin. cont. errores Joan. Olivi. — Suar. t. 3, *De anima*, lib. 1, cap. 11, 12. — [3] Cf. S. Th. I p. q. 67, art. 3 et 4. — [4] Q. 93, art. 4.Cf.Suar.tom.3, tract.1, lib. 3, cap. 8. — [5] De imagine Trinit. in homine. Vid. supra tract. *De Trinit.* n. 74. — [6] I p. q. 93, art. 6. — [7] Lib. 93, quæst. 51.

175. Q. 5° *Qualis et quanta fuit primi hominis scientia ?* — R. Primus homo a Deo constitutus est, ut non tantum generatione corporali, sed etiam institutione et gubernatione, aliorum hominum esset principium. Quare sicut corpore ita etiam anima perfectus e manu Creatoris prodiit, ut statim filios suos docere posset et gubernare : instructus nimirum perfecta scientia omnium rerum, quæ naturaliter ab homine cognosci possunt. Quare animalia omnia, omnesque plantas, cuncta denique quæ homo doceri et studio assequi natus est, primus homo cognovit; et quidem tanta perfectione, ut doctissimum quemque de posteris, etiam Salomonem superaverit [1]. Non tamen cognovit futura contingentia, occultas cordium cogitationes, nec omnia et singula cujusque speciei individua, nec alia objecta quæ naturali studio attingi nequeunt [2].

176. Deinde cum in statu felicitatis esset constitutus, omni malo erat immunis : quare nulli ignorantiæ, oblivioni, errori aut deceptioni ante lapsum obnoxius fuisse dicendus est [3].

177. Quod attinet ad supernaturalia, Adam tantam illorum habuit notitiam, quanta ad suæ et aliorum vitæ spiritualis regimen opus erat, et statui felicitatis congruebat : adeoque fide cognovit Deum Creatorem et Remuneratorem, SS. Trinitatem imo etiam Incarnationis mysterium [4].

178. Hanc porro tam multiplicem perfectamque scientiam, Adam a Creatore una cum justitia originali donisque annexis, infusam accepit. Quæ omnia nisi peccasset, posteris suis, partim via generationis, partim via institutionis transmisisset [5].

179. Q. 6° *An Deus potuisset de potentia ordinata hominem creare qualis nunc nascitur ?* — R. Deum potuisse de *potentia absoluta* hominem creare talem, hoc est, sine peccato et sine donis primitivis, certum est ex damn. prop. Baii 55. — Utrum vero Deus hoc potuerit de *potentia ordinata*, seu secundum leges, non tantum strictæ justitiæ, sed etiam bonitatis, decentiæ et congruitatis ; quæstio non decisa est. Affirmativa tamen sententia teneri debet, cum negativa Baianismo affinis sit [6].

180. Q. 7° *An homini sic constituto necessaria forent gratiæ auxilia ad legem naturalem adimplendam ?* — R. Homini in puris naturalibus constituto aliquod auxilium fuisset moraliter necessarium : non quidem ad ordinem supernaturalem *elevans*, seu *quoad substantiam supernaturale ;* sed simpliciter *adjuvans*, ac roborans ad opus ponendum, quod non nisi naturalis ordinis fuisset [7]. Homo scilicet, tale auxilium a Deo postulare

1 Cf. Suar. t. 3, tract. 1, l. 1, c. 9. — 2 S. Thom. I p. q. 94, art. 3.
3 S. Thom. ibid. art. 4. — 4 I p. q. 95, art. 7; p. 3, q. 1, art. 3 ad 5. — Suar. loc. c. cap. 18. — 5 Cf. Suar. tom. 3, tract. 1, lib. 5, cap. 8 et seqq.
6 Cf. Perrone, *De Deo creat.* n. 341. — 7 Suar. tom. 6, lib. 1, c. 1, 2, 8, 27, 28.

potuisset, et postulanti Deus pro sua clementia, homini præsertim innocenti, non denegasset [1]; atque ita pulcherrima dependentia homo cum Creatore suo mansisset conjunctus.

181. Q. 8° *An humana natura, secluso peccato originali, nihilo deterior nunc est, quam foret in statu naturæ puræ?* — R. Natura lapsa, juxta communiorem sententiam, non est *intrinsece* deterior natura pura, nisi hoc sensu, quod sit positive indigna auxiliis naturalibus, naturæ puræ aliquomodo debitis. *Extrinsece* autem, respectu scilicet ad pugnas extrinsecas, quæ tum a diabolo, tum a scandalis mundi proveniunt, infirmior dici potest. Quod ergo Trid. Sess. 5, can. 1, dicit, *totum Adam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse*, relative ad statum felicitatis primitivæ intelligendum videtur; atque hoc sensu homo dicitur *vulneratus in naturalibus* [2].

ARTICULUS II.

DE LAPSU PRIMORUM PARENTUM ET PECCATO ORIGINALI [3].

Propositio I, *de peccato protoparentum.*
Propositio II, *de peccato originali.*
Propositio III, *de peccati originalis natura.*
Propositio IV, *de immunitate B. M. V. ab originali peccato.*
Propositio V, *de peccati originalis effectibus.*
Propositio VI, *de non sublato post peccatum libero arbitrio.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Primi parentes mandatum Dei transgressi sunt, ac per hanc transgressionem graviter peccarunt.

182. Utraque pars ut minimum *ad fidem pertinet*, prout patet ex Trid. Sess. 5, can. 1, supra recitato.

183. *Peccatum* est libera divinæ legis transgressio, ac proinde divinæ majestatis offensa. — Distinguitur 1° in *personale* et *originale*: primum illud est, quod quis sua voluntate, sibi physice propria, committit; alterum est illud, quod quis commisit voluntate physice aliena, sed moraliter propria, scilicet voluntate Adam, qui humani generis caput fuit et origo — Distinguitur 2° in *grave* et *leve*. Grave, seu mortale, illud est, quod violat divinam legem graviter obligantem, et meretur odium Dei; leve vero, quod violat legem leviter obligantem, et tantum Dei displicentiam excitat. — Distinguitur 2° in *actuale*, quod est ipse actus peccaminosus, et *habituale*, quod est status peccati nondum deleti. Scilicet peccatum consideratum ut ha-

1 Cf. huj. op. t. 2, *De Gratia*, cap. 1, art 2, prop. 3, *obj.* n. 125. Cf. Suar. tom. 6, *De Grat.* proleg. 4, c. 8, 9. — 3 Cf. S. Thom. 1. 2, qq. 71, 80-83; 2. 2, qq. 163, 164, 165. Item Suar. tom. 4, tract. 5, disp. 1, 2, 7, 8, 9.

bitus, est id quod, actu peccandi transacto, constituit hominem permanenter peccatorem ; et probabiliter consistit, si de peccato personali agatur, in peccato ut non condonato, atque ita physice quidem præterito, sed moraliter perseverante [1].

184. Actus peccaminosi effectus alii spectant ad Deum, alii ad ipsum peccatorem. Ex parte Dei exoritur duplex jus, nimirum: jus odii vel saltem displicentiæ, et jus vindictæ. In peccatore enascitur macula, et duplex debitum seu reatus : reatus culpæ, seu debitum subeundi iram Dei ; et reatus pœnæ, seu debitum sustinendæ vindictæ delicto proportionatæ : quod duplex debitum necessario solvendum est per expiationem, nisi placetur offensus per satisfactionem.

185. Propositio, ut patet, agit de peccato actuali ac personali a primis parentibus commisso.

186. PROB. I PARS, *seu peccatum*. 1° Gen. II et III : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas ; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris. — Tulit* [Eva] *de fructu illius et comedit : deditque viro suo, qui comedit* — Sap. X, 2 ; *Eduxit illum* [Adamum] *a delicto suo.* — II Cor. XI, 3 : *Serpens Evam seduxit astutia sua.*

187. 2° Confirmatur, non tantum ex catholica Traditione quæ manifesta est ; sed etiam ex primitivæ traditionis vestigiis, quæ apud omnes gentes reperiuntur [2]. Vestigia hujusmodi cernere est apud Græcos, in fabulis Promethei et Pandoræ, Herculis et Serpentis Ladon : apud Persas, in doctrina Zoroastri, libro Zendavesta, de Ahriman malo genio, qui serpentis specie indutus, primos homines ad peccandum seduxit ; apud Ægyptios, imo et Sinenses, in eorum traditionibus : adeo ut ipsa incredulitas fateri cogatur, *casum hominis esse theologiæ omnium pene antiquorum populorum fundamentum* [3].

188. II PARS, *seu gravitas peccati*. Primos parentes peccasse graviter, patet ex pœna a Deo iis primum intentata ac dein inflicta, ex nomine *prævaricationis* atque *delicti*, quo eorum peccatum in Scriptura notatur [4].

189. OBJIC. 1° Narratio Genesis de fructu vetito et serpente, allegoria est, mythus et philosophema ; ergo non suppeditat argumentum facti historici. — R. *Neg. antec.* Nihil enim est quod in hac narratione mythum contineri suadeat vel innuat ; e contra, omnia factum historicum tradi demonstrant, nimirum : stylus, qui historicus est, non secus ac in reliqua Pentateuchi narratione ; perpetua Judæorum et Christianorum traditio et

[1] Cf. Patel. *Synops. theol.* part. 2, c. 4, § 1. — Lugo, *De pœnit.* disp. 7, sect. 5. — [2] Cf. Auguste Nicolas, *Etudes philosophiques sur le christian.*, t. 1, l. 2, ch. 4, § 1. — [3] Voltaire, *Philosophie de l'Histoire*, ch. 17.

[4] Rom. V, 14 ; Sap. X, 2.

interpretatio ; ipsa historiæ humanæ fides, quæ, si adversariorum hypothesis valeret, in tota Scriptura et in profanis quoque scriptis nutaret.

190. *Obj.* 2° Primi parentes carebant concupiscentia ; ergo peccare non potuerunt.—R. *Neg.conseq.* Peccare poterant quia erant liberi nec in gratia confirmati. Subjectio enim appetitus sensitivi facilitatem ad bonum præstat, non tollit libertatem ad malum. Dein peccatum illud incepit non a carne sed a spiritu, nempe per superbiam : *Eritis sicut dii.* Hac deordinatione partis superioris, simul soluta est subjectio partis inferioris : *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum,et pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Gen. III [1].

191. *Obj.* 3° Saltem non nisi in materia levi deliquerunt ; ergo non peccarunt graviter,—R. *Dist. antec.* Materia seu esus fructus fuit res levis in se, *conc. ;* spectato fine præcepti, *neg. antec.* Finis erat ut Deus supremum dominium in hominem positivo imperio ostenderet ; et homo subjectionem et dependentiam erga Deum obediendo profiteretur, atque ita nobilissimas virtutes exerceret. Jam vero hujusmodi finem quis levem dixerit ?

PROPOSITIO II.

Peccatum Adami in omnes ejus posteros transfunditur, seu datur peccatum originale.

192. *Dogma fidei,* definitum in Conc. Milevitano II, sæc. V, contra Pelagianos, qui dicebant, Adamum posteris non nisi pravo exemplo nocuisse ; — et iterum in Trid. Sess. 5, can. 2 et seqq., ubi statuitur : *Si quis asserit Adamum... mortem et pœnas corporis tantum,in omne genus humanum transfudisse,non autem et peccatum,quod mors est animæ: anathema sit.*

193. Hic peccatum Adæ consideratur, non jam ut *actuale,* in ipso Adamo peccante; sed ut *originale,* et in ejus posteros propagatum. — Dicitur *originale,* tum quia nobis ab origine seu conceptione insitum est, tum quia ab origine generis nostri, seu Adamo provenit.

194. Statuitur hujusce peccati existentia, præscinditur autem a modo quo existit : illud enim est factum revelatione manifestum ; hoc vero inexplicabile mysterium, ut fatebatur Augustinus : *Hoc peccato antiquo,* aiebat, *nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius* [2].

195. PROB. 1° Ps. L, 7: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,et in peccatis concepit me mater mea.* —Job,XIV, 4: *Quis*

[1] Cf. S. Thom. 2. 2, q. 163, art. 1. — P. 1, q. 95, a. 1.
[2] Lib. *De mor. Eccl.* c. 22.

potest facere mundum de immundo conceptum semine ? — Rom.V,12 seqq. : *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors ; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.—Sicut per unius delictum, in omnes homines in condemnationem : sic et per unius justitiam, in omnes homines in justificationem. — Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ; ita et per unius obeditionem justi constituentur multi* [1].

196. 2° Ex traditione Patrum.— S. Irenæus : *Deum in primo Adam offendimus, non facientes ejus præceptum ; in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti.* Adv. hæres. l. 5, c. 16. — S. Joan. Chrysostomus : *Cum tibi Judæus dixerit : Quo pacto, uno recte agente Christo, universus orbis salvus factus est ? possis illi respondere : Quo pacto, uno non obediente Adam, universus orbis condemnatus est ?* Homil. 10 in Ep. ad Rom.[2].—Quod si aliquibus in locis S. Chrysost. obscurius loquitur, hoc inde provenire dicendum est, quod, ut Augustinus ait, *disputans in Ecclesia catholica non se aliter intelligi arbitrabatur. Tali quæstione nullus pulsabatur ; vobis* [Pelagianis] *nondum litigantibus, securius loquebatur.* Contra Julian. lib. 1, n. 22.

197. 3° Argumento præscriptionis. — Doctrina de originali peccato, antiquitus in Ecclesia vigebat, quum primum hæresis Pelagiana adversus illam insurrexit, ut Augustinus testabatur : *Non ego*, inquiebat, *finxi originale peccatum, quod catholica fides credit antiquitus.* De nupt. et concup., l. 2, c. 12.

198. 4° Ex rationibus theologicis, quarum præcipuæ sunt : -1) necessitas Baptismi ad salutem, etiam in parvulis, quam Ecclesia semper agnovit ; -2) exorcismi adhibiti in Baptismi cæremoniis ; -3) redemptio omnium per Salvatorem J. C.: -4) mors et miseriæ humanæ, quatenus supponuntur pœnales : cumque easdem pœnales esse pateat ex Scriptura, hinc argumentatio ex miseriis, valide adhiberi potest, ad peccatum originale asserendum, adversus omnes qui Scripturam admittunt [3].

PROPOSITIO III.

Peccatum originale non in pœnis et morte corporis, aut in concupiscentia consistit ; nec est solum Adami peccatum extrinsece imputatum ; sed verum peccatum, quod inest unicuique proprium.

199. Propositio *ad fidem pertinet* quoad omnes partes, ut patet ex Conc. Trid. Sess. 5, ubi hæc leguntur :

[1] Cf. I Cor. XV, 22; — II Cor. V, 14- — Item Cf. Patrizi, *Comm. in Rom.* V, 12, seqq. *in Comm. triplici.* Romæ 1851. — [2] Cf. Epist. ad Olymp.

[3] Ad solvendas difficultates ductas ex natura peccati orig., etc. vide infra, 251 seqq. — Cf. Wirceb. Theol. *De peccato orig.* n. 70 seqq.

200. Can 2 : *Si quis asserit... Adamum, inquinatum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ ; anathema sit.*

201. Can. 5. : *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur et sentit : quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per J. C. gratiam repugnantibus non valet : quinimo qui legitime certaverit coronabitur. Hanc concupiscentiam... sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit ; sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat.*

202. Can. 3. : *Hoc Adæ peccatum, quod propagatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium...*

203. Can. 4 : *Parvuli in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.*

204. Posita assertio primo rejicit varias novatorum hypotheses, quibus peccatum originale non nisi improprie dictum peccatum esse supponitur; deinde vero statuit, originalem labem esse verum propriumque uniuscujusque peccatum; seclusa tamen quæstione scholastica, in quo peccati hujusce ratio seu natura consistat [1].

205. PROB. Ad probationem satis fuerit demonstrasse propositionis partem ultimam; hac enim stabilita, simul reliquæ partes, quæ negativæ sunt, stabiliuntur [2].

206. Rom. V, 19 : *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi.* — II Cor. V, 14, 15 : *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt ; et pro omnibus mortuus est Christus.* In quæ verba Augustinus ait : *Conclusio hæc Apostoli invicta est : ac per hoc quia et pro parvulis mortuus est, profecto etiam et parvuli mortui sunt.* Op. imperf. cont. Julian. l. 1, c. 64. Et ibid l. 2, c. 163 : *Vos reclamatis : Non sunt mortui parvuli ! clamate et quod sequitur : Ergo non pro ipsis mortuus est Christus.*

PROPOSITIO IV.

Beatissima Virgo Maria, in primo instanti suæ conceptionis, ab omni originalis culpæ labe præservata est immunis.

207. *De fide*, ex Bulla *Ineffabilis Deus*, 8 Dec. 1854, qua Immaculatæ Conceptionis dogma a PIO IX definitur his verbis : *Auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, BB. Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, declaramus, pronuntiamus et definimus,*

[1] Vid. quæst in fine hujus artic. n. 241 seqq.
[2] Cf. Suarez, tom. 4, tract. 5, disp. 9, sect. 2.

doctrinam, quæ tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ conceptionis fuisse, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.

208. Hac dudum desiderata definitione dirempta demum est omnis controversia, quæ per plura sæcula de B. M. V. immaculata conceptione, inter scholas catholicas fuerat agitata.

209. Orta primum controversia est sæculo XII [1], occasione epistolæ S. Bernardi, ad canonicos Ecclesiæ Lugdunensis missæ (1140), cum vellent festum Conceptionis, hinc inde jam celebrari cœptum, et ipsi adoptare. *Miramur salis*, scribebat S. Doctor, *miramur satis, quod visum fuerit quibusdam vestrum, voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.....* Quæ deinceps per partes evolvit ; concluditque his verbis : *Si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas, et non ita præcipitanter atque inconsulto paucorum sequenda simplicitas imperitorum.*

210. Exinde cœpere doctores in varias abire sententias, alii epistolæ S. Bernardi astipulantes, alii eam impugnantes. Toto sæculo XII, controversia perseveravit circa institutionem *festi Conceptionis* B. M. V.; sæculo vero XIII, circa ipsam immaculatam Virginis Conceptionem agitari cœpit. Primum, ob auctoritatem præsertim S. Bernardi et Magistri sententiarum, opinio privilegio Virginis contraria, inter Scholasticos prævaluit : deinde vero, propugnante perinsigni Doctore Joan. Duns Scoto (1305), pia sententia in scholis catholicis paulatim invalescendo obtinuit, et *festum Immaculatæ Conceptionis* longe lateque in Ecclesia propagatum est.

211. Anno 1472, Sixtus IV indulgentias tribuit officio Immaculatæ Conceptionis ; et 1482, nova Constitutione sub excommunicationis pœna prohibuit, ne alterutri opinioni hæresis nota affigeretur. — Anno 1546, Tridentini Patres edito decreto de originali peccato, declararunt, *non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem ; sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV, sub pœnis in eis constitutionibus contentis*, quas sacra Synodus innovat.

212. Anno 1567, propositio Baii 73ª, *B. Virginem mortuam esse propter peccatum ex Adam contractum*, damnata est a

[1] Cf. Illustr. Malou, *L'Immaculée Conception de la B. V. M.*, t. 1, cap. 3, pag. 48. Bruxelles, H. Goemaere, 2 vol. in-8o, 1857.

S. Pio V ; qui et Officium ac Missam de Conceptione B. M. V. in liturgia Romana inscruit, et festum die 8 Decembris constituit.

213. Anno 1622, Gregorius XV, et 1665 Alexander VII prohibuerunt, ne quidquam diceretur piæ sententiæ contrarium. — 1840, Gregorius XVI Episcopis petentibus indulsit, ut in liturgia insererent additamenta hæc : *Et te in Conceptione* IMMACULATA ; — REGINA SINE LABE ORIGINALI CONCEPTA. — Tandem 1854 Pius IX Immaculatam Concept. B. M. V. esse fidei dogma solemniter definivit.

214. PROB. [1]. 1° Ex Scriptura. — Gen. III, 14 : *Ait Dominus Deus ad serpentem : Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Atqui *Mulier illa* præclara (HAISCHAH), ipsa est de qua Isaias prædicit : *Ecce* VIRGO *concipiet ;* ipsa est de qua Paulus, Gal. IV, 4 : *Misit Deus Filium suum factum ex* MULIERE ; de qua Lucas I, 26 : *Missus est angelus Gabriel ad* VIRGINEM. — Porro *inimicitiæ*, quas inter hanc Mulierem suo Filio conjunctam, et serpentem, se Deus positurum esse prænuntiat, indicant non solum in Maria nihil commune fore cum diabolo et operibus ejus, i. e. cum peccato ; sed omnia fore quæ iis, i. e. peccato, maxime sunt opposita et adversa ; ex quo sequitur eam ab omni labe puram, imo sanctitate et gratia plenissimam fore : *Ave, gratia plena !* Qua singulari solemnique salutatione nunquam alias audita, Dei nomine et jussu prolata, Patres ostendi aiunt, *Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustam : adeo ut nunquam maledicto obnoxia, et una cum Filio perpetuæ benedictionis particeps, ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit :* BENEDICTA TU INTER MULIERES, ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI. Pius IX, Constit. *Ineffabilis.*

215. 2° *Ex traditione Patrum*, quæ patet, tum eorum doctrina summatim spectata, tum particularibus testimoniis.

216. 1° *Summatim.* Patres alii immaculatam Conceptionem docent implicite et virtualiter, alii explicite et formaliter.

217. 1) Ita explicant cap. III Genesis et salutationem Angelicam, ut omne id quod est gratiæ contrarium, adeoque peccatum originale excludant.

218. 2) Negant de B. Virgine omnes formulas quibus peccatum originale significatur.

219. 3) De B. Virgine ea prædicant, quæ non nisi in hypothesi immaculatæ Conceptionis intelligi, imo verum sensum habere possint. *a*) Adhibent *epitheta*, tum *negativa* quæ vel

[1] Cf. Bullam *Ineffabilis*. — Item Illustr. Malou, op. laud. t. 1, c. 8, 9 ; tom. 2, c. 10 seqq. — Item Perrone, *De Immaculato Conceptu B. M. V.*

minimam umbram maculæ negent : tum *positiva* quæ omnis sanctitatis, infra Deum possibilis, plenitudinem innuunt. *b*) Eas instituunt *comparationes*, v. g. Mariæ cum Eva, cum Filio suo innocente ; item iis utuntur metaphoris, quæ non nisi positiva immaculata Conceptione probari possunt. *c*) Mariæ *partes in ordine redemptionis* ita describunt, et laudibus extollunt, ut inde necessario inferendum sit, omne genus peccati, sive originis sive actionis, ab ea longissime abesse.

220. 2° *Particulatim*. Ex innumeris fere testimoniis pauca, speciminis causa, citare sufficiat. In actis martyrii S. Andreæ Apostoli, quæ circa annum æræ nostræ 80,a presbyteris Achaiæ scripta esse inter eruditos convenit, legimus : *Propterea quod ex* IMMACULATA TERRA *creatus fuerat primus homo, necesse erat ut ex* IMMACULATA VIRGINE *nasceretur perfectus homo.*— S. Dionysius Alexandrinus vocat Mariam *unam et solam filiam vitæ, tabernaculum sanctum non manufactum, servatam incorruptam, et a pedibus usque ad caput benedictam.*

221. S. Augustinus : *Excepta itaque S. Virgine Maria : de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccato agitur, haberi volo quæstionem. Inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum*. L. De nat. et grat. c. 36.

222. S. Joannes Damascenus [sæc. VIII] [1] de B Virgine ita loquitur : *Ad hunc enim paradisum serpenti aditus non patuit. Ipse enim unigenitus Dei Filius, cum Deus esset, ejusdemque ac Pater substantiæ, ex hac Virgine ac pura terra se ipsum in hominem formavit*.Homil. 2. De dormit. B. M. V.

223. S.Paschasius Ratbertus [sæc. IX] negat *carnem Mariæ fuisse carnem peccati ; siquidem constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse* [2].

224. 3° Accedit Ecclesiæ sensus, patens -1) *ex liturgia*, quæ profusis laudibus Mariam appellat *immaculatam, lilium inter spinas, amicam Regis quæ tota pulchra est, in qua nulla macula*. Festum quoque Conceptionis celebratum est in Orien-

[1] Cfr. Illustr. Malou, op. cit. tom. 2, pag. 98. — [2] Quod si objiciatur auctoritas S. Bernardi et S. Thomæ, qui contrarium docuisse videntur, (etenim utrum sententia eorum, Angelici præsertim Doctoris, positive contraria fuerit, merito disputatur) ; responderi potest hoc modo. Iª ρ. 3, q. 27, a. 1, Summæ S. Thomæ legimus : *Ecclesia celebrat nativitatem B. Virginis ; non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto ; ergo B. Virgo in ipsa sua nativitate fuit sancta.* Jam vero S. Doctor idem principium B. V. Conceptioni applicasset, eamque sanctam proclamasset, si ejus festum celebrari vidisset. Similitor S. Bernardus in fine epistolæ ad Lugd. totam rem et suam sententiam judicio Apostolicæ Sedis submittit. — Unde patet, duos Doctores non ita firmiter aut ex intima persuasione Immaculatæ Conceptioni adversatos fuisse, ut eorum auctoritas difficultatem facessere possit. Cf. Illustr. Malou, op. laud. tom. 2, cap. 13.

talibus Ecclesiis, inde saltem a sæc. V, cum ejusdem vestigia inveniantur in Typico S.Sabæ,an. 484. —2) *Ex ratione agendi Pastorum*, præsertim RR. Pontificum, qui semper piæ sententiæ faverunt, et populi devotionem in privilegium Virginis pronissimam, magis magisque stimularunt. Jam vero, *quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, Ecclesia nec facit, nec approbat, nec tacet.* August. Epist. 55.

225. 4° Confirmant *argumenta convenientiæ* innumera; quæ tamen pleraque reducuntur ad Dei Genitricis dignitatem atque officium, quæ singulare illud gratiæ privilegium requirebant. Quare totus orbis uno ore semper de Maria hæc verba cecinit: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Ps. XLV, 5 [1].

PROPOSITIO V.

Effectus peccati originalis sunt: gratiæ sanctificantis privatio seu mors animæ, concupiscentia et ignorantia, variæ vitæ miseriæ, ac ipsa mors corporis.

226. *Ad fidem pertinens*, ex Trid. Sess. 5, declarante, *totum Adam per prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse*, can. 1; — *eumdem acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, non sibi soli, sed nobis etiam perdidisse; nec mortem tantum et pœnas corporis in omne genus humanum transfudisse*, can. 2; — *manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, quia ex peccato est et ad peccatum inclinat*, can. 5.

227. Effectus enumerati reducuntur ad substractionem omnium bonorum, quibus homo gratuito fuerat ornatus, i. e. justitiæ supernaturalis, et quæ huic annexa erant, donorum præternaturalium. Unde recte dici solet, hominem per peccatum divitiis suis spoliatum esse; vel etiam, eum secundum gratiam esse mortuum, secundum naturam autem vulneratum, amissa nempe integritate primitiva naturæ.

228. PROB. 1° Rom. V, 18: *Sicut per unius delictum, in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam, in omnes homines in justificationem vitæ.* —Gen. III, 11: *Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* — Ibid. 17, seqq.: *Quia comedisti de ligno... maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es;*

[1] Constitut. *Ineffabilis Deus.*

quia pulvis es et in pulverem reverteris.—Rom. VII, 20 : *Non ego... sed quod habitat in me peccatum.*

229. 2° S. Augustinus : *Si* (anima) *talis esse cœpit non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam,* QUALIS ALIA POST VITAM CULPABILEM FACTA EST, *non parvum bonum habet unde Conditori suo gratias agat... Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante Creatore se ipsam excolat...* De lib. arb. l. 3, c. 20, n. 56. — *Qui vestitus gratia non habebat in nudo corpore quod puderet, spoliatus gratia sensit, quid operire deberet.* Cont. Jul. l. 4, c. ult. n. 82.— *Ipsum mortale non est factum mortuum, nisi propter peccatum.* De pecc. merit. et remiss. l. 1, c. 5.

PROPOSITIO VI.

Liberum hominis arbitrium per originale peccatum nequaquam exstinctum est.

230. *De fide,* Trid. Sess. 6, can. 5 : *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, anathema sit.*

231. Propositio opponitur tum antiquis Stoicis et omnibus Fatalistis ; tum Manichæis, qui hypothesi duplicis animæ, bonæ scilicet et malæ, necessitatem inducebant ; tum Lutheranis et Calvinianis, qui asseruerunt in statu naturæ lapsæ libertatem arbitrii esse *titulum sine re;* tum denique Jansenistis, qui docuerunt, 1° periisse libertatem indifferentiæ, 2° ad meritum et peccatum sufficere libertatem a coactione, nec requiri libertatem a necessitate. Hoc postremum, quod quidem ad præsentem quæstionem non directe spectat, tanquam hæreticum fuit damnatum, in tertia Propositione inter 5 Jansenianas, et jam pridem confutatum ab Augustino scribente : *Dicere peccare sine voluntate* (libertate), *magnum deliramentum est ; et peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insaniæ.* Lib. de duab. animab. c. 12.

232. *Libertas* 1° generalissime sumpta, est *immunitas ab impedimento ;* et hoc sensu dicitur libertas *a servitute* seu *conditionis,* libertas *a peccato* seu *gratiæ,* libertas *a miseria* seu *gloriæ.*

233. 2° Accipitur *pro immunitate ab impedimento in agendo ;* quo sensu distinguitur præsertim duplex : libertas *a coactione* et libertas *a necessitate.* — Libertas *a coactione* seu *naturæ,* est immunitas a coactione, i. e. a violentia seu vi extrinseca ; consistitque in spontaneitate, et opponitur coactioni. Hac libertate gaudent facultates nostræ, quatenus ex naturæ impulsu agentes.— *Libertas a necessitate,* seu *arbitrii,* quæ et *liberum arbitrium* vocatur, est immunitas facultatis a neces-

sitate *antecedente* in agendo ; consistitque, non in mera spontaneitate, sed in dominio propriæ determinationis *internæ*, et opponitur necessitati determinanti ad unum.

234. De libertate a necessitate seu arbitrii nobis sermo est, quæ breviter definiri potest : *Vis electiva, proprietas voluntatis qua constituitur electiva.* — Dividitur ratione objecti, in libertatem *physicam*, quæ est electiva bonorum quorumvis ; et *moralem*, quæ est electiva tantum bonorum rationi conformium, ac proin limitata intra sphæram ordinis moralis. Quanquam, latiori sensu, etiam *moralis* vocatur libertas quæ requiritur ad actum moralem, i. e. omnis libertas a necessitate [1].

235. Omissa libertate morali, distinctiones subjicimus libertatis *physicæ*. Hæc dicitur *contradictionis* vel *indifferentiæ*, quatenus electiva inter actum et non actum ; *specificationis* vel *disparitatis*, quatenus electiva inter plura bona, plures actus ; tandem *contrarietatis*, quatenus electiva inter bonum et malum morale.

236. Jam vero *libertatem a necessitate*, seu *liberum* hominis *arbitrium*, in statu naturæ lapsæ, licet viribus attenuatum et inclinatum [2], nequaquam tamen extinctum esse asserimus.

237. PROB. 1° Ex præceptis Dei in Scriptura, comminationibus et præmiorum promissionibus, quæ omnia supponunt veram in homine libertatem. Matth. XIX, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* — Eccl. XV, 14, seqq. : *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui ; adjecit mandata et præcepta sua : si volueris mandata servare conservabunt te..... Apposuit tibi aquam et ignem : ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum ; quod placuerit ei dabitur illi.*

238. 2° Ex sensus intimi testimonio ; ex constitutione legum ac pœnarum in societatibus humanis necessaria, quæ supervacanea foret sine libertate ; demum ex universali hominum consensione, adeoque communi naturæ sensu. Libertatem enim proclamant omnes, eamque, ut ait Augustinus, *cantant et in montibus pastores et in theatris poetæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum.* Lib. de duab. anim. cap. 11, alias n. 15.

239. OBJIC. 1° Juxta Concil. Arausicanum II, can. 13, *arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum*, imo et *amissum* est ; et juxta Cœlestinum, Epist. I ad Episcopos Galliæ, n. 4, *in*

[1] Libertas *a lege*, seu potius *licentia*, quæ tam sæpe cum vera libertate confunditur, non est *humana* sed *bellvina* libertas. Intelligitur enim ut libertas mere physica, exclusa obligatione illa morali, quæ humanæ naturæ essentialiter inhæret, et hominem a brutis animalibus secernit. — [2] Trid. Sess. 6, cap. 1.

prævaricatione Adæ, omnes homines naturalem possibilitatem perdiderunt. Ergo non datur libertas post lapsum Adæ. — R. *Distinguo* sensum utriusque testimonii allati in *antec.*, et *neg. conseq.* Arbitrium voluntatis *infirmatum est et amissum* quoad substantiam, *neg.*; — *infirmatum* est quoad substantiam, ob cæcitatem intellectus et propensionem voluntatis in malum; *amissum* vero, quoad accidentia quibus ante instruebatur, i. e. quoad gratiam sanctificantem et virtutes infusas *conc.*; — homines perdiderunt possibilitatem naturalem, i. e. *possibilitatem agendi salutariter*, quæ erat *nativa* in Adam, *conc.*; *possibilitatem eligendi*, quæ a natura dimanant, *neg.*

240. *Obj.* 2° Saltem non datur libertas indifferentiæ : nam -1) juxta SS. Patres, *liberum est id quod non cogitur*; ergo ad libertatem sufficit carentia coactionis. -2) Juxta Scripturam, præsertim Isai. XXVI, 12, Deus, non homo, disponit omnia; atqui si hoc, non datur libertas indifferentiæ in homine; ergo. — R. *Neg. antec.* Ad probationem primam, *dist. assertum.* Liberum est id *quod non cogitur*, nec stricto sensu, i. e. ab extrinseco, nec lato sensu i. e. quod non necessitatur ab intrinseco *C.*; id quod non cogitur tantum violentia extrinseca, *N.* — Ad probationem secundam, *dist. maj.* Deus omnia operatur sine nobis, *neg.* : quædam sine nobis operatur, et plura nobiscum ex propria electione operantibus, *C.* Eodem sensu *dist. min.* et *neg. cons.* [1].

QUÆSTIONES.

1° *Quare diabolus, ut protoparentes tentaret, usus est opera serpentis?* — 2° *Quodnam specie fuit peccatum protoparentum?* — 3° *An prævaricatione sua protoparentes commiserunt peccatum multiplex?* — 4° *Quænam fuere pœnæ peccati illius?* — 5° *Quomodo comminatio mortis Gen. II, fuit ad litteram impleta?* — 6° *Quomodo verificata fuit maledictio in serpentem lata Gen. III?* — 7° *Quantum est peccatum originale, seu originatum, prout inest Adæ posteris?* — 8° *Quomodo peccatum originale definiri potest?* — 9° *An peccatum originale est voluntarium?* — 10° *Quomodo potest illud esse voluntarium parvulis?* — 11° *In quo peccati originalis mysterium consistit?* — 12° *Quomodo in Adamo peccaverunt ejus posteri?* — 13° *In quo sita est peccati originalis essentia?* — 14° *Quomodo peccatum originale propagatur?* — 15° *Quomodo ex parentibus baptizatis nascuntur filii inquinati?* — 16° *Quodnam peccati originalis debitum habuit B. V. Maria?* — 17° *Quinam sunt omnino peccati originalis effectus?* — 18° *An omnes hi effectus habent rationem pœnæ?*

241. QUÆR. 1° *Cur diabolus tentavit protoparentes opera serpentis?* — R. [2] Quia ante peccatum nullam in ipsos habebat

[1] Ad solvendas difficultates derivatas ex efficacia gratiæ, vide tom. 2, *De Gratia*, cap. 1, art. 3, n. 187 seqq. — Cf. Theol. Wirceb. De actib. hum. n. 146 seqq. — [2] Cf. S. Thom. 2. 2, q. 125, art. 1 et 2.

potestatem, non proinde illos interiori suggestione tentare poterat; propterea extrinsecis artibus, proponendo nimirum et suadendo, eos aggredi debuit. Usus est itaque ministerio serpentis, veri scilicet et naturalis [1], cujus ore allocutus est Evam. Modus autem loquendi non absimilis censendus est illi, quo asina Balaam locuta legitur Num. XXII; nisi quod hoc fuit opus angelicum, illud diabolicum.

242. Q. 2° *Quodnam specie fuit peccatum protoparentum?* — R. Fuit peccatum superbiæ [2], de qua dictum est Eccli. X, 15: *Initium omnis peccati superbia est.* — Per superbiam inordinate divinam similitudinem appetierunt, non quantum ad naturam, sed quantum ad cognitionem et potestatem operandi: *ut scilicet, et per virtutem propriæ naturæ determinarent sibi quid esset bonum et quid malum ad agendum; et virtute propriæ naturæ operarentur ad beatitudinem consequendam* [3].

243. Quod si Apostolus Rom. V, vocat peccatum Adæ *inobedientiam;* dici potest, inobedientiam illic sensu generali pro quocumque peccato accipi, adeoque superbiam complecti. — Vel etiam, et hæc interpretatio melior, non de primo peccato interno, sed de peccato externo per esum fructus vetiti consummato, quod proprie inobedientia fuit, censendus est Apostolus ibidem loqui. Etenim Apostolus loquitur de peccato per quod constituti sumus peccatores; jam vero hoc peccatum fuit inobedientia, in comedendo fructu vetito commissa [4].

244. Q. 3° *An protoparentes in prævaricatione sua commiserunt peccatum mulliplex?* — Resp. affirmative [5]: etenim ex superbia eorum tanquam ex pestifera radice multa peccata pullularunt. *Peccavit Eva;* -1) superbia; -2) infidelitate, dubitando de morte quam Deus fuerat comminatus, et fidem præstando serpenti; -3) curiositate et gula: *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile;* -4) peccato externo inobedientiæ, -5) scandalo, inducendo virum ut de fructu comederet; -6) excusatione in peccatis. — *Peccavit Adam:* -1) superbia, -2) inordinato amore placendi uxori, -3) infidelitate, quam commisit dubitando de sententia mortis, et assensum præstando verbis serpentis ab Eva relatis, cum Evam post esum fructus videret non esse mortuam; -4) curiositate et gula, -5) manducatione fructus vetiti, -6) excusatione in peccatis.

245. Q. 4° *Quænam fuere pœnæ peccati protoparentum?* — R. Pœna utrique a Deo directe inflicta, fuit justitiæ originalis, donorumque illi annexorum sublatio: unde miseriæ, morbi ac

[1] Ibid. art. 2 et 4. — Suar. tom. 3, tract. 1, lib. 4, cap. 1. — [2] Augustin. *De Civit.* l. 14, c. 13. — [3] S. Thom. 2. 2, q. 163, art. 2. — Suar. loc. cit. cap. 2. — [4] Rom. V, 19. — [5] Cf. Suar. l. c. cap. 2 et 4.

mors corporis, vulneraque animæ consecuta sunt [1]. — Insuper inflixit Deus pœnas tum viro tum mulieri speciales. Gen. III, 16, seqq.

246. Q. 5° *Quomodo comminatio mortis. Gen. II*, 17 : IN QUOCUMQUE DIE COMEDERIS EX EO, MORTE MORIERIS, *adimpleta fuit, cum protoparentes ipso peccati die mortui non sint?* — R. Eo quod ipso illo die necessitatem et debitum mortis incurrerunt ; deinde [2] quod eo die reipsa mori cœperunt : quia, tunc mortis germen, quo in senium veterascerent, in carne susceperunt, et, ut Augustinus ait, *ex tunc morbidam ac mortiferam qualitatem in corpore mortali contraxerunt.*

247. Q. 6° *Quomodo impleta est maledictio in serpentem lata, Gen. III*, 14 : SUPER PECTUS TUUM GRADIERIS ; *item maledictio terræ, de qua dixit Deus :* SPINAS ET TRIBULOS GERMINABIT TIBI ? — R. Quamvis ante peccatum serpens super pectus graderetur, idque ei esset naturale ; tamen post maledictionem cessit ei in opprobrium, exsecrationem et pœnam. Maledictio illa etiam vera probatur in diabolo, qui licet superbia semper elatus, tamen ad infima semper deprimitur [3]. — Simili fere modo de terra post peccatum pronuntiavit Deus : *Spinas et tribulos germinabit tibi ;* quæ etiam ante maledictionem nascebantur e terra, sed ad ornatum universi, et animalium utilitatem; postea vero cesserunt in pœnam : propter quod et abundantius excrescere cœperunt.

248. Pari ratione dicendum est, ante peccatum fuisse herbas venenosas et animalia fera ; quæ tamen homini innocenti non nocuissent, cui omnes herbæ cognitæ, et animalia cuncta subjecta fuissent, juxta illud Gen. I, 28 : *Dominamini... universis animantibus.* Hæc obedientia et subjectio multum post inobedientiæ peccatum imminuta est [4].

249. Q. 7° *Quantum est peccatum originale in Adæ posteris?* — R. Peccatum originale seu *originans,* prout personale et actuale in Adamo, gravissimum fuit, ut supra [5] ostensum est. — Prout *originatum,* id est existens in Adæ posteris *habitualiter*, est peccatum mortale, inducens veram animæ mortem; at gravitate minus est quocumque mortali personali, quia minimum habet de voluntario ; cum non voluntate personali, sed aliena tantum voluntarium sit [6].

250. Q. 8° *Quomodo peccatum originale definiri potest?* — R. Peccatum originale, ex iis quæ supra [7] juxta Concil. Trid. probata sunt, definiri potest : *Verum peccatum, quod ab ortu*

[1] Cf. supra, cap. 3, art. 2, prop. 5, n. 326. — Item S. Thom. 2. 2, q. 164, art. 2. — [2] S. Thom. ibid. art. 1 ad 8. — Suar. tom. 3, tract. 1, lib. 4, cap. 7.
[3] Cf. 2.2. q. 165, art. 2 ad 4. — [4] S. Thom. 1 p. q. 96. — Suar. tom. 3, tract. 1, lib. 3, cap. 16. — [5] Art. 2, prop. 1 et quæst. 2, 3, nn. 182, 212 seqq.
[6] Cf. Suar, t. 4, tract. 5, disp. 9, sect. 2. — [7] Prop. 2 et 3.

suo omnes homines contrahunt a protoparentum culpa derivatum, quodque peccatum naturæ dicitur, a culpis actualibus diversum.

251. Q. 9° *An peccatum originale est voluntarium?* – Resp. affirmative : quia, ut ait S. Augustinus, *usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium* [1]. Igitur peccatum originale omnibus fuit voluntarium, voluntate scilicet Adami : quæ, in ordine ad præceptum de non comedendo fructu vetito, voluntas eorum omnium, qui ab ipso seminaliter erant nascituri, reputabatur.

252. Q. 10° *Quomodo peccatum originale potuit esse voluntarium Adæ posteris, utpote nondum existentibus?* — R. Quia peccatum originale est voluntarium, non voluntate quæ *physice*, sed quæ tantum *moraliter* est nobis propria et personalis. Ut autem quis peccet voluntate physice aliena et moraliter propria, non est necesse ut formaliter ac physice existat quo tempore peccatum actu committitur ; sed sufficit existat virtualiter ac moraliter ; jam vero Adæ posteri virtualiter ac moraliter in eo peccante tanquam in capite existebant.

253. Nec obstat quod parvuli dum contrahunt peccatum, rationis usu non gaudent ; quia originale in nobis, non est actuale sed *habituale* peccatum : seu, est peccati macula, ad quam contrahendam non requiritur voluntarium actuale existere ; sed sufficit illud præcessisse nec condonatum esse. Hic autem præcessit voluntarium actuale in capite seu in Adam, quod moraliter etiam fuit voluntarium parvulis, et nondum ipsis condonatum est.

254. Nec obstat quod Adam pœnitentiam agendo condonationem obtinuerit ; quia fuit caput nostrum, ejusque voluntas moraliter nostra, solummodo in ordine ad justitiam originalem nobis communicandam vel perdendam, non vero in ordine ad pœnitendum : quare peccatum originale, per ejus pœnitentiam, respectu nostri non est condonatum [2].

255. Q. 11° *In quo peccati originalis mysterium consistit?* — R. In eo quod nascimur vere ac proprie rei culpæ, quam nostra physica et personali voluntate non commisimus. Hoc autem mysterium in triplicem quæstionem resolvi potest, hac ratione : -1) quomodo in Adamo peccaverunt ejus posteri? -2) in quo peccati originalis essentia sita est ; seu, in quo formaliter peccatum originale consistit? -3) quomodo peccatum originale traducitur ad posteros? — Hæ quæstiones totidem mysteria sunt, quæ divina revelatio nobis non aperuit [3] ; præstantissimi vero Theologi, rationibus plus minus probabilibus, dilucidare conati sunt.

[1] Lib. *De vera relig.* c. 14. Cf. prop dam. Baii 27am — Suar. loc. cit. sect. 3.
[2] S. Thom. 1. 2. q. 81, art. 1 seqq. — Suar. tom. 4, tract. 5, disp. 9, sect. 2, 3.
[3] Cf. supra prop. 3, n. 199 seqq.

256. Q. 12° *Quomodo in Adamo peccaverunt ejus posteri?*— R. Duplex præcipue datur opinio. Una [1] statuit omnes homines in Adamo peccasse, eo quod in ipso peccante continerentur, non solum ut in capite physico, sed etiam ut in morali : quatenus virtute *decreti* seu *pacti divini* omnes posterorum voluntates, in ordine ad observationem aut violationem præcepti de non edendo pomo vetito, in ipsius Adami voluntate erant constitutæ. Hinc fiebat ut observatio aut violatio istius præcepti, eo ipso quod esset Adamo physice voluntaria, etiam censeretur ejus posteris voluntaria, non solum *physice*, voluntate *aliena* primi parentis, sed etiam *moraliter* et interpretative, voluntatibus *propriis*.

257. Altera opinio statuit, homines peccasse in Adamo per hoc simpliciter, quod is esset eorum caput naturale. Hæc sententia Thomistarum est, qui existimant eam esse Angelici doctoris, 1. 2, q. 81, art 1, ita loquentis : *Omnes homines, qui nascuntur ex Adam, possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt...Sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt, tanquam multa membra unius corporis : actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primo movet membrum..Sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Unde peccatum, quod sic a primo parente in posteros derivatur, dicitur originale; sicut peccatum quod ab anima derivatur ad membra corporis, dicitur actuale. Et sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum; ita peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi in quantum hæc persona recipit naturam a primo parente, unde et vocatur peccatum naturæ, secundum illud Eph. II,* 3 : ERAMUS NATURA FILII IRÆ.— Eamdem doctrinam S. Doctor repetit aliis locis, præcipue Lect. 3 in c. V ad Rom., ubi ait : *In processu originalis peccati, persona infecit naturam : scilicet Adam peccans vitiavit humanam naturam; sed postmodum in aliis natura vitiata inficit personam : dum scilicet genito imputatur ad culpam naturæ vitium, propter voluntatem parentis.*

258. Q. 13° *In quo sita est peccati originalis essentia ?* —

[1] Platelius, *Synops theol.* De actib. hum. cap. 4, § 2; Wirceburg. theol. *De pecc. orig.* cap. 2, art. 2.

R. Duplex iterum datur sententia. Prior [1] statuit, peccatum originale formaliter esse ipsum *peccatum in Adamo commissum, prout* in reatu, seu debito sustinendi odium Dei, *moraliter perseverat* in ejus posteris.

259. Altera sententia statuit, essentiam, seu *formale* constitutivum peccati originalis, consistere in *privatione justitiæ originalis*, nobis voluntaria voluntate capitis. Hæc sententia Thomistarum est, quam putant doceri a S. Thoma 1. 2, q. 82, art. 3, ubi hæc habet: *Privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali; omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet in peccato originali sicut quiddam materiale. Inordinatio autem aliarum virium animæ præcipue in hoc attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile, quæ quidem inordinatio communi nomine potest dici concupiscentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus* (privatio) *originalis justitiæ.*

260. Q. 14° *Quomodo peccatum originale propagatur?* — R. Prima opinio *erronea* est quorumdam antiquorum, qui, cum Tertulliano, animas filiorum ex anima parentum per *traducem* derivari censentes, infectam animam ex infecta anima propagari putabant. Hanc sententiam, circa quam dubius aliquando hæsit Augustinus [2], alii Patres reprobarunt, communiter docentes, Deum creando animas corporibus unire. Quod quidem si minus de fide, ut S. Thomas putat [3], saltem pro certo habendum est, dicente Concilio Later. V: *Anima immortalis, et pro corporum* QUIBUS INFUNDITUR *multitudine, singulariter multiplicabilis* [4].

261. Secunda opinio *probabilis*, est eorum qui peccatum originale hac ratione transfundi censent, ut, supposito pacto explicito vel implicito, aut decreto Dei, homines via ordinaria generationis ex Adamo descendant gratia destituti [5].

262. Tertia item *probabilis*, est Thomistarum, qui statuunt animam justitia originali non donari, adeoque contaminari, quia connaturaliter unitur corpori formato ex semine quod corruptum est: i. e. ex semine quod privatum est vigore, quo pollere debuisset ad justitiam originalem propagandam. Porro animam vitiari, aiunt, eo ipso momento quo corpori, jam formato ex semine Adamico corrupto, conjungitur; quemadmodum si intraret in corpus vulneratum, mox doloris sensum perciperet [6]. Hac mente putant dixisse Augustinum, *animam corpori infusam in vase vitiato corrumpi.* Cont. Jul. l. 5, c. 3.

[1] V. Platel. et Wirceb. loc. cit. — [2] Epist. 157 *ad Optat.* et 28 *ad Hieron.* [3] 1 p. q. 118, art. 2. — [4] Bulla *Apostolici regiminis.* — [5] Platel. et Wirceb. loc. cit. — [6] Cf. 1. 2. q. 81, art. 1; Suar. tom. 4, tract. 5, disp. 9, sect. 2, 3.

263. Q. 15° *Quomodo ex parentibus Baptismo purificatis, nascuntur filii inquinati?* — R. Quia parentes filiis communicare non possunt gratiam sanctificantem, sed tantum nudam naturam, quæ ab Adamo infecta derivatur. Parens enim, ut Augustinus ait, *non generat unde regeneratus est, sed unde generatus est. Sic de grano frumenti purgato, frumentum cum palea nascitur.* Serm. 14, de verb. Ap.

264. Q. 16° *Quodnam peccati originalis debitum habuit B.V. Maria?*— R. Distinguenda sunt *contractio* peccati originalis et *debitum illud contrahendi.* Contractio fit ipso momento conceptionis, quo anima, simul ac corpori jungitur, inquinatur; debitum autem existit, et natura et tempore, ante conceptionem; atque situm est in *necessitate peccatum originale contrahendi, nisi proles nascitura Dei privilegio præservetur.* Debitum distinguitur duplex : *proximum*, situm in hoc, quod quis, sicut omnes ex Adamo nascituri, actu peccaverit in Adam : *In quo omnes peccaverunt.* Rom. V, 12. — *Remotum*, situm in hoc quod quis, licet non peccaverit in Adam vi cujusdam exceptionis, tamen peccari *debuisset sicut cæteri.*

265. Jam vero-1) *certum est* B. V. habuisse debitum, saltem remotum, contrahendi peccatum originale; secus enim non fuisset *singulari privilegio præservata.* -2) Utrum non tantum debitum remotum, sed etiam proximum habuerit, *disputatur.* Olim quidem communius Theologi, ut Suarez, Vasquez, Bellarminus, tenuerunt Mariam habuisse debitum proximum : ita ut, dum Adam peccaret, se habuerit sicut reliqui Adæ posteri; at postea, *in primo instanti suæ conceptionis, fuisse singulari gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu, Salvatoris humani generis, ab omni labe præservatam, et idcirco sublimiori modo redemptam* [1]. — Nihilominus tamen dicendum est, non improbabile imo potius positive probabile esse, Immaculatam Virginem debito proximo caruisse [2].

266. Q. 17°. *Quinam sunt omnino peccati originalis effectus?* — R. Statim ac Adam, transgressus mandatum Dei, inquinatus est et constitutus peccator, tum sibi tum nobis amisit primitiva dona, et luctuosissima mala, in utroque ordine supernaturali et naturali, induxit [3]. *In ordine supernaturali*, amisit vitam animæ, h. e. sanctitatem et justitiam, eique annexa jura ad gloriam cœlestem; incurrit iram et indignationem Dei, captivitatem sub potestate diaboli et reatum pœnæ æternæ [4]. — *In ordine naturali*, excidit statu felicitatis, ejectus est e paradiso, et totus secundum corpus et animam in deterius commu-

[1] Constitut. *Ineffabilis.* — Cf. Suar. tom. 4, tract. 4, disp. 9, sect. 1.
[2] Cf. Theol. Wirceb. *De peccato orig.* n. 128. — [3] Cf. Trid. sess. 5.
[4] De pœna peccati originalis in altera vita, v. tom. 2, *De noviss.* cap. 1, art. 3, n. 84, 85.

tatus est : secundum animam scilicet vulneratus ; secundum corpus obnoxius factus morti, morbis, doloribus, omnigenisque miseriis, a cœlo, a terra, totaque natura rebellante ingruentibus.

267. Animæ porro vulnera, seu vulneratio naturæ, dicitur quædam perturbatio in viribus animæ, qua *manent destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem* [1].

268. Vulnera hujusmodi a Ven. Beda enumerantur quatuor : Ignorantia, malitia, infirmitas et concupiscentia. *Ignorantia* est vulnus intellectus ; *malitia*, voluntatis ; *infirmitas* afficit appetitum irascibilem, eumque in arduis superandis et vitandis debilem reddit : quo fit ut homo facile adversis succumbat ; *concupiscentia*, quæ hic speciatim sumitur, afficit appetitum sensitivum qua concupiscibilem, quem in persequendis bonis sensibilibus contra ordinem rationis reddit proclivem. Dictum est concupiscentiam hic sumi *speciatim :* nam sumi potest *generalius* pro toto appetitu sensitivo, quatenus deordinato ; imo *generalissime*, pro materiali peccati originalis, quo sensu concupiscentia quatuor vulnera simul complectitur [3], nec differt a *fomite peccati* [3], qui in quatuor hisce vulneribus consistit, nec aliud est nisi *inclinatio virium animæ ad peccatum* [4].

269. Hi sunt effectus peccati originalis, qui totius humanæ naturæ quasi naufragium constituunt.

270. Q. 18° *An omnes effectus peccati originalis habent rationem pœnæ ?* —R. Prænotandum est primo, *pœnam* accipi quadruplici sensu : pro pœna vindicativa, pro satisfactoria, pro medicinali, et pro pœnalitate. Pœna *vindicativa*, quæ est *pœna proprie dicta*, dicitur malum afflictivum, impositum in vindictam proprii peccati ; — *satisfactoria* est, cum toleratur ad compensandam injuriam ; — *medicinalis*, cum infligitur, vel ultro toleratur, ad cavenda peccata futura. — *Pœnalitates* sunt defectus naturales, mala afflictiva, ex peccato quidem aliquo modo orta, non tamen in vindictam proprii peccati tolerata. Hujusmodi fuerunt miseriæ quas B. V. Maria, S. Joannes Baptista, B. Job, aliique, non propter aliquam culpam sustinuerunt ; talis quoque infirmitas cæci nati, de quo Christus : *Neque hic peccavit neque parentes ejus*, ut scilicet *cæcus nasceretur*. Joan. IX, 3 [5].

271. Prænotandum est secundo, *effectus* peccati originalis *tolli* per Baptismum, *non tamen omnes :* tollitur enim *omnis culpa originalis et actualis*, *omnis quoque pœna quæ pro*

[1] S. Thom. 1. 2. q. 85, art. 3. — Suar. tom. 4, tract. 5, disp. 9, sect. 5.
[2] Cf. supra, quær. 13°, n. 259. — [3] Trid. sess. 5, can. 5. — [4] Cf. Tract. *De Incarn.* cap. 2, art. 2, quær. 6o, n. 137. — [5] Cf. damnatam prop. 72, inter Baianas.

culpa debetur [1]. Relinquuntur autem fomes peccati et corporales miseriæ.

272. His præmissis, ad quæsitum respondeo : omnes peccati originalis effectus habent rationem pœnæ in iis, qui per Baptismum renati non sunt ; in renatis vero, defectus naturales qui remanent, licet passim nomen *pœnæ* retineant, tamen *proprie dictæ pœnæ*, scilicet vindicativæ peccati originalis, *non sunt*, quandoquidem omnis pœna remissa, et *nihil* jam *damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*. Rom. VIII, 1. Quare quæ remanent sunt *pœnalitates* respectu peccati originalis ; quæ tamen ut pœnæ peccatorum actualium tolerari possunt.

273. Dictum est *Baptismo non tolli pœnalitates* : non quasi Baptismo hic effectus nullo modo contineatur, sed quia suspenditur a Deo usque ad resurrectionem. Etenim gratiæ, quæ Baptismo confertur, juxta primam institutionem, debetur immunitas ab omnibus istis pœnalitatibus;quas proin statim Baptismus sustulisset, nisi Deus justis de causis censuisset in hac vita relinquendas.

274. Si quis porro quærat quænam hujusmodi causæ sint : respondet Tridentinum, illas pœnalitates esse ad agonem relictas ; unde, ait, vel ipsa concupiscentia *non consentientibus,sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus nequaquam nocere valet : quinimo qui legitime certaverit coronabitur* [2].

[1] Concil. Flor. Cf. Trid. sess. 5, can. 5. — [2] Sess. 5. can. 5, Cf. S. Thom. p. 3, q. 69, art. 2 et 3 ; item Dens, *De peccatis*, n. 151.

Tractatus VIII.

DE INCARNATIONE.

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum.* — § II. *Summa catholicæ doctrinæ de Incarnatione.* — § III. *Errores contrarii.* — § IV. *Vindices veritatis.* — § V. *Divisio Tractatus*

§ I. Argumentum.

1. Absolutis iis, quæ ad humani generis primordia ac miseram ruinam pertinent; sequitur, quod jucundius est, ut de ejusdem felici reparatione disseramus.

2. Etenim humanum genus peccato corruptum, non penitus a Creatore abjectum fuit; sed una cum sententia pœnæ, promissionem accepit venturi Redemptoris.

3. Hic autem Redemptor non alius est quam ipse Filius Dei, qui ineffabili mysterio pro nobis incarnatus et homo factus est. Quare præsens tractatus *de Deo Redemptore*, seu *de Incarnatione* inscribitur.

4. *Incarnatio* a Græcis Patribus vocatur Οἰκονομία, *dispensatio*, quæ providam ac beneficam alicujus rei gestionem significat, et contradistinguitur a Θεολογία, quæ ad naturam divinam in se spectatam, hoc est, ad divina attributa et SS. Trinitatem pertinet. Præterea ab iisdem Græcis dicitur σάρκωσις, ἐνανθρώπησις, σωμάτωσις, θεοφάνεια: a Latinis vero *incorporatio*, *inhumanatio*, *incarnatio*.

5. Definitur Incarnatio a Theologis: *Naturæ humanæ cum natura divina in una persona verbi conjunctio.*

6. Est porro incarnati Verbi mysterium unum ex majoribus illis fidei mysteriis, quæ fundamentalia dici possunt, et enumerantur tria: SS. Trinitas, peccatum Originale et Incarnatio. Quin etiam Incarnatio in se continet mysterium SS. Trinitatis; ita ut tota Fides ad duo reduci possit; lapsum hominis et ejusdem reparationem, Adamum et Christum. Quare Augustinus ait: *In causa duorum hominum, quorum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis, proprie fidem christianam consistere.* L. de pec. orig. cap. 24. Hi sunt quasi duo cardines seu poli, circa quos totum systema dogmaticum volvitur

7. Imo sola Incarnatio totam Fidem principaliter in se concludit, atque totius Christianismi semen est, radix et summa. Cum enim Christus sit mundi simul conditor et redemptor, auctor fidei et consummator, alpha et omega, principium et finis, ex quo, per quem et in quo sunt omnia [1]; hinc fit ut idem Christus quasi totius mundi centrum sit constitutus, ad quem omnia convergant, ex quo omnia procedant, in quo omnia, quæ ad fidem pertinent, comprehendantur.

8. Ipse quoque Christus symbolum est, exemplar et figura Christianismi, seu Ecclesiæ suæ : quam creavit et regeneravit ad imaginem suam ; cujus anima gratia est, cujus cor Eucharistia est, et reliqua sacramenta alimenta sunt ; cujus peregrinantis in terra conditio est *per multas tribulationes* transire, et ita *intrare in gloriam Dei* [2].

9. Est igitur Incarnatio omnino principale mysterium ; sed et simul maxime mirabile, omnique ex parte jucundum atque amabile : *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Joan. III, 16.— Ideo factum est ut ab inimico humani generis acerrime et omnigenis erroribus fuerit impugnatum ; quare nostrum est præcipuo studio illud defendere et illustrare.

§ II. Summa doctrinæ catholicæ.

10. Promissus olim et annuntiatus per prophetas humani generis Redemptor, sub Augusto Imperatore in mundum venit ; Jesus Nazarenus, qui dicitur Christus. Hic est Verbum caro factum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Virgine Maria, vere Deipara ; simul verus Deus et verus homo, utramque naturam, divinam et humanam, in una divina persona seu hypostasi, conjunctam habens.

11. Christus, etiam ut hic homo, verus Filius Dei, sanguinem suum in Redemptionis pretium fudit, pro omnibus ac singulis hominibus ; et pro iis vere et abunde Deo satisfecit.

12. Porro per eas actiones, quibus Deo pro nobis satisfecit, vere meritus est ; ejusque merita infiniti sunt valoris. Promeruit autem sibi ipsi gloriam corporis, nominis exaltationem, cultum et adorationem gentium ; nobis vero justificationem et vitam æternam, atque omnia ea gratiæ dona, quæ vel antecedunt justificationem vel subsequuntur.

13. Quare Salvatori Christo, non tantum ut summo benefactori gratiarum actiones, sed ut vero Deo etiam cultus supremus debetur. Et quidem humana Christi natura, Verbo hypostatice conjuncta, uno eodemque latriæ actu quo Verbi divinitas, absolute adorari debet. Unde patet, cultum SS. Cordis Jesu prout ab

1 Rom. XI, 36 ; Hebr. XII, 2. Apoc. I, 8. — 2 Luc XXIV, 26 ; Act. XIV, 21.

apostolica Sede probatus est, pium esse et omni superstitionis labe immunem.

14. Multis titulis D. N. Jesus Christus merito condecoratur. Est enim Mediator Dei et hominum, Propheta, Rex et Sacerdos; Caput Ecclesiæ, hominum et angelorum; humanique generis Judex supremus.

§ III. Errores contrarii.

15. Contra Incarnationis mysterium insurgunt duæ adversariorum classes; alii namque, ut ait S. Fulgentius [1], illud *omnino non credunt*, scilicet Gentiles et Judæi; alii *non sicut est credunt*, scilicet Hæretici.

16. Hæretici quoque in varias classes distingui possunt; nam 1° alii impugnarunt Christi divinitatem, 2° alii humanitatem, 3° alii unionem hypostaticam, 4° alii opus redemptionis ab ipso completum, et cultum ab hominibus ei tribuendum. Sunt autem præcipui sequentes:

17. 1° *Cerinthiani* (sæc. I), dicentes Jesum tantummodo hominem fuisse, ex Maria et Joseph genitum; in ipsum vero descendisse Christum, i. e. Spiritum sanctum, ad Jordanem, in columbæ specie; deinde, Christo in cœlum reverso, Jesum solum passum et mortuum esse. — Istos errores secuti sunt *Ebionitæ* (sæc. I), ac postea instaurarunt *Paulus Samosatenus* (sæc. III) et *Photinus* (sæc. IV).

18. Pauli Samosateni sequaces, seu *Pauliani*, dicebant Christum ex Maria initium existendi accepisse, et ratione substantiæ merum hominem fuisse; divinitatemque non habuisse, nisi per excellentem quamdam participationem, ut qui operibus suis fuisset meritus divina Sapientia et Verbo (*prolatitio*, προφορικῷ λόγῳ) perfundi. — Damnati sunt in synodo Antiochena (270).

19. *Photiniani* ob eosdem fere errores damnati sunt in synodo Sirmiensi (351).

20. *Ariani*, cum variis suis surculis [2], negabant divinitatem Verbi, ac proinde divinitatem ipsius Christi. Docebant etiam Verbum, non humanitatem, sed solam carnem assumpsisse. — Damnati sunt in Conc. Nicæno I (325).

21. *Sociniani* (sæc. XVI), præter errores Sabellii doctrinam Arii et Pauli Samosateni renovarunt, dicentes, Christum merum hominem, missum quidem fuisse ad humani generis salutem, non tamen soluto pretio proprie Deo satisfecisse; posse quoque appellari Deum, non natura, sed adoptione et gratia, eo fere sensu quo Moyses dictus fuit Deus Pharaonis.

22. *Jovinianistæ* dicebant, Virginitatem Mariæ fuisse læsam

[1] Lib. I ad Thrasim. c. 4. — [2] Cf. Tract. *De Trinit.* introd. n. 58.

in ejus partu ; *Helvidius* autem et *Bonosus* eamdem asserebant læsam post partum (sæc. IV).

23. 2° *Phantasiastæ* et *Docetæ*. Hoc generali nomine designantur omnes ii, qui veritatem carnis Christi negarunt, dicentes, eam tantum fuisse umbratilem et apparentem, seu phantasticam (sæc. I, II, III).

24. *Gnostici*, quorum patriarcha *Simon Magus* fuisse dicitur, inter varios errores, docebant de Christo eum principem Æonum esse, et in umbra carnis inter homines commemoratum fuisse.

25. Ad Docetas referendi etiam sunt *Marcionitæ* (sæc. II) et *Manichæi* (sæc. III).

26. *Valentiniani* et *Apelliani* dicebant Christum habuisse veram carnem, at ex elementis cœlestibus confectam, non desumptam ex Maria, per quam, velut per canalem, transiisset (sæc. II). Idem docuerunt recentiores *Anabaptistæ* et *Quakeri*.

27. *Apollinaristæ* docebant, Christum solummodo humanum corpus sumpsisse, imo illud secum attulisse de cœlis ; postea tamen concesserunt, eum habuisse quoque animam humanam, sed sine mente ; ita ut Verbum, vel totius animæ, vel saltem mentis vices suppleret (372).

28. *Priscillianistæ*, in Hispania, simul errores Gnosticorum et Manichæorum complectebantur. Damnati sunt in synodo Cæsaraugustana (385).

29. *Pauliciani*, a Paulo Armeno appellati, Deiparæ maternitatem negabant (653).

30. 3° *Nestoriani*, auctore Nestorio, Theodori Mopsuesteni discipulo et CP. Patriarcha (427), tempore Cœlestini Papæ et Theodosii Junioris Imperatoris, docebant, sicut duæ sunt in Christo naturæ, ita duas esse personas ; hinc duos distingui Christos, unum Filium Dei, alterum Filium hominis seu Mariæ ; adeo ut Maria non Θεοτόκος sed Χριστοτόκος sit appellanda. — Damnati in Concilio Ephesino (431).

31. *Eutychiani*, auctore Eutychete presbytero CP. et archimandrita monasterii celeberrimi (441), docebant, tantum abesse ut duplex fuerit in Christo persona, ut ne natura quidem fuerit in ipso duplex, sed unica. Unitione scilicet duarum naturarum id esse effectum, ut ex duabus una remanserit, duabus in unam coalescentibus ; unde et *Monophysitæ* dicti. Damnati sunt in Conc. Chalcedonensi (451).

32. Ex hominibus Eutychiana lue infectis prodiit Monothelismus. *Monothelitæ* asserebant unicam esse in Christo voluntatem, eamque divinam. Hujus hæresis auctor fuit, sub Heraclio Imperatore et Honorio I Pontifice, Sergius CP. Patriarcha (630), cooperantibus Athanasio Antiocheno et Cyro Alexandrino. Eidem faverunt Heraclius et Constans Imperatores, *Ecthesi* et

Typo editis. — Obstiterunt Sophronius Hierosolymitanus, et RR. Pontifices Martinus I, Donus, et Agatho, sub quo, adjuvante Constantino Pogonato, Monothelithæ damnati sunt ut hæretici in Conc. Œcumenico VI (680).

33. *Feliciani*, sic dicti a Felice Urgelitano in Hispania Episcopo, qui una cum Elipando Toletano, circa finem sæculi VIII, Nestorianam hæresim ressuscitare visus est ; docebant Christum, qua homo est,non esse Filium Dei naturalem, sed solummodo adoptivum ; proindeque duos in Christo distinguebant Filios Dei, unum *naturalem*, alterum *adoptivum*. Unde et *Adoptiani* dicti sunt. Damnati in Syn. Francofordiensi (794).

34. 4° *Prædestinatiani*, scilicet *proprie dicti*, seu *rigidi* ac vere hæretici, docuerunt : Deum non serio velle salvare nisi prædestinatos, et Christum non nisi pro iis mortuum esse.Tales fuerunt *Prædestinatiani* sæc. V, *in Africa*, — *Goteschalcus* sæc. IX. — *Albigenses* sæc. XII, — *Wicleffitæ et Hussitæ* sæc. XIV et XV, — *Lutherus et Calvinus* sæc. XVI, — *Janseniani* sæc. XVII.

35. *Janseniani* quoque in pseudo-synodo Pistoriensi congregati (1786), erronea decreta tum circa cultum Christo debitum, tum speciatim circa cultum SS. Cordis Jesu, ediderunt. Damnati a Pio VI, per constitutionem *Auctorem fidei*,28 Aug. 1794.

§ IV. Vindices veritatis.

36. Præter Patres Conciliorum Antiocheni, Nicæni, Sardicensis, Sirmiensis, Ephesini, Chalcedonensis, CP^ni^ III (œcum. VI), Francofordiensis, Moguntini et Carisiaci contra Goteschalcum ; Incarnationis dogma propugnarunt præcipue sequentes : Ignatius Martyr et Irenæus contra priorum sæculorum errores ; — Athanasius, Basilius, ambo Gregorii Nazianzenus et Nyssenus ; Chrysostomus, Hilarius Pictaviensis, et Fulgentius, contra Arianos ; — Cyrillus Alexandrinus, contra Nestorianos ; — Hieronymus, adversus Helvidium et Jovinianum ; — Leo Magnus, contra Eutychianos ; — Sophronius et Maximus Abbas ac Martyr, contra Monothelitas ; — Alcuinus et Paulinus Aquileiensis, contra Adoptianos ; — Rabanus Maurus et Hincmarus Rhemensis, contra Goteschalcum et Prædestinatianos.

§ V. Divisio Tractatus.

37. De Redemptore humani generis quatuor quæri possunt 1° An venerit aliquis Redemptor et quis ille sit ; 2° qualis sit 3° quomodo opus redemptionis impleverit ; 4° quis cultus ipsi debeatur ab hominibus. Unde quatuor capita :

Caput I, *de adventu Redemptoris.*
Caput II, *de ejus proprietatibus.*
Caput III, *de ejus muniis.*
Caput IV, *de cultu ipsi tribuendo.*

CAPUT PRIMUM.

DE ADVENTU REDEMPTORIS.

38. In Theologia generali jam de Jesu Nazareno egimus [1], quem verum Messiam, seu Christum, et divinum legatum demonstravimus; cujus proinde doctrina, et tota quam condidit religio divina est. Hac præsenti quæstione de eodem Jesu Nazareno agimus, ut eum esse Redemptorem mundi demonstremus. Prior ergo quæstio fuit, utrum Jesus sit Messias et *legatus* Dei; altera est, utrum Jesus sit hominum *Redemptor*. Quæ questiones ita differunt inter se, ut nihilominus intime connexæ sint; cum idem Messias per totam Scripturam, non solum ut a Deo legatus, sed ut legatus ad salvandum et redimendum appareat.

39. Quoniam autem probatum jam est, Jesum esse Messiam, sufficeret nunc, ad probandum eum esse Redemptorem, ostendere Messiam non tantum ut legatum, verum etiam ut Redemptorem in Scripturis exhiberi, quod levissimo negotio confici posset. Attamen, ad pleniorem tam excellentis materiæ cognitionem, paulo uberius characterem Redemptoris in Jesu Nazareno demonstrabimus sequentibus propositionibus.

Propositio I, *de prima Redemptoris promissione.*
Propositio II, *de subsequentibus prophetiis et exspectatione Redemptoris.*
Propositio III, *de identitate Redemptoris cum Jesu Nazareno.*
Quæstiones.

PROPOSITIO II.

Deus a principio promisit humano generi Redemptorem.

40. *Fide certum*, ut ex Scriptura patet.

41. PROBATUR. Vix consummata per protoparentum culpam humani generis ruina, his verbis serpentem insidiatorem alloquitur Deus: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ; super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. — Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Gen. III, 14 et 15. Atqui hic locus, qui jure πρωτευαγγέλιον vocatur, promissionem continet futuri Redemptoris.

[1] Tract. 2, *De Relig. christiana*, cap. 4, art. 1 et 2, n. 277 seqq.

42. *Minor probatur* duplici argumento : 1° ex ipso textu [1], 2° ex auctoritate.

43. 1° Textus promissionem Redemptoris continet, si possit optime intelligi de Redemptore, de alio non possit ; atqui potest optime intelligi de Redemptore, minime de alio. Nam Deus pronuntiat de sorte humani generis lapsi, loquitur ad diabolum *serpentem antiquum* [2], et solemniter promittit de muliere nasciturum Filium, qui diaboli adversus homines potentiam perfringet : quæ de Redemptione quidem optime, de alia autem re minime intelligi possunt.

44. 2° Ita oraculum istud universa intellexit antiquitas ; ita illud et ipsi protoparentes intellexisse censendi sunt. Non enim alia ratione potest explicari spes futuri Redemptoris, quæ eorum animis alte insederat, uti claris indiciis eruitur. Nam *a*) educti sunt ex delicto suo [3] ; *b*) edocent filios suos offerre hostias Domino, quas Dominus benigne respexit [4] : quæ omnia supponunt *certam* spem placendi Deo. Porro hujus spei sufficiens ratio reddi non potest, nisi dicatur originem ejus et fundamentum fuisse in ea, quam asserimus, promissione Redemptoris, Gen. III ; ergo protoparentes, sicut eorum deinceps posteri, allata verba de Redemptore venturo intellexisse censendi sunt.

PROPOSITIO I.

Idem Redemptor deinceps iterum multifariam promissus fuit, simulque præfiguratus, descriptus, prænuntiatus ac universaliter exspectatus.

45. Propositio *fide certa* quoad omnes partes, ut ex Scriptura patet [5].

46. Dicitur Redemptor *præfiguratus*, i. e. adumbratus per rem gestam, vel personam, quæ recte vocatur *typus*, seu imago ; ipsa autem veritas adumbrata seu exemplar, *antitypon*, *archelypon*, *prototypon* dici solet. — *Prænuntiatus*, i. e. prædictus ut affuturus determinato tempore. — *Descriptus*, indicatis scilicet ejus proprietatibus, ut cognosci possit et ab omni alio distingui. — Hujusmodi oracula progressu temporis, magis magisque explicita et numerosa prodierunt, ut mundus ad Redemptoris adventum, et redemptionis opus suaviter præpararetur. Primi mundi ætate, i. e. ante legem Moysis, lux fuit sicut lunæ per noctem ; secunda ætate, h. e. sub lege, lux fuit sicut

[1] Cf. Patrizi, *De interpret. Script.* lib. 2, quæst. 4. — [2] Apoc. XII, 9.
[3] Sap. X, 2. — [4] Gen. IV, 3 ; Hebr. XI, 4. — [5] Cf. Trid. sess. 6, cap. 2 ; Florent. *Decret. pro Jacobitis*, in quo dicitur : *Quem* (Redemptorem) *aliquando venturum omnia V. T. sacra, sacrificia, sacramenta, cæremoniæ præsignarunt.*

auroræ rutilantis, donec in plenitudine temporum affulgeret ipse sol, appareret ipsa Gratia, *Oriens ex alto.*

47. PROB. I PARS. *Redemptor promissus iterum.* Abrahamo non semel dictum est a Domino : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Gen. XII, 3 ; XVIII, 18; XXII, 18. Quæ promissio ad Isaac et Jacob renovatur, Gen. XXVI, 4, et XXVIII, 14. Deus autem *non dixit : Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno : Et semini tuo, qui est Christus,* Gal. III, 16. — *Benedictus Dominus Deus Israel : quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ... sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus... Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum.* Luc. I, 68 seqq.

48. II PARS. *Præfiguratus.* Inter multas Salvatoris figuras, præcipuæ sunt : Adam, Moyses, Agnus paschalis, Serpens æneus, Jonas. De Adamo enim dicitur : *Qui est forma futuri... Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ; ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi.* Rom. V, 19. — Figura quoque fuit Moyses : *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* Deut. XVIII, 15. — Agnus paschalis : *Pascha nostrum immolatus est Christus.* I Cor. V, 7. — Serpens æneus : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis ; ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Joan. III, 14, 15. — Jonas missus in mare ut salvaretur navis : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus : sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.* Matth. XII, 40. — *Omnia in figura contingebant illis,* I Cor. X, 11. — Quare Augustinus ait : *Lex a Christo gravida erat.* Serm. 20 de SS.

49. III. PARS. *Descriptus.* De tribu Juda, ex stirpe David oriundus exhibetur Salvator, et nasciturus de Virgine in Bethlehem. Narrantur ejus eximia sanctitas, ejus miracula et speciatim curationes infirmitatum ; ejus passio, mors, resurrectio, et regnum, seu Ecclesia per orbem propaganda ; ita demum a variis prophetis ejus imago delineatur, iisque characteribus, ut ab omni alio facile ac certissime distinguatur. *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Isai. XI, 1. — *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Isai. XI, 10. — *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis et psalmis, de me.* Luc. XXIV, 44. — *Scrutamini Scripturas... illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Joan. V, 39 [1].

50. IV PARS. *Prænuntiatus.* Tempus venturi Redemptoris determinatum fuit vaticiniis, præsertim tribus, Jacobi, Danielis, et Aggæi ac Malachiæ, quæ sive regni judaici casu, sive

[1] Cf. supra tract. *De relig. christiana,* cap. 4, art. 1, prop. 8, n. 289 seqq.

templi ruina, sive numero annorum computato, Messiæ adventum definierunt [1].

51. V PARS. *Exspectatus universaliter*, a Judæis, scilicet et ab ipsis gentibus. *Salutare tuum exspectabo Domine.* Gen. XLIX, 18. — *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Exod. IV, 13. — *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra et germinet Salvatorem.* Isai. LXV, 8. — *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.* Habacuc III, 13. — *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Luc. VII, 19, 20. Ergo fuit exspectatus a Judæis. — Fuit etiam exspectatus a gentilibus : *Ipse erit exspectatio gentium.* Gen. XLIX. — *Scio quod Redemptor meus vivit.* Job. XIX, 25. — *Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur.* Sucton. in Vespas. cap. 4. — Item testantur Tacitus et Plutarchus.

PROPOSITIO III.

Jesus Nazarenus, sub Augusto Imperatore natus, est Redemptor promissus qui in mundum venit.

52. Propositio dogma fundamentale fidei enuntiat : *Credo... et in Jesum Christum... qui propter nostram salutem descendit de cœlis.*

53 PROBATUR. 1° In Jesu Nazareno, et in ipso solo, omnes prophetiæ adimplentur, quæ sive characteres Redemptoris, sive tempus adventus ejus respiciunt. Ortus est enim ex semine David, natus de Virgine in Bethlehem, quo tempore Herodes Idumæus regnabat in Judæa. Prædicationem et miracula incepit post 69^{am} hebdomadem Danielis ; in medio autem hebdomadis 70æ occisus est, et paulo post, templum, quod ipse ingressu suo et prædicatione honestaverat, funditus dirutum atque deletum est.

54. 2° Ipse Jesus, postquam se legatum Dei probavit miraculis, aperte se Redemptorem Messiam testatus est. *Dicit ei mulier* (Samaritana) : *Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus): quum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Jesus : Ego sum qui loquor tecum... Et plures crediderunt in eum propter sermonem ejus, et dicebant: Quia ipsi audivimus, et scimus quia hic est vere salvator mundi.* Joan. IV, 23, 26, 42. — *Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei : Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Matth. XVI, 16, 17. Item. Marc. XIV, 61, 62.

55. 3° Jesum Nazarenum esse Redemptorem, tota Novi Testamenti Scriptura testatur, et universa christiani nominis traditio.

[1] Supra ibid. n. 263 seqq.

QUÆSTIONES.

56. QUÆR. 1° *Quæ fuerunt, præter citatas in probatione prop. 2ª, reliquæ Christi Redemptoris figuræ ?* — R. Si quinque citatis addantur reliquæ, numerantur omnino 18 præcipuæ, quæ variis sub respectibus Redemptorem præsignarunt : Adam, Abel, Noe, Melchisedech, Isaac, Jacob, Joseph, Agnus paschalis, Manna, Sacrificia et in primis hircus emissarius, Serpens æneus, Moyses, Josue, Gedeon, Samson, David, Salomon, Jonas.

57. Q. 2° *Cur Redemptor non statim post Adami peccatum venit ?* — Respondet S. Thomas [1] : « Primo propter conditionem « humani peccati, quod ex superbia provenerat : unde eo « modo erat homo liberandus, ut humiliatus recognosceret se « liberatore indigere... Reliquit enim Deus prius hominem in « libertate arbitrii in lege naturali, ut sic vires naturæ suæ « cognosceret : ubi cum deficeret, legem accepit ; qua data « invaluit morbus, non legis sed naturæ vitio ; ut ita cognita « sua infirmitate, clamaret ad medicum, et gratiæ quæreret « auxilium. »

[1] P. 3, q. 1, art. 5.

CAPUT SECUNDUM

DE PROPRIETATIBUS REDEMPTORIS.

58. Hactenus ostendimus Jesum Nazarenum esse divinitus missum humani generis Redemptorem. Jam propius tam conspicua persona intuenda nobis est, ut ejus naturam et physicas proprietates distincte introspiciamus. Quatuor autem præcipua in eo perpendemus : 1° naturam divinam, 2°naturam humanam, 3° unionem utriusque, 4° influxum mutuum utriusque naturæ, in ipsa Christi persona concrete et adæquate sumpta. Hinc quatuor articuli :

Articulus I, *de Christi divinitate.*
Articulus II, *de Christi humanitate.*
Articulus III, *de utriusque naturæ in Christo nexu.*
Articulus IV, *de Christi persona in concreto.*

59. His quatuor articulis ineffabilis Jesu Christi personæ proprietates omnes summatim continentur, quas Ecclesia variis definitionibus ac documentis exposuit. Horum præcipua sunt : Symbolum Apostolorum, Nicænum, Constantinopolitanum et Athanasianum : Anathematismi S. Damasi papæ (378) ; Anathematismi S. Cyrilli, seu decreta Synodi Ephesinæ adversus Nestorium (431) ; Definitio Synodi Chalcedonensis (451) ; Definitio Synodi VI (Cp. III, 680) ; Decretum concilii Francofordiensis (794). Ex his duo fragmenta præcipui momenti subjicimus.

DEFINITIO CONCILII CHALCEDONENSIS

60... Sequentes igitur sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium et Dominum nostrum Jesum Christum, consonanter omnes docemus ; eumdemque perfectum in deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eumdem ex anima rationabili et corpore ; consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato : ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis diebus eumdem propter nos et propter salutem nostram, ex Maria virgine Dei genitrice secundum humanitatem : unum eumdemque Christum, Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum ; nusquam sublata naturarum differentia propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum atque divisum ; sed unum et eumdem Filium unigenitum, Deum Verbum, Dominum Jesum Christum ; sicut ante prophetæ de eo, et ipse nos Jesus Christus erudivit, et Patrum nobis Symbolum tradidit.

SYMBOLUM ATHANASANIANUM.

61... Necessarium est, ut qui vult salvus esse, Incarnationem quoque D. N. J. C. fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia D. N. J. C. Dei Filius, Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, et homo est ex substantia matris in sæculo natus ; perfectus Deus, perfectus homo : ex anima rationali et humana carne subsistens ; æqualis Patri secundum divinitatem ; minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit, et homo ; non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum ; unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo : ita Deus et homo unus est Christus.

ARTICULUS I.

DE CHRISTI DIVINITATE.

—

PROPOSITIO UNICA.

Christus est ipsum Verbum divinum, seu secunda Trinitatis persona, ac proin verus Deus.

62. Propositione enuntiatur articulus Symboli : *Credo... et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum... Deum de Deo, lumen de lumine... consubstantialem Patri.*

63. Statuitur Christi divinitas, seu ipsius natura divina, adversus Cerinthianos, Ebionitas, Paulianos, Photinianos, Arianos et Socinianos.

64. Probatur autem tum ex S. Scriptura, tum ex traditione *antenicæna ;* ut eo aptius confutentur hæretici, præsertim Sociniani, qui fidem divinitatis Christi, seu Verbi, clamitant a Nicænis Patribus ex intemperanti in Arium odio primum fuisse decretam ; vel saltem a S. Justino invectam.

65. PROB. 1° *Ex Scriptura.* Christus vere Deus est, si ut Deus exhibetur, tum a Prophetis, tum ab Evangelistis ; — si se ipsum Deum prædicat, et opera Dei facit ; — si demum testimonium ejus tanquam de proprie dicta divinitate intellexerunt tam Judæi quam Apostoli. — Atqui hæc omnia ita se habent ; ergo Christus vere Deus est.

66. *Probator minor.* -1) Testantur Prophetæ : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis... Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te.* Ps. CIX. Quo loco de Christo agi patet ex Matth. XXII, 43. Illud *ex utero ante luciferum genui te,* quod de æterna Christi ex Patre generatione communiter exponunt Patres, aliter vertit ex Hebræo S. Hieronymus multique cum ipso. At Bellarminus aliique non pauci hebræum textum cum

versione Vulgatæ apprime componunt ; adeo ut citata verba æternam Christi ex Patre generationem, ejusque proinde divinitatem probent directe et per se, nec duntaxat indirecte, ut exprimentia traditionem Patrum, hoc textu fidem suam profitentium. — *Ecce virgo concipiet,et pariet filium, et vocabitur nomen ejus* EMMANUEL. Isai. VII, 14. Quod oraculum tanquam indubie apud Judæos de Christo intellectum, memorat Matthæus, I, 23.

67. -2) Testantur Evangelistæ : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum ; omnia per ipsum facta sunt... Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis... Joannes testimonium perhibet de ipso.* Joan. I. Unde sic : Verbum incarnatum est verus Deus ; atqui Verbum incarnatum, teste Evangelista, est Christus Jesus, de quo Joannes Baptista testimonium perhibet ; ergo Christus Jesus est verus Deus. — Evangelistæ cæteri a præclaro de Christi divinitate testimonio similiter exordiuntur [1]. Copiosius autem et luculentius eam declarat Joannes, qui, teste Hieronymo, *scripsit Evangelium adversus Cerinthum, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens.* De scriptor. eccles. l. 19.

68. -3) Se ipsum Deum prædicat : *Ego et Pater unum sumus. Sustulerunt ergo lapides Judæi ut lapidarent eum... Quia tu,homo cum sis,facis te ipsum Deum.* Joan. X,30 seqq.

69. -4) Facit opera divina : *Vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.* Joan. X, 36 seqq. — Scilicet opera Dei Jesus suo nomine patrat : *Domine, si vis, potes me mundare... Volo, mundare,* Matth. VIII, 3 ; non sicut Apostoli, qui in nomine Jesu Nazareni miracula operantur.

70. -5) Christi testimonium tanquam de vera divinitate prolatum intellexerunt Judæi ; ideoque eum uti blasphemum interficere voluerunt :*Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere : quia... Patrem suum* (græce ἴδιον proprium) *dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Joan. V, 18.Cf. ibid. X,33.

71. -6) Ita etiam intellexerunt Apostoli : *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset,non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Philipp. II, 5. — *Vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Act. XX, 28.

72. 2° *Ex traditione antenicæna.* Divinitatis Christi testes sunt Patres synodi Antiochenæ, damnantes Paulum Samosatenum (270).

1 Matth. I, 23. — Marc. I, 1. — Luc. I, 32, 35.

73. S. Ignatius martyr (107) : *Deus noster Jesus Christus in utero gestatus fuit a Maria, secundum dispensationem Dei, ex semine quidem David, de Spiritu autem sancto.* Epist. ad. Eph. c. 18.

74. S. Polycarpus, martyrio proximus (166), ita æternum Patrem orabat : *Te benedico et glorifico, per sempiternum Pontificem Jesum Christum dilectum Filium tuum, per quem tibi cum ipso in Spiritu sancto gloria, nunc et in futura sæcula sæculorum. Amen.* Apud Euseb. Histor. l. IV, cap. 15.

75. S. Justinus (167) : *Filius ejus, qui solus proprie dicitur Filius, Verbum, simul cum illo ante creaturas et exïstens et nascens, quoniam per eum primitus cuncta condidit et ornavit.* Apol. ad. Senat. n. 6.

76. S. Irenæus (202) : *Ecclesia, per universum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab Apostolis, et a discipulis eorum, accepit eam fidem quæ est in Deum Patrem omnipotentem... et in unum Jesum Christum, Filium Dei, incarnatum pro nostra salute.* Contra hær. l. I, c. 10. — Et l. III. c. 6 :... *Quis Deus? De quo dixit : Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit : hic est Filius.*

77. Tertullianus (245) : *Ego et Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem pertinet.* Contra prax. c. 25.

78. Martyres divinitatem Christi testantur. In actis SS. Felicitatis et filiorum ejus (164), Martialis inter eos natu minimus, sic respondet Publio : *Omnes, qui non confitentur Christum verum Deum esse, in ignem æternum mittentur.* Apud Ruinart. *Acta Mart. sincera.*

79. Traditio antenicæna confirmatur testimonio gentilium. Celsus passim exagitat Christianos, quod dicere solerent, Deum humanæ salutis causa in hunc mundum venisse, natum et crucifixum esse [1]. — Plinius, in epistola ad Trajanum, testatur se deprehendisse, quod Christiani *soliti essent stato die, Christo quasi Deo carmen dicere secum invicem.* Lib. I, ep. 97,

80. OBJIC. 1° Dicit Joannes cap. I. Verbum fuisse apud Deum; ergo Verbum a Deo distinguitur, nec est ipse Deus. — Resp. *Distinguo conseq.* Distinguitur a Deo Patre quoad personam, *conc.* quoad naturam. *neg.*

81. *Obj.* 2° Cum Christus se dicit esse in Patre, hoc de inexistentia morali, non physica, intelligendum est ; ergo verbis Christi allatis non demonstratur ejus divinitas. *Probatur antec.* ex Joan XVII, 21, ubi idipsum dicit de omnibus fidelibus. —R. *Neg. antec.* Ad probationem, *nego paritatem.* Si Christus, cap. X, unionem moralem significare voluisset, profecto non ad miracula sua provocaset.

1 Origenes, contra Cels. l. 4, n. 7, 8, 10, 14.

82. *Obj.* 3° Christus se vocat Deum, sicut omnes Israelitæ dicuntur dii : *Ego dixi : Dii estis.* Joan. X, 34 ; ergo non proprie dictam divinitatem sibi attribuit. — R. *Neg. ant.* Argumentum Christi in hoc loco non est *a pari*, sed *a minori ad majus.*

83. *Obj.* 4° Multa in Scriptura affirmantur de Christo, quæ Deo convenire non possunt : v. g. quod patiatur, moriatur, quod sit minor Patre ; ergo. — R. *Dist. ant.* Hujusmodi affirmantur de Christo secundum humanitatem. *conc.;* secundum divinitatem, *neg.*

84. *Obj.* 5° Christus dicitur Deus sensu repræsentative : quatenus scilicet, utpote legatus Dei, Deum repræsentabat ; ergo non est verus Deus. *Prob. antec.* -1) Christus vere fuit Missus et legatus Dei ; ergo quæcumque in Scriptura ei divinitatem videntur attribuere, possunt et debent secundum hanc ipsius qualitatem, i. e. sensu repræsentativo intelligi. -2) Christus est *Angelus novi Testamenti* [1], similis angelis Testamenti Veteris ; atqui *per Angelos dictus est sermo* [2] Israeli : *Ego sum Dominus Deus tuus.* Exod. XX, 22. Ergo similiter Christus, quin esset Deus, dicere potuit : *Ego Deus, Filius Dei sum.* — R. *Neg. antec.* — Ad probat. 1am *dist. antec. :* Christus fuit *etiam* legatus Dei, missus a Deo Patre, *conc. ;* fuit *mere* legatus, et non simul Filius Dei unigenitus et proprius, a Patre distinctus et Patri æqualis, *neg. antec.* — Ad probat. 2am, *neg. maj.* et assertam paritatem Angeli quidem, ut communior et probabilior opinio habet, in Veteris Testamenti Theophaniis apparuerunt dicentes : *Ego sum Deus ;* non tamen apparuerunt in propria sua natura ac persona, sed tantum in forma adscititia, personam Dei repræsentante : quemadmodum fere actor in scena, regio ornatu apparens, principaliter regem repræsentat [3]. Unde cum angelus Moysi et Israelitis apparens dicit : *Ego sum Deus*, solum significat se esse Deum repræsentative, non personaliter : seu verius, Deus ipse angeli sui ministerio loquens, dicit : *Ego sum Deus tuus.* — Cum autem Christus in propria sua substantia et persona veniens, testatur solemniter se Filium hominis, esse verum et unigenitum Filium Dei, unum cum Patre, manifeste significat se Deum esse non repræsentative, sed personaliter. — Cæteroquin, Scriptura de angelo, vel mero legato Dei, nusquam loquitur sicut de Christo ; nusquam angelicæ naturæ cum divina unionem exhibet dicens : *Verbum, Deus, angelus factus est.*

85. *Obj.* 6° Dicitur I Cor. XV, 28 : *Quum subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Ergo Christus non est ipse Deus supremus. — R. *Dist. antec.* Subjicietur Patri Filius,

[1] Malach. III, 1. — [2] Hebr. II, 2. — [3] Cf. Platel. *De Angelis*, n. 321.

quatenus est Caput Ecclesiæ,cum integro corpore mystico, completo scilicet electorum numero, ac proin secundum suam humanitatem [1], *conc.;* subjicietur secundum utramque suam naturam, *neg.* — Christus tradet regnum Deo Domino, non sicut dux Regi post bellum confectum resignat imperium ; sed ut Filius Patri, quocum et cum Spiritu S. unum prorsus habet imperium : *Et regni ejus non erit finis.* Luc. I, 33. Quod spectat ad difficultates ex Patribus objici solitas, generatim dicendum est : si quæ obscuriora occurrunt in Patrum scriptis, hæc per alia testimonia, clariora et indubia, eorumdem Patrum convenit interpretari. Fatendum enim est, Patres ante exortas hæreses præsertim Arianorum, interdum minus accurate scripsisse, et vocabula ambigua usurpasse ; at non ignorabant ea recte a fidelibus sui temporis intelligi, nec in pravum sensum torqueri. Idem scilicet illis contingebat, quod de Patribus Pelagio anterioribus testatur Augustinus: *Vobis Pelagianis nondum litigantibus, securius loquebantur.* Libr. 1 contr. Jul. c. 6.

QUÆSTIONES [2].

1o Quid de Incarnationis possibilitate dicendum?—2o Quis fuit Incarnationis finis? — 3o An Incarnatio fuit conveniens? — 4o An fuit necessaria?

86. QUÆR. 1° *Quid de Incarnationis possibilitate dicendum?* —R. De possibilitate Incarnationis humana ratio, a priori et seclusa fide, nihil positive pronuntiare potest, cum tantum mysterium ejus captum superet; multo autem minus illam possibilitatem potest negare. Cum enim potentia Dei undequaque infinita sit, omnia ei possibilia esse censenda sunt, nec quidquam impossibile, nisi quod certam repugnantiam vel imperfectionem involvat. Præterea omnes gentes cujusdam incarnationis possibilitatem agnoverunt,cum fere omnes aliquam Dei incarnationem aut theophaniam in sua mythologia commemorent. Imo, supposita fide, potest naturalis ratio, ejusdem fidei lumine adjuta, varia proferre argumenta quæ mysterium illud verisimile reddant ; licet, seclusa fide, nequaquam sufficerent, ad probabile judicium circa illius possibilitatem ferendum. Ex. gr. sicut anima spiritualis cum corpore materiali potest uniri, et arbor arbori inseri ; sicut etiam tres personæ divinæ in una natura divina possunt existere ; ita fieri posse videtur, ut natura increata uniatur creatæ in unitate personæ [3].

87 Q. 2o *Quis fuit Incarnationis finis?* — R. Finis Incarnationis fuit humani generis reparatio, peccatorum tum originalis tum actualium sublatio, communicatio gratiæ ac vitæ superna-

[1] Ita S. Thom. et S. August. interpret. — [2] Cf. Thom. p. 3, q. 14. — Suar. t. 16, disp. 3-10. — [3] Suar. t. 16, disp. 3, sect. 1.

turalis : *Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.* Luc. XIX, 10. — *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.* Joan. X, 10. — Augustinus ait : *Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus.* Serm. de Nativ. Domini, 13, de temp.

88. Hic autem ulterius quæri potest, utrum remedium peccati fuerit Incarnationis finis tantum *per accidens*, an *per se*; i. e. si peccatum non accidisset, fuissetne Incarnatio facta, necne? — Varii varie opinantur. — Alii cum S. Thoma [1] negative respondent, in hunc sensum Augustini verba usurpantes : *Si homo non peccasset Filius hominis non venisset* [2] ; nec non hanc Ecclesiæ vocem : *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem* [3] *!* — Suarez cum Scotistis affirmativam tenet sententiam, statuens : *Etiamsi homo non peccasset, Dei Filius incarnatus fuisset.* Deus nimirum, aiunt, primaria intentione et prima voluntate, qua decrevit sese ad extra creaturis communicare, voluit Incarnationis mysterium ; voluitque ut Christus simul Deus et homo, esset caput ac finis omnium suorum operum ad extra ; et ideo Verbum incarnatum vocatur *primogenitus omnis creaturæ, qui est ante omnes, et omnia in ipso constant, et ipse est caput corporis Ecclesiæ... ut sit ipse in omnibus primatum tenens.* Coloss. I, 15 seqq. [4].

89. Q. 3° *An Incarnatio fuit conveniens?* — R. Incarnationis convenientia a posteriori omnino spectabilis est ; et quidem respectu Dei, mundi, hominis et Verbi.

90. Respectu Dei illud maxime convenit, in quo divinæ perfectiones singulari quadam ratione manifestantur ; jam vero quam mirabilem in modum perfectiones Dei, omnipotentia videlicet, bonitas, misericordia, justitia, sapientia, in hoc mysterio resplendeant, perspicuum est consideranti.

91. Respectu mundi, ad perfectionem et quasi complementum ordinis universi, convenientissimum fuit Incarnationis mysterium. Cum enim in omnibus substantiis creatis una natura integra existat in una persona, et in divina substantia una natura existat in pluribus personis ; conveniens fuit, ut omnes rerum differentiæ haberentur, inveniri modum quo plures naturæ in una persona existerent, dareturque in mundo novus ordo, nempe *theandricus.* — Deinde ex hoc mysterio quædam peculiaris dignitas ad omnes creaturas redundavit ; quia, cum in natura hominis omnes res creatæ quodammodo contineantur, ideo Deus hanc hominis naturam assumendo omnes naturas quodammodo specialiter sibi copulavit [5].

[1] P. 3, q. 1, a. 3. — Lessius, *De prædest. Christi.* — [2] *De verbis Apost.*, serm 8, cap. 2. — [3] In bened. cerei pasch. — [4] Cf. Suar. tom. 16, disp. 5, sect. 2. — [5] Suar. ibid. disp. 3, sect. 3.

92. Respectu hominis, summe conveniens ac bonum est illi erigi a lapsu, et ad celsissimam perfectionem attolli. Quid autem aptius ad hominem sursum evehendum, quam tot ac tanta beneficia, tot verba et exempla ipsius Dei sui? *Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam; et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* S. Leo. serm. de Nativ. 1.

93. Respectu Verbi, conveniebat Incarnationem fieri in persona Verbi seu Filii, ut qui erat Filius Dei ab æterno, idem esset Filius hominis in tempore; ut per quem humana natura fuerat facta, etiam reficeretur; ut redemptio, quæ opus sapientiæ et virtutis Dei est, fieret per Filium, cui virtus et sapientia appropriantur.

94. Q. 4° *An Incarnatio fuit necessaria?* — Non agitur de necessitate ex parte Dei, cui Incarnatio utpote opus *ad extra* fuit dispensatio liberrima; quæritur autem de necessitate respectiva ex parte hominis, et respondendum cum S. Thoma: *absolute* loquendo, ad tollendum peccatum non fuit necessaria Incarnatio, si Deus voluisset acceptare satisfactionem *imperfectam; — hypothetice* vero, Deo scilicet exigente satisfactionem *perfectam* seu condignam ab homine [1], omnino necessaria fuit Incarnatio, ut a persona divina Deo satisfieret. Nulla enim persona creata potuit, sive alienum peccatum, sive suum, perfecta satisfactione expiare [2]. Nam, cum peccatum contra Deum commissum *quamdam infinitatem* habeat, expiationem infinitæ dignitatis postulat, quæ non potest nisi a persona divina præstari [3].

ARTICULUS II.

DE CHRISTI HUMANITATE.

95. Humana Christi natura vindicanda est adversus Phantasiastas et Docetas: Gnosticos nempe et Manichæos; adversus Synusiastas: nimirum Valentinianos et Appellianos; adversus Arianos et Apollinaristas; adversus Paulicianos et Jovinianistas: qui omnes vel veritatem humanitatis Christi undequaque negant, vel ab eadem aliquam saltem partem detrahunt. Quare humanitatem Redemptoris, ex Maria Virgine susceptam nobisque consubstantialem, veram et integram esse demonstrabimus.

Propositio I, *de vera Christi humanitate.*
Propositio II, *de Christi nativitate ex Virgine.*
Propositio III, *de humanitatis Christi integritate.*
Propositio IV, *de Christi passibilitate et impeccabilitate.*
Quæstiones.

[1] Cf. infra, cap. 3, art. 3, quæst. præv. 9, n. 307. — [2] Suar. tom. 16, disp. 4, sect. 7 seqq. — [3] Cf. S. Thom. 3 p. q. 1, art. 2 ad 2.

PROPOSITIO I.

Christus est verus homo; seu, Verbum divinum assumpsit naturam humanam veram, nobisque consubstantialem.

96. *De fide*, ut constat ex Conc. Chalcedon. definiente : *Christum perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, eumdem ex anima rationali et corpore, consubstantialem nobis secundum humanitatem; per omnia similem nobis absque peccato.* — Item ex Symb. Athanas. supra citato.

97. Dicitur in propositione, Verbum assumpsisse *naturam humanam* : scilicet *humanitatem*, quæ et *forma* metaphysica vocatur, per quam subjectum dicitur et est *homo*. Quamquam, ut infra [1] explicabitur, Verbum humanam formam non suscepit in sua persona velut in subjecto, sed ut in termino. — Dicitur humanitas *vera*, ut excludatur omnis species phantastica. — Dicitur humanitas *nobis consubstantialis*, id est *specifice* : quemadmodum scilicet Christus secundum divinitatem est consubstantialis Deo Patri *numerice*, sic secundum humanitatem est consubstantialis nobis *specifice*, frater noster et caro nostra, non aliena quavis origine, sed eadem ac nos stirpe Adamica procreatus.

98. PROB. PARS I. *Christus est verus homo.* — Scripturæ Christum vocant hominem, eique constanter tribuunt quæ humanæ naturæ sunt propria. *Quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis locutus sum*. Joan. VIII, 40. — *Sicut per unum hominem peccatum... multo magis gratia Dei et donum, in gratia unius hominis, Jesu Christi.* Rom. V, 12,15. — *Verbum caro factum est*, Joan. I ; scilicet : *Verbum homo factum est.* Caro enim per synecdochen sumitur in Scriptura pro toto homine, ut Matth. XXIV, 22 : *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro;* et Luc. III, 6 : *Et videbit omnis caro salutare Dei.*

99. Deinde Christus dicitur natus, circumcisus : perhibetur ambulasse, manducasse, dormiisse, flevisse ; dicitur fatigatus, passus, mortuus : quæ omnia non nisi de vero homine dici possunt.

100. PARS II. Consubstantialis nobis. — *Qui factus est ei de semine David secundum carnem.* Rom. I, 3. — *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Gal. IV, 4. — *Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis : in medio ecclesiæ laudabo te... Unde debuit per omnia fratribus similari.* Hebr. II, 11 seqq. — *Habemus pontificem* (Jesum) *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Ibid. IV, 15.

101. Recte igitur Ven. Beda ait : *Conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex*

[1] Artic. 3, quæst. 7, n. 168.

carne : alioquin nec vere Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Homil. Lib. 4, c. 49, in Luc. XI.

PROPOSITIO II.

Christus de Spiritu S. conceptus est, atque ex Maria Virgine salva ejus perpetua integritate natus.

102. *De fide,* ut constat ex verbis Symboli : *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* — Item ex Concil. Lateranensi (649) sub Martino I, cujus canon 3 ita sonat: *Si quis secundum SS. Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem, sanctam semperque Virginem immaculatam Mariam... absque semine concepisse ex Spiritu sancto, et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit* [1].

103. Duæ sunt propositionis partes : I. Conceptum esse Jesum præter naturæ leges, Mariæ visceribus per supernaturalem Spiritus sancti virtutem fecundatis ; II. Mariam non solum ante partum virginem fuisse, sed etiam in partu et post partum virginem permansisse.

104. PROB. 1 PARS. *Christi conceptio de Spiritu S.* — Ex Novo Testamento. Matth. I, 18 : *Christi autem generatio sic erat : quum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto... Angelus autem Domini apparuit dicens... quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem : Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium ; et vocabunt nomen ejus* EMMANUEL, *quod est interpretatum* NOBISCUM DEUS. Cf. Luc, I, 26, seq.

105. 2° Ex vetere Testamento, seu ex vaticinio Isaiæ VII, 14 : *Audite ergo domus David... dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Atqui hoc vaticinio prædicitur Messiæ conceptio ex virgine ; ergo Messias conceptus est virtute supernaturali, divina, adeoque de Spiritu S. *Probatur minor* ex eo quod vaticinium -1) agit de Messia, -2) prænuntiat ejus nativitatem ex *virgine parturiente :* hæc enim duo constant tum demonstratione exegetica, tum unanimi interpretatione Patrum [2]. Quinimo, non aliter hic Isaiæ locus intellectus fuit a vetere Synagoga : quod *patet,* tum ex Matthæo, suam interpretationem uti sine controversia receptam inter Judæos afferente ; tum ex traditione quæ inter veteres Rabbinos obtinebat, de Messiæ nativitate ex

[1] Cf. Later. IV, cap. *Firmiter.* — [2] Cf. Perrone, *De incarn.* n. 295.

Virgine[1]. — Hanc fuisse Judæorum traditionem *confirmatur* ex ea, quæ apud omnes fere gentes propagata est, et videtur a Virgilio notis versiculis celebrata :

> Ultima Cumæi venit jam carminis ætas ;
> Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
> Jam redit et Virgo ; redeunt Saturnia regna ;
> Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
> ECLOG. IV.

106. II PARS. *Mariæ virginitas.* — Mariam fuisse virginem *ante partum*, patet ex Evangelica historia, Luc. I, et ex vaticinio Isaiæ supra citato.

107. Mariam mansisse virginem *in partu*, iisdem Scripturæ testimoniis probatur ; quibus accedit unanimis Patrum traditio Patres Concilii Chalcedonensis, in allocutione ad Marcianum Imperatorem dicunt, Filium Dei *suæ Genitrici virginitatem post conceptum largitum esse, atque ut Deo dignum erat, uterum ejus obsignasse.* — S. Ambrosius : *De via perversitatis produntur dicere : Virgo concepit, sed non virgo generavit... Hæc est Virgo quæ in utero concepit, virgoque peperit filium suum. Sic enim scriptum est :* ECCE VIRGO IN UTERO ACCIPIET ET PARIET *filium. Non enim concepturam tantummodo virginem, sed et parituram virginem dixit.* Epist. ad Siricium Pap.

108. Mariam servasse virginitatem *post partum*, tum ex ipsius verbis, votum perpetuum indicantibus : *Quoniam virum non cognosco*, deducitur, tum ex perpetua traditione manifestum est. S. Basilius : *Christi amantes audire non sustinent, quod Deipara aliquando desierit esse virgo.* Homil. in Christi generat. — Helvidius, qui in hanc insanam doctrinam proruperat, ab Hieronymo confutatus et inter hæreticos numeratus est. — Idem demonstratur ipso nomine *Virginis*, quod antonomastice, et quasi nomen proprium, teste Epiphanio, Deiparam semper designavit, nec aliud significat quam nomen τῆς ἀειπαρτένου, *semper virginis*, quod a Patribus et Conciliis antiquissimis Mariæ tribuitur.

109. OBJIC. 1° Matth. I, 18, seqq. legitur : *Antequam convenirent... Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum ;* atqui verba illa *antequam, donec, primogenitum*, relativa sunt ad subsequentem prolis generationem ; ergo. — R. *Neg. min.* Hæc consecutio falsa esse demonstratur ab Hieronyno[2] contra Helvidium. *Antequam, donec*, non semper significant, illud quod antea factum non fuit, postea contigisse, vel quod antea duravit, postea cessasse ; uti evidens est Ps. CIX : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabel-*

[1] Cf. Devoisin, *Observat. in proœm. Pugionis fidei*, 157, edit. Carpzov. — Item Raymund. Martini, 3 part. dist. 3, cap. 7 ; Cf. Drach. *Troisième lettre*, 1re partie, *Prophétie d'Isaïe*, VII, 14, chap. 1, 2. Rome 1833.

[2] *In cap. I Matth.*

lum pedum tuorum. — *Primogenitus* in Scripturis non perpetuo ille, dicitur, post quem alius ; sed aliquando etiam ille, ante quem nullus est genitus. Vid. Exod. XIII et XXXIV, Levit. XXVII et Num. VIII.

110. *Obj.* 2° Matth. XII, 46 : *Ecce mater ejus et fratres stabant foris*... Ergo Jesus non fuit unigenitus matris. — R. *Dist. antec. Fratres*, id est, *cognati* seu propinqui, *conc. ;* fratres uterini, *neg.* Talis est usus loquendi biblicus. Gen. XIII et XIV, Loth, qui Abrahæ nepos erat, ejusdem frater dicitur : *Cum vidisset Abraham captum videlicet Loth, fratrem suum* [1].

PROPOSITIO III.

Assumpta a Verbo natura humana fuit integra, seu, constans corpore carneo et sensibili, atque anima rationali et libera.

111. *Ad fidem pertinet*, ut patet ex Symb. Athan. et definit. Chalcedon., ubi dicitur Christus *perfectus in humanitate, per omnia nobis similis absque peccato.* — Patet quoque ex dogmate de veritate satisfactionis Christi, qui sanguinem suum in pretium redemptionis nostræ libere fudit.

112. Hæc propositio posset tanquam corollarium deduci ex Prop. I hujus articuli, statuente, Verbum assumpsisse naturam humanam, qua verus homo diceretur et esset ; hic nihilominus explicite ponitur, ut integritas naturæ humanæ distinctis argumentis pro distinctis humanitatis partibus ostendatur.

113. PROBATUR. I. quoad corpus, II. quoad animam.

114. I PARS. *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Luc. XXIV, 39. — *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.* Joan. XIX, 34. — Sensibilitas Christi patet ex eo quod videt, audit, patitur. Vid. Joan. XIX, 26, et XI, 4. — Luc. XXIV, 26.

115. II PARS. *Inclinato capite tradidit spiritum.* Joan XIX, 30. — *Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientia... et proficiebat sapientia, et ætate et gratia apud Deum et homines.* Luc. II, 40, 52. — *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me : sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam ; et potestatem habeo iterum sumendi eam ; hoc mandatum accepi a Patre meo.* Joan. X, 17. — *Oblatus est, quia ipse voluit.* Isai. LIII, 7. — *Factus est obediens usque ad mortem.* Phil. II, 8.

116. Augustinus : *Qui posset non mori si nollet, procul dubio quia voluit mortuus est.* De Trin. Lib, IV, c. 13.

[1] Cf. Maldonat, *in cap. XII Matth.* v. 46. — Suarez, tom. 17, disp. 5, sect. 3 et 4.

117. Probatur præterea *utraque pars* ratione theologica. Christus, ut supra ostensum [1], habuit omnes partes humanæ naturæ, tum quæ verum hominem constituunt, tum quæ ad ejusdem integritatem pertinent ; atqui hujusmodi sunt caro, ossa, sanguis, sensus et appetitus sensitivus, anima cum ratione et libertate ; ergo hæc omnia Christus habuit.

PROPOSITIO IV.

Humanitas Christi fuit ex naturali sua conditione passibilis, et prorsus impeccabilis.

118. Christum fuisse passibilem et impeccabilem *de fide est* : dicitur enim in Symb. Apost. : *Passus sub Pontio Pilato* et in defin. Chalced. : *Per omnia nobis similis absque peccato.* — Passibilem autem fuisse *ex naturali conditione*, non vero per miraculum, ut contingeret si post resurrectionem suam pateretur, ***communis ac certa*** sententia est [2].

119. In præcedentibus probata est veritas et perfectio humanæ Christi naturæ ; hic definiuntur ejusdem defectus. Defectus, qui post Adæ lapsum naturæ nostræ inhæserunt, alii sunt mere physici, mortalitas videlicet et passibilitas in corpore et in anima ; alii mere morales, peccatum nimirum et peccabilitas ; alii mixti, ignorantia nempe et concupiscentia, quæ saltem materialem peccabilitatem inducunt. — Jam vero asserimus, a Domino assumpta fuisse, non peccabilitatem, sed passibilitatem, et quidem connaturalem, seu ex naturæ suæ conditione procedentem.

120. PROB. I PARS. *Christus fuit passibilis.* Etenim appellatur ad Isaia *vir dolorum et sciens infirmitatem, vulneratus, attritus.* Isai. LIII.—Matth. XXVI, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* — Luc. XXII, 43 : *Apparuit illi angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat.*

121. II PARS. *Fuit passibilis connaturaliter.* Passibilitatem Christi ex naturali humanitatis suæ constitutione promanasse, magna olim contentione defendit adversus Philippum, abbatem Bonæ Spei, Joannes quidam monachus, ætate S. Bernardi. Et quidem hæc sententia merito evasit communis, quippe cui Scriptura et Ecclesiæ Patres non obscure suffragentur. Apostolus enim affirmat, Christum *debuisse per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari.* Hebr. II, 17 ; IV, 15.

122. III PARS. *Fuit impeccabilis.* — Vocatur enim a Daniele *Sanctus sanctorum.*—Hebr. IV, 15 : *Habentes Pontificem Je-*

[1] Cfr. n. 96.
[2] Imo juxta Perrone, veritas *fidei proxima* est. *De Incarn.* n. 284.

sum... tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. — II Cor. V, 21 : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* [1]. — Quæ biblica loca sic Patres interpretantur, ut non solum peccatum omne, verum etiam peccandi potentiam a Christo excludant [2].

123. Cyrillus Alexandrinus : *Filius humanam naturam sibi propriam faciens, eam peccato omni superiorem reddidit, naturæ suæ firmitate cum illa communicata : perinde ac lanam tingendo colore imbuisset.* De recta fide.

124 OBJIC. Si Christus fuit impeccabilis, non potuit esse liber ; ergo altrerutrum est negandum. — R. *Dist. antec.* Non potuit esse liber, libertate contrarietatis, h. e. inter bonum et malum, *conc. ;* libertate specificationis et indifferentiæ, h. e. inter bonum et bonum, *neg.*

125. *Inst.* Atqui neque liber erat libertate indifferentiæ, sed necessario determinatus ad unum. Nam erat sub obedientia Patris usque ad mortem ; ergo Patris præcepto alligatus, ac proin determinatus ad unum. — R. *Neg. assert.* Ad probationem, *dist. anteced.* Erat sub obedientia Patris rigorosa, *neg. anteced. ;* sub obedientia lata, et potius dirigente quam obligante, *conc.* Ita fere regulæ quarumdam Religionum materia sunt obedientiæ, licet non obligent sub peccato. — Ad *conseq. distinguo :* Ergo Patris præcepto erat alligatus etc., consequenter ad liberam suam electionem, *trans. ;* antecedenter ad suam liberam electionem, *neg.* Quare simul obediens erat et libertate gaudebat. Obedientia enim liberum arbitrium non tollit, sed potius illud supponit et egregie perficit : ut patet in religiosis hominibus, liberrime se sub obedientiæ regimine constituentibus.

126. Verum quod attinet ad mandata Christo imposita, concilianda cum ejus libertate et impeccabilitate, variæ sunt Theologorum sententiæ [3]. Existimat Petavius [4] cum plerisque Patribus, mandatum moriendi, quod Dominus dicit se accepisse a Patre suo, non fuisse absolutum, aut obligans sub peccato ; sed merum beneplacitum, *τὴν εὐδοκίαν* a Domino libere pro mandato acceptum, quæ perfectissima obedientia fuit ; et ideo dictum esse ab ipso : *Nemo tollit animam meam a me ; sed ego pono eam a me ipso... hoc mandatum accepi a Patre meo.* Joan. X, 18.

[1] Cf. I Pet. II, 22 ; I Joan. III, 5.

[2] Epiphan. in *Anchorato*, n. 70 et 80 ; Cyrill. Alex. *Homil. in Pasch.* 24. Vid. Petav. *De Incarn.* l. 5, c. 10, 11. — [3] Cf. Platel. part. 4, *De Incarn.* cap. 6.—Suar. t. 16, disp. 37. — [4] *De Incarn.* l. 9, cap. 8.

QUÆSTIONES.

1o *An Verbum omnes humani corporis partes assumpsit* IMMEDIATE, *et* SECUNDUM HYPOSTASIN ? — 2o *An et quomodo Christus per suam humanitatem miracula patrabat ?* — 3o *Fuitne Christus homo viator an comprehensor?* — 4o *Quare Verbum naturæ humanæ defectus assumpsit ?*—5o *An assumpsit horum defectuum necessitatem?* — 6o *An Christus fomitem peccati habuit?* — 7o *Quænam differentia est inter impeccabilitatem Christi et impeccabilitatem B. V. Mariæ, Apostolorum nec non Beatorum in cœlo ?* — 8o *Quid de externa Christi specie dicendum est ?* — 9o *An B. V. Maria perpetuæ virginitatis votum emisit ?* — 10o *An verum exstitit inter Mariam et Joseph matrimonium ?*

127. QUÆR. 1o *An Verbum omnes humani corporis partes assumpsit* IMMEDIATE *et* SECUNDUM HYPOSTASIN ? — R Verbum dicitur naturam assumere *secundum hypostasin*, quatenus eam per se immediate terminat ; dicitur autem naturam assumere *in hypostasi*, quatenus eam tantum attingit mediante natura alia, quam immediate assumptam habet, et in qua illa prior natura continetur. — His prænotatis, dicendum : -1) Verbum divinum immediate et secundum hypostasin assumpsit corpus humanum integrum, omnesque ejus partes, saltem eas quæ anima rationali informantur. Totam enim immediate assumpsit humanitatem, quæ substantialiter, et quasi essentialiter, ex his partibus anima rationali informatis componitur. -2) Totus sanguis qui fuit in Christi corpore, quique ab illo pro nobis effusus est, immediate fuit unitus Verbo hypostatice, quippe qui ad veritatem et integritatem naturæ humanæ pertineat [1]. -3) Probabilius etiam videtur, Verbum immediate secundum hypostasin assumpsisse alios corporis humores, imo et ungues, dentes et capillos ; quia ista omnia et de corporis humani integritate sunt, et ad nonnullas actiones humanas necessaria. De capillis tamen res magis dubia est.—Quæ autem per se semel assumpta sunt, nimirum anima et corpus, nunquam fuere dimissa, semperque hypostasi Verbi unita, *etiam tempore mortis*, permanserunt. Lacrymæ vero, sudor, et generatim quæcumque materiales particulæ in continua corporis nutritione resolvuntur, potuerunt dimitti; maxime quoad illam materiam, quæ in resurgentis Christi corpore non erat futura necessaria [2]. -4) Verbum non assumpsit immediate secundum hypostasin accidentia, seu formas accidentales ; sed tantum eas assumpsit in hypostasi, mediante natura humana [3].

128. Q. 2o *An et quomodo Christus per humanitatem sua miracula patrabat ?* — R. Duplex est Theologorum sen-

[1] S. Thom. 3 p. q. 54, a. 1. — [2] Suar. t. 17, disp. 47, sect. 3 ; et disp. 44, sect. 1 2. — [3] Suar. t. 16, disp. 15, sect. 5-8.

tentia. Juxta Suarez [1], Christi humanitas habebat divinam quamdam potentiam *obedientialem activam* [2], qua physice operabatur miracula, quemadmodum, secundum eumdem Theologum, etiam animas sanctificabat, gratiam physice conferendo.

129. Juxta Lessium [3], humana Christi natura cooperabatur ad miracula, -1) per modum causæ, non physice vi sua influentis, sed tantum effective applicantis et determinantis vim efficiendi ad opus. Nam in potestate voluntatis humanæ erat applicare et quodammodo determinare divinam virtutem ad opus ; eo quod hæc voluntas esset voluntas divinæ Personæ : quidquid enim divina Persona vult, etiam per voluntatem humanam, statim fieri debet per potentiam accommodatam ejusdem Personæ. -2) Humana Christi natura ad miracula quoque cooperabatur per modum instrumenti Verbo adaptati. Nimirum cum Dominus sanabat contactu, virtus divina insidens manui, applicabatur infirmo ad eum sanandum ; quando sanabat imperio, vox ejus, quæ erat vox Verbi divini, applicabat divinam virtutem ad opus, et ita hæc erant instrumenta per quæ ipsum Verbum operabatur.

130. Q. 3_0 *Fuitne Christus homo viator an comprehensor ?* R. Christus ut homo, ante mortem suam, simul viator fuit et comprehensor. — Homo dicitur *viator*, ex eo quod tendit in beatitudinem ; *comprehensor*, ex hoc quod jam beatitudinem obtinet, secundum illud I Cor. IX, 24 : *Sic currite ut comprehendatis;* et Phil. III, 12 : *Sequor autem si quo modo comprehendam.* — Hominis autem beatitudo omnino completa, sita est in animæ et corporis beatitate. Anima beata est quatenus Dei visione fruitur ; corpus autem, quatenus omni corruptibilitate deposita, spiritale existit et immortalitate indutum.

131. Jam vero Christi anima beata erat, quippe quæ, ab initio creationis suæ, Dei visione frueretur : ergo Christus fuit comprehensor [4]. — Eum simul fuisse viatorem patet, -1) quia secundum corpus non erat beatus, nec etiam secundum omnes animæ potentias ; sed adhuc tendebat ad beatitudinem, quod est viatorum. -2) Quia et corpore et animo erat passibilis. -3) Quia sibi et aliis poterat mereri ; posse autem mereri proprium viatoris est.

132. Quod si quæratur, quonam pacto delectatio visionis beatificæ, qua fruebatur Christus, passibilitati non obstaret, respondet S. Thomas : *Virtute divinitatis Christi, dispensative sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabatur ad corpus, ne ejus passibilitas et mortalitas tolleretur ; et eadem*

[1] Tom. 16, disp. 31, sect. 3, seqq.—[2] Vid. hujus op. t. 2, *De sacramentis in gen.*, c. 3, n. 141. — [3] *De Incarn.* q. 13, a. 2.
[4] Cf. infra, Quæst. *de scientia Christi*, n. 253 seqq.

ratione delectatio contemplationis sic relinebatur in mente, quod non derivabatur ad vires sensibiles, ne per hoc dolor sensibilis excluderetur [1].

133. Quod si ulterius quæratur quomodo gaudium beatificum, quo anima Christi secundum voluntatem fruebatur, conciliari potuerit cum vera tristitia, quam, juxta communem sententiam, illa sanctissima anima experta est in eadem voluntate ; responderi potest, gaudium tristitiæ non repugnasse, quia versabatur circa diversum objectum ex diverso motivo. — Hanc difficultatem de tristitia Christi aliter solvunt varii auctores, docentes gaudium beatificum miraculose fuisse suspensum, toto tempore, quo Christus secundum voluntatem contristatus est [2].

134. Q. 4° *Quare Christus defectus naturæ assumpsit ?* — R. Conveniens fuit ut Christus assumeret defectus naturæ humanæ, propter tres præcipue rationes : 1) ut satisfaceret pro peccato, pœnalitates peccati in natura nostra et vice nostra suscipiendo : *Vere languores nostros ipse tulit.* Isai. LIII. 4. -2) Ut fidem Incarnationis adstrueret et se verum hominem probaret. -3) Ut præberet exemplum patientiæ et fortitudinis : *Sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.* Hebr. XII, 3.

135. Porro Christus non assumpsit infirmitates seu defectus humanos omnes ; sed eos tantum qui sequuntur ex natura, et ex peccato communi *totius naturæ*, nec tamen perfectioni scientiæ vel gratiæ, quæ humanæ naturæ Reparatoris inesse debebat, repugnant. — Unde -1) non assumpsit ignorantiam, nec proclivitatem ad malum, vel difficultatem ad bonum, quæ tamen ex peccato originali sequuntur : nam impedivissent opus redemptionis, dedecuissent Christum, et repugnassent perfectioni scientiæ et gratiæ. Non assumpsit -2) defectus *personales*, qui nascuntur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis, ut sunt lepra, cæcitas, et generatim omnes morbi. Nam hujusmodi defectus oriuntur quandoque ex culpa hominis, puta ex inordinato victu ; quandoque ex defectu virtutis formativæ ; quorum neutrum convenit Christo : quia ex una parte caro ejus de Spiritu S. concepta est, qui, cum sit infinitæ sapientiæ et virtutis, in opere suo deficere non potuit ; ex altera vero, ipse Christus nihil inordinatum in regimine suæ vitæ admisit. -3) Assumpsit autem tertii generis defectus, eos, qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur ex peccato primi parentis, nec defectum scientiæ aut gratiæ important, ut mors, fames, sitis et alia hujusmodi. Non tamen hos defectus proprie contraxit sed voluntarie suscepit : ratio est, quia hu-

[1] P. 3, q. 15, art. 5 et 10. — [2] Cf. Platel. *De Incarn.* n. 87 seqq.

jusmodi defectus, in præsenti statu naturæ lapsæ, non contrahuntur nisi ex contracto peccato, quo Christus penitus caruit [1].

136. Q. 5° *An Christus assumpsit necessitatem subjacendi his defectibus ?* — R. Christus non *coactionis necessitate* his defectibus subjacuit ; atque adeo nec necessitate absoluta ; sed ea tantum, quæ ex materiæ seu corporis connaturali imperfectione oritur. Ratio est, quia Christus voluntarie hos defectus assumpsit ; si enim voluisset, potuisset eos impedire virtute divina, qua pro arbitrio utebatur. Corpus tamen Christi *per se consideratum*, iis defectibus necessario obnoxium erat, qui nullis naturæ viribus possunt impediri. Hanc *naturalem defectuum necessitatem* Dominus libere assumpsit. Etenim, ut dicit Damascenus : *Beneplacito divinæ voluntatis, permittebatur carni pati et operari quæ propria* [2].

137. Q. 6° *An in Christo fuit fomes peccati ?*— Resp. negative. Notandum est *fomitem* nihil aliud esse nisi *inordinatam inclinationem, non tantum appetitus sensitivi (ut quidam volunt), sed omnium virium animæ, quæ de libertate participant : ut intellectus, voluntatis, imaginativæ, et appetitus sensitivi ; inclinationem inquam, ad motus præter vel contra legem rationis ; quæ inordinata inclinatio provenit immediate ex privatione justitiæ originalis, mediate vero ex peccato ;* ut patet ex Trid. sess. 5. Unde fomes supra vires animæ nihil addit, nisi hanc imperfectionem, scilicet *posse* eas vires *potentia propinqua prævenire rationem, et moveri contra vel præter ejus dictamen* [3].

138. His positis, respondeo, in Christo neque fomitem neque ullos motus fomitis fuisse ; quod est fide tenendum. Etenim fomes ejusque motus proveniunt ex peccato, et inclinant ad peccatum, ut docet Trid. sess. 5 ; Christus autem non est conceptus in peccato, nec ullam inclinationem ad peccatum habuit, ergo fomitem non habuit. Imo nec habere potuit ; quia per unionem hypostaticam hujusmodi defectus necessario excluditur tanquam dedecens personam Verbi, ut ex sequenti quæstione patebit [3].

139. Q. 7° *Quæ differentia est inter impeccabilitatem Christi, et impeccabilitatem B. V. Mariæ, Apostolorum et Beatorum in cœlo ?* — R. Impeccabilitas Christi -1) non tantum peccatum, sed omnem possibilitatem peccandi absolute excludebat : erat enim participatio ipsius impeccabilitatis divinæ. Nam -2) funda-

[1] S. Thom. 3 p. q. 14. — Suar. t. 16, disp. 32. — [2] S. Thom. ibid. art. 2.
[3] Lessius, *De Incarn.* q. 15, art. 2. — Cf. Suarez, *De Incarn.* t. 16, disp. 34, sect. 2. — Sensu restrictiore fomes a S. Thoma definitur : inclinatio *sensualis appetitus* in id quod est contra rationem, seu : *Resistentia sensualis appetitus ad rationem*. Cf. p. 3, q. 15, art. 2 ; q. 27, art. 3. — Cf. supra, Tract. *De Creat.* cap. 3, art. 2, quær. 17o n. 268. — [4] Lessius ibid.

batur non tantum in gratia, et visione beatifica qua Christus fruebatur ; sed etiam, et principaliter, in ipsa unione hypostatica cum persona Verbi. Si enim anima Christi peccasset, persona Verbi peccatum participasset ; quia actiones sunt suppositi seu personæ tanquam principii *quod*, licet sint naturæ tanquam principii *quo*.

140. Impeccabilitas B. V. Mariæ fundabatur in gratia, qua, ex prævisa morte Christi, prævenia fuit et munita a principio vitæ suæ usque ad exitum ; qua sicut ab originali ita ab omni etiam vel levissima actuali labe, atque ab ipso fomite fuit præservata, qui, probabilius, non tantum ligatus in Deipara, sed penitus exstinctus fuit [1].

141. Impeccabilitas Apostolorum fundabatur in gratia, per quam confirmati fuerunt die Pentecostes, ne peccarent mortaliter, manente tamen fomite peccati, ut patet ex verbis Pauli : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*. Rom. VII, 24 et præced.

142. Impeccabilitas Beatorum in cœlo fundatur in visione beatifica, per quam ita Deo, summo bono, adhærent amando, ut non sint liberi ad bonum aliud contra Dei voluntatem diligendum.

143. Q. 8° *Quid de externa specie corporis Christi dicendum est ?* — R. Hanc quæstionem Sacræ Litteræ prorsus neglexisse videntur, cum non nisi de pulchritudine Domini interna, aut de corpore claritatis, per transfigurationem et reformationem corporis humilitatis ejus effulgente, loquantur. Ex diversis autem Theologorum sententiis ea probabilior videtur, quæ statuit, Christus neque deformem fuisse, neque mundanam formæ elegantiam assumpsisse; sed habitum corporis induisse plenum dignitatis, atque in omnibus ita compositum, ut internæ virtutis et sanctitatis imaginem quamdam et quasi speculum exhiberet [2].

144. Q. 9° *An B. Virgo emisit votum perpetuæ virginitatis?* — R. Affirmativa gravissimorum Patrum sententia est ; quæ neque obscure colligitur ex verbis Virginis ad angelum : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* Luc. I [3].

145. Q. 10° *An verum exstitit matrimonium inter Mariam et Joseph ?* — R. Tenendum est cum S. Thoma, verum fuisse matrimonium ; cui nequaquam obstabat votum perpetuæ virginitatis, cum matrimonium in jure consistat non in usu. Sic potest quispiam habere proprietatem arboris, licet obstrictus voto nunquam de fructibus comedendi.— Dicitur autem potius

1 Cf. Suar. *De Incarn.* part. 2, disput. 4, sect. 5 ; S. Thom. p. 3, q. 27, art. 3.
2 Cf. Suarez, *De Incarn.* part. I, disp t. 32, sect. 2. Item. Nicephor. *Hist. eccles.* lib. 1, cap. ult. — Suar. tom. 17, disp. 6, sect. 1, 2, 3.

desponsatio Mariæ et Joseph quam *matrimonium*, quia sanctissimi conjuges vixerunt instar sponsorum. — Rationes cur Deus Virginem Matrem voluerit desponsatione ligari, fuerunt -1) ut per Joseph Christi genus ex Davide innotesceret; -2) ut Virginis honori consuleretur; -3) ut Joseph esset Jesu nutritius, Virginis Matris solatium, ejusque castitatis testis et custos; -4) addit S. Ignatius martyr, ut Christi nativitas celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine sed de uxore generatum [1].

ARTICULUS III.

DE UTRIUSQUE NATURÆ IN CHRISTO NEXU.

146. Hactenus demonstratum est duas naturas inesse Christo, divinam et humanam; quonam autem nexu hæ naturæ, infinito intervallo distantes, inter se copulatæ sint, jam inquirendum succedit.

Quæstiones præviæ.
Propositio I, *de unione hypostatica.*
Propositio II, *de duplicis naturæ distinctione.*
Propositio III, *de duplici voluntate in Christo.*
Quæstiones *de hypostaticæ unionis proprietatibus.*

QUESTIONES PRÆVIÆ.

1o *Quibusnam modis substantiæ inter se uniri possunt?* — 2o *Quomodo duarum naturarum in Christo unionem perperam finxerunt hæretici?* — 3o *Quomodo eamdem unionem factam esse docet veritas catholica?* — 4o *Quomodo natura et subsistentia creata inter se distinguuntur?* — 5o *Quid est natura concrete vel abstracte sumpta?* — 6o *Quomodo aliqua persona potest esse homo, quin sit persona humana?* — 7o *Quo pacto Christus homo verus est et tamen persona divina?*

147. QUÆR. 1o *Quibusnam modis duæ substantiæ inter se uniri possunt?* — R. Unio substantiarum est *physica* vel *moralis, accidentalis,* vel *substantialis.*

148. Unio *physica* duarum substantiarum est ea, qua ita junguntur, ut constituant compositum physicum; seu ea, vi cujus aliquid physici accedit duabus substantiis : ex. gr. physica est unio inter vestem et vestitum, templum et inhabitantem, instrumentumet motorem. — Unio *moralis* est ea, qua substantiæ ita junguntur, ut morale compositum constituant; seu illa, vi cujus aliquid non physicum sed morale, duabus substantiis accedit : ex. gr. unio amicitiæ per affectum, inter amicos; unio per directionem aut imperium, inter regem et ministrum, dominum et servum.

[1] S. Hieron. Comment. in cap. I Matth.

149. Unio *accidentalis* duarum substantiarum ea est, qua ita junguntur ut constituant compositum accidentale; i. e. quod substantiis nihil addit nisi accidentale; cujus proinde utraque pars propriam subsistentiam conservat: hujusmodi sunt tria illa exempla modo citata, sive unionis physicæ, sive unionis moralis. — Unio *substantialis* duarum substantiarum est ea, qua illæ substantiæ constituunt compositum substantiale; i. e. quod præter substantias componentes addit aliquid substantiale. Distinguitur quadruplex: integralis, naturalis, subsistentialis et hypostatica.

150. *Integralis* est, qua partes materiales vel integrantes inter se coalescunt; talis est unio membrorum cum capite, qua constituitur corpus integrum.

151. *Naturalis*, qua materiæ forma substantialis jungitur: sic unitur anima corpori ad constituendam naturam humanam.

152. *Subsistentialis*, qua natura et subsistentia connaturalis junguntur, seu qua *subsistens* constituitur: sic, ex natura humana et subsistentia ejus constituitur humana natura subsistens, seu suppositum humanum, persona humana.

153. Quarta demum substantialis unio concipi potest, qua, ex una parte nuda natura, et ex altera parte natura subsistens seu persona, conjunguntur ita, ut subsistentia seu personalitas fiat utrique naturæ communis: hæc unio dicitur personalis vel *hypostatica*, quæ definiri potest: *Unio qua duæ substantiæ, quoad naturam completæ, conveniunt sub una subsistentia, ita ut constituant tantum unum suppositum, unam personam.*

154. Q. 2° *Quomodo duplicis naturæ in Christo unionem perperam explicaverunt hæretici?* — R. Triplex præsertim systema confictum ab hæreticis fuit: Nestorianum, Eutychianum, Monothelitarum.

155. Juxta *Nestorium*, duæ naturæ in Christo conjunctæ sunt unione accidentali, et morali (συνάφεια), seu cujusdam habitudinis (ἕνωσις σχετική), inter Verbum, Filium Dei, et Christum, Filium Mariæ. Verbum scilicet conjunctum est cum Christo arctissimo affectus vinculo, imo inhabitavit in Christo (ἐνοίκησις) tanquam in templo suo, ita ut Christus esset *Deifer*, Θεοφόρος. — Itaque Nestorius duas in Christo personas induxit, seu duos Christos, alterum Filium Dei, alterum Filium Mariæ; quam propterea non Θεοτόκον *Deiparam*, sed Χριστοτόκον *Christiparam* vocat. Imo in sola vocabuli Θεοτόκου negatione, tota impietatis Nestorianæ vis collecta perspicitur; sicut antea tota Ariana perfidia in negatione vocis ὁμοούσιος, *consubstantialis*, latebat. — Fons et caput impuri dogmatis fuit, quod Nestorius conjunctionem duarum naturarum factam esse putavit, postquam Christus jam formatus esset ut homo integer, humana

personalitate completus, i. e. ut persona humana. Hanc porro personam existimabat cum Verbo conjunctam esse, non unione physica, substantiali, hypostatica ; sed morali, accidentali, per unitatem affectus, operationis ac dignitatis, qua Christus et Verbum unum quid dici posset : eo pene modo, licet nobiliori, quo justi omnes et *unum cum Deo*, et *filii Dei*, et *Dii* dicuntur.

156. Juxta *Eutychelen*, duæ naturæ conjunctæ sunt unione physica immediata, per quamdam confusionem utriusque formæ in unam tertiam. Ante unitionem scilicet fuerunt duæ naturæ : at illæ in ipso incarnationis articulo coaluerunt in unam.

157. Juxta *Monothelitas*, duæ naturæ conjunctæ sunt unione physica mediata, scilicet mediante hypostasi Verbi ; ita tamen ut, post unitionem, ambæ formæ non undequaque distinctæ permanserint, sed elementum humanum partim, nempe quoad voluntatem et operationem, absorptum fuerit elemento divino. — Licet non una fuerit omnium Monothelitarum sententia, ex confessione tamen Macarii in Synodo VI, et epistola Agathonis Papæ satis constat, atque contra Vasquezium tenendum est, eos dixisse, neque *potentiam* neque *actum* voluntatis humanæ in Christo fuisse ; ita ut solam voluntatem divinam remansisse assererent, quæ animam immediate perque animam corpus moveret ad actiones ; essetque una operatio, a divina voluntate Verbi tanquam fonte profluens, et per animam corpusque in externum opus se effundens. Quare actiones Christi pravo quodam sensu [1] vocabant *theandricas* seu *Dei-viriles* : quasi ex divina et humana natura ita procederent, ut divina active, humana passive se haberet. Hinc etiam aiebant naturam humanam esse instrumentum divinitatis, sicut corpus nostrum instrumentum est animæ [2].

158. Q. 3° *Quomodo eamdem unionem factam esse docet veritas catholica?* — R. Ecclesia catholica definit, duas naturas in Christo unitas esse unione hypostatica pura ; ita ut nexus unitionis divinæ naturæ cum humana, sit divina Verbi personalitas, seu subsistentia, ὑπόστασις : unde hæc unio dicitur *hypostatica*.

159. Unio hypostatica in Christo spectata, est *conjunctio qua duæ naturæ, divina et humana, integræ, inconfusæ, impermixtæ, ac suis proprietatibus et operationibus præditæ in se permanentes, subsistunt in una divini Verbi persona* [3].

160. Q. 4° *Quomodo natura et subsistentia humanæ inter se distinguuntur* [4] *?* — R. In homine *natura* distinguitur, et quidem realiter [5] a *subsistentia* sua creata et connaturali. Natura

[1] Concil. Lateran. sub Martino I, an. 649, can. 15. — [2] Cf. Lessius, *De Incarn.* q. 19, art. 1. — [3] Cf. Suar. t. 16, disp. 8.— [4] Vid. supra, tract. *De Deo*, c. 2, art. 1, q. 3o, n. 69 ; et tract. *De Trin.*, introd. § 2. nn. 10, 26 seqq

[5] Scilicet distinctione reali minore, sicut res distinguitur a suo modo, non solum

humana est ipsum *principium quo* activum, id est radix et subjectum omnium facultatum, quæ ad hominis specificam perfectionem pertinent. Quod si consideretur, non tantum in suis constitutivis, sed in tota sua integritate, natura non modo radix, sed etiam actualis omnium humanarum facultatum complexus est.— Natura, seu substantia humana, vocatur quoque *principium elicitivum*, sed remotum, actionum ; et si sumatur in abstracto, vocatur *humanitas*, forma metaphysica hominis.

161. Licet natura sit principium facultatum hominis, et contineat omnem operandi potentiam ; non tamen potest actu operari, imo ne existere quidem, sine *subsistentia*.

162. *Subsistentia*, seu modus subsistendi, est terminus et ultimum complementum naturæ singularis, quo hæc constituitur sui juris, et *adæquatum principium* suarum operationum. Natura completa, per subsistentiam connaturalem terminata, vocatur *suppositum ;* et si intellectualis natura sit, etiam *persona*. Suppositum, vel persona, appellatur quoque *principium denominativum, attributivum* operationum, *principium quod* naturam regit ac per eam operatur.

163. Subsistentia hominis non est *pars naturæ* humanæ, etiam in sua singularitate spectatæ, sed est requisita-1) ut actu existat homo. Sicut fulcrum, cui innititur vectis motorius (*le point d'appui d'un levier*), non est ejus pars, requiritur tamen ut sit vere vectis. — Subsistentia est requisita -2) ut natura possit operari : sicut manus organum musicum pulsans non est quidem pars organi sonantis, tamen ut organum sonare possit, requiritur ut pulsetur manu aliqua, quæcumque illa demum sit, sive servilis sive regia.

164. Natura itaque a subsistentia, tum in existendo tum in operando, dependet, ita ut nec existere possit nec operari, nisi quatenus subsistens ; quare operationes tribuuntur non naturæ tantum, sed naturæ subsistenti seu supposito, juxta axioma : *Actiones sunt suppositorum*.

165. *Natura singularis* accipi potest, seu spectari, vel *abstracte* aut *in abstracto*, vel *concrete* aut *in concreto*. Dicitur in abstracto spectari, si consideretur secundum se, præscindendo a subsistentia seu personalitate, qua terminatur, in qua subsistit. — Dicitur spectari in concreto, si consideretur *directe* quidem, seu, ut aiunt, *in recto*, secundum subsistentiam a qua terminatur ; *indirecte* vero, et *in obliquo*, secundum se. Sic ex. gr. si *natura humana Christi* spectetur in suis elementis et proprietatibus creatis, non attenta, saltem directe, personalitate Verbi, in qua hæc natura subsistit ; consideratur in abs-

negativo, sed, juxta probabiliorem sententiam, positivo. Cf. supra, *De Trinit.*, n. 25, 30. Item Suar. t. 16, disp. 8, sect. 3 ; *Metaphys.* disp. 34, sect. 4. Item Lessius, *De Incarn.* q. 2, art. 3.

tracto. Si vero directe attendatur personalitas illa divina, ipsa vero natura tantum indirecte spectatur : consideratur in concreto.

166. Q. 6° *Quomodo aliqua persona potest esse homo, quin sit persona humana ?* —R. Persona [1] est complexus ex natura intellectuali completa ac singulari, et ex subsistentia qua terminatur; ita tamen ut hoc nomine *persona*, veniat *subsistentia* in recto, *natura* in obliquo.

167. Persona, habens naturam humanam, dicitur *homo*. — At hic sedulo distinguendus est *homo*, a *supposito humano* vel *persona humana*. Etenim persona humana est illa, quæ constat natura humana et subsistentia huic *connaturali ;* seu, quæ habet naturam humanam terminatam subsistentia *ejusdem ordinis*. Atqui non est absolute necesse ut homo, i. e. persona habens naturam humanam, habeat illam terminatam subsistentia connaturali ; sed fieri potest ut habeat terminatam subsistentia ordinis superioris, imo divina. Ergo non est absolute necesse ut *homo* sit *persona humana ;* sed potest esse persona superior, aut etiam *divina*.

168. Q. 7° *Quo pacto Christus est verus homo et tamen persona divina ?* — R. Uti supra [2] explicatum est, *in Deo* quoque *natura* a *subsistentia*, seu personalitate, non quidem realiter, sed *virtualiter* distinguitur. Natura enim unica est, subsistentia vero trina, quæ in concreto spectata tres personas SS. Trinitatis, *realiter* inter se distinctas, constituit. — Si personam Verbi spectemus, hæc per eamdem suam divinam subsistentiam, qua sustentat ac regit naturam divinam, assumpsit, i. e. attraxit ad se (si ita loqui fas est) primo instanti Incarnationis, naturam humanam, quam simul cœpit sustentare ac regere. Atque ita hanc naturam assumendo, eo ipso fecit *suam*, eamque possidet ut propriam, nunquam dimittendam : et ipsa vicissim *natura humana* assumpta *personalitatem divinam obtinet*, per eam terminatur, in ea subsistit. Hinc exsurgit *homo*, i. e. persona naturam humanam habens, quæ tamen *non* est *persona humana*, *sed divina*.

PROPOSITIO I.

Unica est in Christo admittenda eaque divina persona.

169. *De fide*, ut ex Symbolis manifestum est, et in Concil. Ephes. et Chalcedon. definitum.

170. PROB. 1° *Scriptura*. Unica eaque divina persona agnosci debet, si una eademque persona divina, scilicet Verbum, exhibetur agens in natura divina æque ac in humana ; id est, si uni eidemque divinæ personæ tribuuntur quæ in utraque natura gesta sunt ; atqui hoc in Christo Scripturæ exhibent ; ergo in

[1] Ex dictis supra *De Trinit.* n. 25 seqq. — [2] Tract. *De Deo* et *De Trin.*

Christo unica, eaque divina persona agnoscenda est. *Prob. min.* Apostolus ita de Christo scribit : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Philip. II, 6 seq.

171. 2° *Traditione.* S. Ignatius : *Unus medicus est, carnalis et spiritualis, factus et non factus, in carne genitus Deus... et ex Maria et ex Deo; primo passibilis et tunc impassibilis, Jesus Christus Dominus noster.* Epist. ad Ephes. cap. 7.

172. S. Augustinus, in *Enchiridio*, cap. 35, ante exortam Nestorianam hæresim scribebat : *Christus Jesus, Dei Filius, est et Deus et homo. Deus, quia Dei Verbum.* Deus *enim* erat Verbum ; *homo autem quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis et caro.*

173. 3° *Ratione theol.* Si duplex in Christo persona, quod Nestoriani contendunt, quacumque demum unione accidentali conjuncta poneretur, sequerentur consectaria toti Evangelio contraria. Nam in illa hypothesi, jam non unus sed duplex foret Christus ; actumque esset de ejus divinate, de Incarnationis mysterio, atque adeo de œconomia redemptionis.

174. Deinde, idem Christus dicitur Deus et homo ; atqui hoc dici non potest, nisi unio hypostatica naturæ humanæ cum persona Verbi existere supponatur. Fieri enim nequit, ut duæ naturæ seu formæ de se invicem prædicentur in concreto, nisi in subsistentia uniantur, ita ut unum suppositum constituant ; quandoquidem forma in concreto enuntiata designat suppositum. Sic dicere possum : iste homo est vestitus, iste vestitus est homo ; non vero : ista vestis est homo ; quia vestis et homo sunt duo supposita distincta. — Similiter de propheta, cui Spiritus sanctus inhabitando moraliter unitus est, dicere quidem possum : hic propheta est homo ; et : hic propheta est Deo plenus; nequaquam vero : hic propheta est simul homo et Deus. Quare, cum idem Christus, omni proprietate verborum, et homo dicatur et Deus, divinam humanamque naturam in una sua divina subsistentia conjunctas habeat necesse est.

PROPOSITIO II.

Natura divina et humana, per unitionem in persona Verbi, non coaluerunt in unam ; sed utraque post unitionem inconfusa, impermixta et integra permansit.

175. *De fide*, ex definit. Chalced., imo ex Symbolo Nicæno, ubi naturæ Christi divina et humana describuntur.

176. Dicitur utraque natura post unitionem permansisse *inconfusa*, *impermixta* et *integra*, ut excludantur variæ hypotheses Monophysitarum. Ex duabus enim naturis unam factam esse contendebant, alii per quamdam commixtionem, alii per

alterutrius consumptionem et mutationem in alteram, alii per duarum naturarum exstinctionem et conversionem in tertiam ; alii demum par coalitionem, seu compositionem duarum naturarum in unam. Hæc autem omnia contradicunt catholico dogmati.

177. PROB. 1° *Ex supra demonstratis.* Demonstratum est Christo inesse naturam divinam et simul humanam perfectas ; ergo utraque natura post unitionem mansit integra.

178. 2° *Scripturæ* de uno Christo affirmant proprietates divinas, quæ non nisi divinæ naturæ, et humanas, quæ non nisi humanæ conveniunt ; ergo implicite affirmant utramque naturam Christo post unitionem inesse. *Prob. anteced.* Ex una parte Christum Deum dicunt ab æterno genitum, æqualem Deo, unum cum Patre ; ex altera, genitum ex semine David, factum ex muliere, Patre minorem ; ergo Scripturæ uni Christo proprietates divinas et humanas, ac proin implicite utramque distinctim naturam inesse affirmant.

179. 3° Si est una tantummodo natura in Christo, ea vel divina est, vel humana, vel neutra, vel divina simul et humana. Si sola est natura divina, Christus non est homo ; si sola humana, non est Deus ; si neutra, nec homo est nec Deus ; si divina simul et humana, talis natura nec Dei est, (quippe qui nihil humani vel creati compatitur), nec hominis : et sic Christus nec consubstantialis Patri æterno esset nec matri temporali. Ergo duæ distinctæ naturæ in Christo admittendæ sunt.

180. OBJIC. Sunt inter veteres Patres qui divinitatis cum humanitate conjunctionem appellant *mixtionem*, *conversionem ;* imo S. Gregorius Nyssenus[1] dicit, carnem divinitate commixtam, hac mixtione divinitatis participasse virtutem : eo fere modo, inquit, quo, si aceti gutta in oceanum projiciatur, ipsa per hanc mixtionem fit mare, suamque amittit qualitatem naturalem. Ergo.

181. *Resp. dist. antec.* Dicitur mixtio quidem, sed talis, ut integræ permaneant utriusque naturæ proprietates, *conc.*, ut hæc destruantur, *neg.*

182. Patres, ut duarum naturarum in Christo intimam unionem exprimerent, eam appellabant *mixtionem :* quatenus scilicet mixtio plura elementa conjungit, non vero quatenus conjungendo confundit[2]. — S. Gregorius Nyssenus dicit naturam humanam divinitatis participasse virtutem ; ita tamen, ut salva permaneret et integra natura humana. Hoc et ipse S. Pater declarat, idque patet ex scopo quem sibi proposuit. Ostendere enim voluit humanæ naturæ præstantiam, et splendorem quem obtinuit ex tam arcto cum divinitate consortio, quo tota in po-

[1] Orat. IV, *contra Eunomium*, et epist. *ad Theophilum.*
[2] Cf. Suarez, tom. 16, disp. 17, sect. 3 et 4.

foris, nempe divinæ naturæ, censum translata sit, iis duntaxat reservatis, quæ humanitatis propria sunt eique congruenter annexa : qui status maxime post Christi resurrectionem obtigit. Ad hunc porro infinitum excellentiæ et dignitatis splendorem, qui ex divina natura in hanc inferiorem redundat, aliqua ratione adumbrandum, diversis similitudinibus PP. usi sunt. Alii enim ferri igniti, alii aeris luce perfusi, alii superexcedentis luminis quo lumen minus evanescere videtur, similitudinem protulerunt. S. Gregorius Nyss. vero usus est ad eumdem finem similitudine guttulæ aceti in mare projectæ, qua adeo Eutychiani abusi sunt. Namque, ut Anastasius Sinaita in *Odego* Cap. 13, apposite in hanc rem scribit, *Divinus Gregorius mentionem fecit pelagi et aceti, non ut res ipsas confunderet, sed ut exemplo aliquo tenuitatem et parvitatem nostræ naturæ, cum infinito et incomprehenso illo divinitatis pelago comparatæ, demonstraret.* Cæterum in hac ipsa *Oratione* 4 *contra Eunom.*, S. Gregorius seipsum explicans immediate subdit : *Carnis tamen et divinitatis proprietatum inconfusa permanet contemplatio.*

PROPOSITIO III.

Duæ sunt in Christo naturales operationes et voluntates, indivisæ et inconfusæ.

183. *De fide*, ut patet ex definitione Synodi œcumenicæ VI, in qua dicunt Patres : *Et duas naturales voluntates in eo* [Christo], *et duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum Patrum doctrinam adæque prædicamus.*

184. Dicitur in propositione, *duæ operationes et voluntates naturales :* h. e. duæ operationes procedentes ex utraque natura tanquam principio *quo*, ita ut alteræ sint a divina natura elicitæ, ac proin formaliter divinæ : alteræ a natura humana, ac proin formaliter humanæ, et, quantum ad substantiam actuum, similes nostris ; — item duæ voluntates, quarum altera propria est divinæ naturæ : altera vero propria naturæ humanæ, ab eaque ut fonte dimanans. Quare dicitur quoque *inconfusæ*, respectu nempe utriusque distinctæ naturæ : ut indicetur utramque, tamquam duplex *principium quo*, actus quoque duplicis et diversi ordinis elicere : utramque voluntate sua propria et connaturali pollere.

185 Notandum est *voluntatem humanam* distingui duplicem: alteram improprie dictam, vel *voluntatem sensualitatis*, quæ nihil est aliud quam appetitus sensitivus ; alteram proprie dictam, vel *voluntatem rationis*, quæ idem est ac appetitus rationalis. – Porro voluntas proprie dicta accipi potest pro *potentia* vel pro *actu*. Si accipitur pro potentia, unica tantum voluntas

humana proprie dicta in Christo fuit, sicut et in nobis ; si pro actu, duæ fuerunt in Christo voluntates humanæ, i. e. duo genera actuum voluntatis : nimirum -1) voluntas *naturalis*, seu *ut natura*, quæ voluntas inefficax est, ac potius *velleitas* dicenda; consistitque in simplici complacentia vel displicentia, qui *in nobis* sunt actus indeliberati et necessarii. -2) Voluntas *rationalis*, seu *ut ratio*, quæ efficax, ac *vera* voluntas, vel *volitio* est, et in electione consistit. Priore, h. e. voluntate naturali, Dominus refugiebat mortem ; altera, h. e. voluntate rationali, mori volebat, et in omnibus voluntati Patris obsequebatur.

186. PROB. I PARS. *Duæ sunt operationes.* Scriptura tribuit Christo operationes modo divinas, ut miracula proprio nomine patrata, remissionem peccatorum, vitæ æternæ largitionem ; et modo humanas, ut esurire, sitire, lassari, lacrymari, pati, vulnerari ac mori; ergo Christus duas distinctas operationes habuit.

187. II PARS. *Duæ voluntates.* 1° Ex dictis sequitur utramque naturam suas proprias habuisse operationes, ac proin facultates : atqui volitio humana est operatio propria naturæ humanæ; et ejus facultas, seu principium immediate elicitivum, est voluntas humana : — item, volitio divina est operatio propria naturæ divinæ, et ejus principium est voluntas divina ; ergo ex dictis sequitur, in Christo esse duplicem et distinctam tum volitionem tum voluntatem, divinam nempe et humanam.

188. 2° Patet ex factis : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste ; verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. XXVI, 39; vel ut Luc. XXII, 42 : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Sensus scilicet orationis Christi, hisce verbis æquivalentibus explicari potest : *Pater, peto a te,* VOLUNTATE HUMANA, RATIONALI *et efficaci, ut fiat, non mea inclinatio, seu* VOLUNTAS HUMANA NATURALIS, *quæ desiderio inefficaci deprecatur mortem; sed tua, Pater,* VOLUNTAS DIVINA *fiat.* Ergo erat in Christo voluntas humana, et quidem tum naturalis tum rationalis [1].

QUÆSTIONES.

1o *Quænam sunt hypostaticæ unionis proprietates ?* — 2o *An Christus, cum non habeat subsistentiam humanam, dici potest habere humanitatem completam ?* — 3o *An verbum, uniendo sibi substantialiter humanitatem, nullam subiit mutationem ?* — 4o *An nullo sensu unio Verbi cum humanitate dici potest accidentalis ?* — 5o *Quomodo Christi operationes distinguuntur ?*

189. QUÆR. 1° *Quænam sunt hypostaticæ unionis proprietates?*—R. Ex definitione unionis hypostaticæ supra positæ [2] sequitur -1) conjunctionem duarum naturarum factam esse *mediate* inter se, *immediate* vero in personalitate Verbi. -2) Verbum in Virginis uterum descendisse, ratione prius quam fieret homo ;

[1] Suar. tom. 16, disp. 4 et 5; item disp. 37. — [2] N. 159.

sicut lana alba in purpuram ratione prius intingitur, quam coloretur. -3) Subsistentiam sive personalitatem Verbi, respectu humanitatis non se habere instar subjecti, quod eam sustentet velut formam suam, sive susbstantialem sive accidentalem, a qua scilicet personalitas illa determinetur et perficiatur ; neque etiam instar formæ, quæ ab humanitate sustineatur et aliquo modo compleatur : sed instar termini, a cujus intima unione natura humana in existendo et operando dependet. -4) Personam Verbi operari ut *principium quod* in utraque natura, tanquam sibi propria ; utramque autem naturam, ut *principium quo* exercere proprios actus realiter distinctos.

190. -5) Demum sequitur, unionem naturæ humanæ cum personalitate divina in Christo, differre multum ab unione naturæ humanæ cum personalitate connaturali in aliis hominibus. Nam -*a*) posterior hæc unio est naturalis, i. e. per se debita naturæ ; prior vero unio est supernaturalis omnino et indebita. -*b*) Illa versatur inter res distinctas [1] tantum distinctione reali minore, scilicet inter rem et modum; altera vero, inter naturam creatam et Verbum divinum, quæ sunt res inter se distinctæ distinctione majore, licet substantialiter conjunctæ. -*c*) Priore unione natura perficitur per subsistentiam a qua terminatur, et ipsa vicissim subsistentia a natura pendet, et consequenter ab illa in suo genere perficitur ; in posteriore vero unione, natura quidem humana perficitur per subsistentiam divinam, et ab illa suo modo pendet : subsistentia autem divina per naturam humanam nihil omnino in se perficitur [2].

191. Q. 2° *An Christus, cum non habeat subsistentiam humanam, dici potest habere humanitatem completam ?* — Resp. affirmative. Nam humanitas completa dicitur, quum instructa est omnibus eam complentibus in ratione naturæ ; atqui Christus habet humanitatem iis omnibus instructam. Nec obstat carentia subsistentiæ humanæ, seu connaturalis ; nam hæc non complet humanitatem in ratione naturæ, sed in ratione connaturaliter seu humanitus subsistentis ; ergo Christus habet naturam humanam completam, licet non connaturaliter subsistentem. Quare dicendus est perfectus homo, cum sit persona habens perfectam naturam humanam. Ex eo autem quod non habet subsistentiam connaturalem, sequitur tantum eum non esse *personam humanam*. — Nec dicas : saltem Christo deest aliquod complementum, aliqua perfectio, quæ nobis inest, i. e. personalitas humana; nam respondeo : deest formaliter, *conc.*, eminenter, *neg.* ; suppletur enim per subsistentiam divinam.

192. Q. 3° *An verbum per Incarnationem ullam subiit mutationem ?* — Resp. negative. Quando enim Verbum naturam

[1] Cf. supra, Tract. V, *De Deo divinisque attributis*, n. 64, 65. — [2] Cf. Suar. t. 16, disp. 8, sect. 2. — Lessius, *De div. perfect.* l. 12, c. 6, n. 22.

humanam, tota SS. Trinitate eam illi uniente, ad suam personalitatem assumpsit, nihil novi in se ipso accepit, quo perficiatur, compleatur vel imminuatur; sed potius aliquid novi suscepit humanitas, scilicet modum unionis cum Verbo : qua unione stante, maxime perficitur a Verbo, utpote per divinam ejus subsistentiam terminata, fulta, atque infinite dignificata ; ita ut tota mutatio penes humanitatem contigerit. Hæc nempe veluti est insita Verbo, exaltata, illustrata Verbo, sicut solis lumine illustratur crystallum. Nullam autem in Verbum exercet causalitatem, sive materialem, sive formalem : cum illud minime informet, nec ab eo informetur, sed simpliciter ab eo terminetur ad subsistendum. Est itaque Verbum duntaxat purus unionis terminus, quia tota unio realiter inest humanitati ut ejusdem unionis subjecto, quod proinde mutatur et perficitur, dum constituitur terminatum hypostatice a persona Verbi.

193. Q. 4° *An nullo sensu unio Verbi cum humanitate dici potest accidentalis?* — R. Potest *accidentalis* dici sensu *logico*, i. e. prout *accidentale* opponitur *essentiali :* nequaquam vero sensu physico, i. e. prout *accidentale* opponitur *substantiali*. Scilicet loquendo logice, dicere possum advenisse humanitatem Verbo accidentaliter : quia humanitas non est de essentia Verbi ; loquendo autem physice, dicenda est humanitas advenisse Verbo substantialiter : quia illi advenit mediante unione substantiali [1].

194. Q. 5° *Quomodo Christi operationes distinguuntur?* — R. Theologi triplex operationum genus in Christo distinguunt : -1) earum quæ solius Dei sunt propriæ, ut mundi creatio et conservatio : -2) earum quæ soli naturæ humanæ conveniunt, ut edere, bibere, pati, mori ; -4) earum quæ mixtæ quodammodo sunt ex utraque natura, ut quando Christus puellam manu apprehendens suscitavit, Matth. IX, 25 : contactus enim erat naturæ humanæ, miraculum vero divinæ. — Porro omnes Christi operationes quæ non sunt mere divinæ, i. e. non tantum operationes tertii sed etiam secundi generis, *theandricæ*, seu *Dei-viriles*, merito vocantur. Etenim sunt *Dei*, quia procedunt a persona divina ut principio *quod*, i. e. attributionis : sunt *viriles*, quia eliciuntur humana natura tanquam principio *quo*, i. e. elicitivo, saltem partiali [2].

ARTICULUS IV.

DE CHRISTI PERSONA IN CONCRETO.

195. Hactenus Incarnationis mysterium per partes consideravimus ; jam sequitur ut totum illud divinum et ineffabile compositum, quem vocamus Christum, verbum scilicet incar-

[1] Cf. supra, quæst. præv. Q. 1°, n. 149. — [2] Cf. S. Thom. p. 3. q. 19, a 2.

natum, in concreto consideremus ; atque ita discamus quomodo humanitas assumpta a Verbo divino, vere divinitatem participet.

Propositio I, *de idiomatum communicatione.*
Propositio II, *de filiatione naturali.*
Propositio III, *de maternitate divina Mariæ.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto, nequaquam vero in abstracto.

196. *Ad fidem spectat*, cum fluat ex dogmate unionis hypostaticæ, et supponatur in Symbolis, prædicantibus eumdem Christum esse Filium Dei ante omnia sæcula genitum, et natum ex Maria, passum ac mortuum.

197. *Idioma* hic Theologis idem est ac *proprietas*, vel potius proprietas quatenus prædicata, seu *prædicatum*. — *Communicatio idiomatum*, græce ἀντίδοσις *mutua communicatio*, est proprietatum seu attributorum divinorum et humanorum mutua prædicatio, ratione identitatis personæ, quæ simul Deus est et homo. In eo consistit, ut proprietates divinæ naturæ attribuantur Christo homini ; et vicissim proprietates humanæ naturæ attribuantur Christo Deo.

198. Dicitur hanc vicissitudinariam prædicationem recte fieri *in concreto :* i. e. in recto de persona et simul in obliquo de natura ; v. g. *Hic homo est Deus, hic Deus est homo ;* ita ut sensus sit : *hæc persona, habens hanc naturam humanam, est Deus ;* et vicissim : *hæc persona, habens naturam divinam, est homo.* — Non vero *in abstracto :* i. e. in recto de natura, in obliquo de persona, ex. gr. *Hæc humanitas est immensa, divinitas est passa*, ita ut sensus sit : *hæc natura humana, quæ unitur Verbo est immensa, divinitas, quæ hypostatice unitur naturæ humanæ, est passa.*

199. PROB. I PARS, *in concreto*. Hanc idiomatum communicationem Scripturæ et PP. exhibent. 1° In Actibus Apostolorum dicit Petrus, *Jesum auctorem vitæ a Judæis interfectum*. III. 15.

200. 2° Gregor. Nyssenus : *Propter exactam assumptæ carnis assumentisque divinitatis unitatem, mutuo nomina permutantur, ut quod humanum est divino, quod divinum est humano nuncupetur*. Epist. ad Theophil.

201. 3° *Ratione theologica*. Ex unione hypostatica sequitur, utramque naturam cum suis proprietatibus esse propriam ejusdem personæ Verbi ; ergo de eadem persona, quæ sunt divinitatis et quæ sunt humanitatis, eodem jure prædicari possunt : ergo proprietates, modo considerentur ut unitæ Verbo,

h. e. in concreto, prædicari possunt et debent de persona illa quem vocamus Christum, quocumque eum nomine designemus, sive innuente proprietates divinas sive humanas. Hoc enim modo loquendi nihil aliud præstamus, nisi quod personæ Christi proprietates attribuimus quas vere possidet.

202. II PARS. *In abstracto* autem non licet hujusmodi nominum permutatione uti, seu de divinitate prædicare quæ humana sunt, et vicissim; hoc enim esset alicui formæ tribuere proprietates, quas reapse non habet nec habere potest: hoc esset confundere naturas et incidere in Eutychianismum.

203. *Notandum*. 1° Coram simplicioribus ac rudibus caute utendum est iis locutionibus, quæ, licet veræ sint, tamen offensioni esse possent; et ideo utile est adjungere determinationem explicitam: v. g. Filius Dei est corporeus, passus est, *secundum humanam naturam, non secundum divinam.*

204. 2° Non sunt negandæ in concreto proprietates alterutrius naturæ, nisi mentione hujus adjecta; v. g. si dicas: *Deus passus non est*, adde: *secundum divinitatem;* quia negatio est malignantis naturæ, et nisi coarctetur ejus sensus, removet prædicatum a subjecto sub omni respectu.

205. 3° Ex secunda parte Propositionis patet, quomodo Protestantes ii qui *Ubiquistæ* dicuntur, eo quod Christi humanitati ubiquitatem tribuunt, in Eutychianam hæresim incidant. — Ut illam ubiquitatem seu immensitatem probent, hoc utuntur argumento: Humanitas est inseparabiliter unita Verbo; atqui Verbum est ubique; ergo et humanitas. Respondetur autem: *Dist. min.* Verbum ubique est unitum humanitati, *conc.;* ubique est *in* et *cum* sua humanitate, seu, ubicumque est Verbum ibi est humanitas ei unita, *neg.* Scilicet humanitas est unita naturæ divinæ et quidem *toti*, sed *inadæquate*, et prout fert humanæ limitationis conditio. Non aliter, dum sol suo luce crystallum pervadit, ubicumque est crystallum ibi est lux, non vero contra.

PROPOSITIO II.

Jesus Christus est Filius Dei naturalis, non autem adoptivus.

206. *De fide*, ex defin. Concilii Francofordiensis, approbata a Rom. Pontifice Adriano I; qua Christus, in utraque natura subsistens, declaratur *Filius Dei proprius et naturalis nequaquam adoptivus.*

207. Propositio considerat Christum in concreto, prout est *hic homo*, eumque statuit esse Filium naturalem Dei; et hoc est de fide. Quod si natura humana in abstracto concipiatur, et ut distincta a persona Verbi in qua subsistit, an ita possit dici *adoptata*, quæstio est otiosa quidem, ut videtur, et aleæ plena,

attamen fidem non afficiens. — Propositio dirigitur contra Adoptianos sæculi VIII, qui naturam Christi humanam in concreto, seu Christum ut hic homo est, dicebant esse adoptivum.

208. Quæstio hic occurrit de filiatione naturali et adoptiva, quid sint, et quomodo distinguantur?

209. *Filiatio* est relatio filii ad parentem.

210. *Filiatio adoptiva* fundatur in adoptione, quæ est *assumptio personæ extraneæ in propriam hæreditatem.*

211. *Filiatio naturalis* fundatur in naturali generatione, et definiri potest: *Relatio personæ unius ad alteram personam, a qua genita est.* Oritur ex generatione passiva, et afficit personam.

212. Scilicet generatio [1] tribuendo *naturam* subjecto, *terminatur ad* suppositum seu *personam*, et huic personæ relationem filiationis imprimit. Etenim posita aliqua generatione, verum est æternumque verum erit, personam genitam a generante suam naturam traxisse, quod relationem filiationis constituit. — Hinc sequitur, omni generationi respondere filiationem; et si duplex fuerit uni personæ generatio, duplicem quoque ei filiationem inhærere. Unde Verbum incarnatum duplicem filiationem habet: est enim simul Filius Dei Patris ratione generationis æternæ, et Filius Mariæ ratione generationis in tempore.

213. Relatio filiationis ita inhæret personalitati, ut per eam in naturam totumque suppositum redundet ac diffundatur; adeo ut, si suppositum complectatur naturam duplicem, filiatio in utramque derivetur. Quare unigenitus Dei Filius, assumendo hypostatice humanitatem, huic communicavit, una cum subsistentia, inhærentem subsistentiæ filiationem; unde in totum ejus suppositum dimanavit filiatio divina, qua totum illud suppositum, totus Christus, existit Filius Dei. Dicitur *totus Christus*, i. e. non tantum qua Deus, sed etiam qua hic homo, Christus est verus et naturalis Filius Dei Patris [2].

214. PROB. 1° *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. I, 35. — *Deus... proprio Filio suo non perpercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Rom. VIII, 32.

215. 2° PP. Chalcedonenses: *Sequentes igitur sanctos Patres, unum et eumdem confiteri Filium et Dominum nostrum, Jesum Christum, communi omnes consensu docemus.* Acta Conc. Chalced. actione V.

216. Huc accedunt fidei Symbola, in quibus Christus perhibetur ut Filius Dei, qui natus est ex Maria Virgine.

217. 3° *Ratione theol.* Filiatio est relatio insita personæ; atque Christus, qua hic homo, est persona Filii Dei; ergo Christus, qua hic homo, habet filiationem divinam. — Deinde, adoptio est assumptio personæ extraneæ in propriam hæreditatem;

[1] Cf. Perrone, *De Incarnat.* n. 378. Item supra, tract. *De Trinit.* n. 41.
[2] Perrone, ibid.

atqui Christus, qua hic homo est, dici nequit persona Deo extranea : ergo neque dici potest Filius adoptivus Dei.

218. *Notandum.* Hæ formulæ : *Christus, qua hic homo ;* et : *Christus, qua homo,* nequaquam idem sonant. Prior directe significat *personam,* ita ut sensus sit : *Christus, i. e. hæc persona habens naturam humanam.* Posterior duplici sensu accipi potest : vel ita ut directe significet *personam,* indirecte *naturam,* vel vice versa.

PROPOSITIO III.

Beata Virgo vere ac proprie Deipara vocatur et est.

219. *De fide,* ut patet ex Conc. œcum. Constantinop. II. Collat. VIII, anathematismo VI, definiente B. Virginem *proprie et veraciter esse Dei Genitricem.*

220. Maternitas, sicut et paternitas, correlativum est filiationi. Oritur autem ex generatione activa, et insita est personæ generanti ; ac refertur non tantum ad naturam, sed ad totum suppositum, seu personam genitam. Hinc sequitur, latius patere maternitatem quam generationem activam ; nam mulier personam quampiam pariens, maternitatem habet erga personam a se genitam, etiamsi hæc subsistat in altera quoque natura, quam ipsa mater generando non contulit. Sic Maria, licet Verbum Deum non genuerit secundum naturam divinam ; tamen, quia eum genuit secundum naturam humanam, vere Mater Dei vocatur et est [1].

221. PROBATUR. 1° *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc, 156. — *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Gal. IV, 4.

222. 2° Patres antiquissimi B. Virginem nominatim Θεοτόκον appellant, ut Origenes, Dyonisius Alex., Alexander item Alexandrinus, Athanasius, Basilius, Greg. Nazianzenus, apud Petavium [2].

223. Impius apostata Julianus Christianos exagitabat, quod Christi matrem passim Dei Genitricem nominarent : *Atqui vos,* inquit, *Mariam non cessatis vocare* Θεοτόκον, *id est, Dei Genitricem* [3].

224. 3° Terminus generationis est persona, seu totum et integrum suppositum ; persona autem in Christo, quem genuit B. Virgo, unica est, eaque divina, gerens utramque naturam ; ergo B. Virgo, quæ genuit personam divinam, seu Deum in assumpta carne, Dei Genitrix vere et proprie est, ac talis est nuncupanda. — Rursum : Persona Verbi veram in utero Virginis subiit generationem ; ergo veram filiationem erga eam

1 Cf. Perrone, *De Incarn.* n. 378, 379. — 2 Lib. 5, c. 15.
3 Cyrill. opp. tom. VI, p. 262.

contraxit; ergo Virgo vicissim contraxit veram maternitatem erga personam Verbi, qui Deus est; ergo B. Virgo vere Dei genitrix est. — Rursum : Idem suppositum divinum, quod ratione naturæ est extraneum B. Virgini, fit ei proprium et filiale ratione naturæ humanæ via generationis; ergo B. Virgo est Mater Dei.

QUÆSTIONES [1].

1° *An persona Christi potest dici composita?* — 2° *Quomodo incarnatio et nativitas Christi facta est?* — 3° *Quid circa mysteria vitæ, passionis, mortis et resurrectionis Domini notandum est?*— 4° *Quæ et quanta fuit in Christo scientia?* — 5° *Quæ et quanta fuit in Christo gratia?* — 6° *Quibus virtutibus ornata fuit anima Christi?* — 7° *Quomodo differt plenitudo gratiæ in Christo a plenitudine gratiæ in Sanctis?* — 8° *Quomodo Christus crevit sicut ætate ita sapientia et gratia?* (Luc. II, 40, 52.)

225. QUÆR. 1° *An persona Christi potest dici composita?*— R. Persona Christi concrete spectata, potest dici composita, si sermo sit non de compositione partium, sed de unione distinctorum [2]. Est enim Christus *unus, unumque* suppositum, constans ex diversis rebus, inter se unione, non accidentali, sed substantiali, eaque non essentiali vel naturali, sed hypostatica, mirabiliter unitis.

226. Q. 2° *Quomodo incarnatio et nativitas Christi facta est?* — R. Conceptio Christi miraculose peracta est, sola nempe Spiritus S. virtute, qui Verbo in Virginem descendenti animam aptavit humanam, corpusque humanum ex purissimo immaculatæ Dei Genitricis [3] sanguine formatum. Ipsa enim Dei Mater, non secus ac mater communis, filii sui carnis materiam ministravit. — Operatio autem Spiritus sancti non per modum generationis facta est, cum nequaquam de sua substantia produxerit sibi natura similem; sed fuit quædam mirabilis efficacia, Virginis visceribus divinitus conferens fecunditatum. — Porro hæc operatio, utpote opus ad extra, totius quidem Trinitatis fuit; quatenus autem opus est amoris et fecundationis, speciali ratione Spiritui sancto attribuitur.

227. Peperit Maria absque dolore vel infirmitate [4]; decebat enim, ut, quæ sine libidine conceperat, sine dolore parturiret. Egressus est in lucem Christus ex utero clauso Matris, sicut postmodum ex utero terræ renascens, sepulcro clauso et illæso

[1] Cf. S. Thom. p. 3, qq. 27, 59; Suarez, tom. 17, disp. 1-50. Item Dens, *De Incarn.* n. 30 seqq.; Billuart. *Tract. de mysteriis Christi*, et B. Virginis.

[2] Suar. tom. 16, disp. 7, sect. 3 et 4. — [3] De B. Virginis dignitate, deque nativitate ac infantia, de perfectione gratiæ et meritorum ejus, nec non de B. Joseph. V. Suarez, t. 17, disp. 1-9 et 18-23.

[4] Concil. Trull. an. 680, can. 98. — Suar. tom. 17, disp. 13, sect. 1 et 2.

lapide mirabiliter evasit : quemadmodum fere solaris radius purissimum transmeat crystallum.

228. Q. 3° *Quid circa mysteria vitæ, passionis, mortis et resurrectionis Domini notandum est ?*—R. Natus est Christus die 25 decembris, anno mundi circiter 4000 juxta Hebræos, 5386 juxta LXX interpretes, 7^mo^ ante æram vulgarem [1]. Circumciscus est octavo die, probabilius in ipso stabulo, ubi natus erat, ab ipso nutritio suo S. Joseph. Nullus enim locus ad hoc erat lege statutus, nec illud ministerium erat sacerdotibus reservatum.

229. Vocatum est Nomen ejus JESUS, h. e. Salvator, quod Nomen est Verbi incarnati proprium, Nomen sanctissimum, quod Deus Pater specialiter vult esse venerandum : *Dedit ei Nomen, quod est super omne nomen: ut in Nomine Jesu omne genu flectatur.* Phil. II, 9, 10. — Alii quidem idem nomen habuerunt, ut Josue, Jesus filius Sirach, Jesus filius Josedech [2]; sed soli Christo perfecta ejus significatio convenit.

230. Dominus Jesus vocatur quoque CHRISTUS, hebraice *Messias*, latine *Unctus*, quia unctus fuit a Patre in Sacerdotem, Prophetam et Regem. Nomine *Christi* itaque speciatim dignitates et munia Salvatoris designantur.

231. Natus Salvator mox aliquibus personis manifestatus est, nimirum pastoribus, qui velut primitiæ Judæorum, et Magis, qui primitiæ gentilium fuerunt. Hæc Christi manifestatio *Epiphania* est appellata.

232. Magos, i. e. Sapientes, fuisse reges seu regulos, antiqua fert traditio [3]; quam confirmare videtur Ecclesia, dum in officio festi Epiphaniæ indicat fuisse Magorum adoratione impletam prophetiam Psalmi LXXI; *Reges Tharsis et insulæ munera offerent : reges Arabum et Saba dona adducent.* — Tres tantum fuisse numero, quorum nomina Melchior, Gaspar et Balthasar, traditio pariter commemorat [4]. Ab oriente venerunt, videlicet, ut probabilius existimatur, ex Arabia felici, quæ regio ferax auri et aromatum. Quo spectare videntur et hæc verba ab Ecclesia Epiphaniæ applicata : *Dabitur ei de auro Arabiæ.* Ps. LXXI.

233. Venerunt autem interne a Deo illuminati, duce nova stella, non inter cæteras exorta, sed in aere terræ vicino miraculose formata, quæ eis die nativitatis Domini apparuit. Adoraverunt Christum in Bethlehem, et, juxta traditionem ibidem conservatam, in ipso nativitatis loco. Advenerunt autem, ut videtur, die 12^a^ a Nativitate, quo die Ecclesia festum Epiphaniæ celebrat.

1 Cf. Patrizi, *De Evangeliis*, lib. 3. — 2 Eccli. I, 29; Agg. I, 1.
3 S. Leo, *Serm. de Epiphan.*
4 Beda in *Collectaneis*. Cf. Suar. tom. 17, disp. 14, sect. 2, 3.

234. Obtulerunt Christo munera ; quæ Juvencus, apud S. Hieronymum, hoc versiculo celebravit :

> Thus, aurum, myrrham, Regique, Hominique, Deoque
> Dona ferunt...

235. In sensu morali, oblatum aurum charitatem, thus orationem, myrrha mortificationem significat.

236. Christus Dominus pauperem vitam duxit, probabiliter interdum mendicare coactus : *Ego mendicus sum et pauper* (Ps. XXXIX) ; non tamen plerumque adeo inops, ut ex mendicato aleretur. Nam, usque ad baptismum, vixit labore manuum ; et prædicationis tempore sequebantur eum mulieres, quæ ei de facultatibus suis ministrabant. Luc. VIII. — Paupertatem suam professus est dicens : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Matth. VIII. Quibus verbis se nihil, aut quasi nihil, particulari dominio possidere significavit. Dominio vero communi, cum suis scilicet Apostolis, nonnulla aliquando habuit, ut ex loculis quos Judas portabat manifestum est.

237. Christus non sicut Joannes Baptista austerum et solitarium vitæ genus est amplexus ; sed communem inter homines vitam egit, quæ fini Incarnationis ac suo muneri magis erat accommodata. Victus ergo fuit illi communis, et vestis vulgaris. — Vita ejus erat ita temperata, ut, licet potius ad severam quam ad suavem inclinaret, tamen severior, vel simpliciter austera dici non possit. Hujusmodi enim vitæ ratio gravitatem Christi decebat, et hominibus in statu naturæ lapsæ, aptissimum præbebat perfectionis exemplum. Vitæ namque perfectio non tam in austeritate, quæ solummodo perfectionis medium est, quam in charitate Dei et proximi consistit.

238. In duas partes Domini vita dividitur : una fuit privata, domestica, abscondita ; altera publica et apostolica. In secunda periodo, genus vitæ usurpavit non mere activum, nec mere contemplativum ; sed ex utroque mixtum. Modo enim in orationibus pernoctabat, modo quadraginta diebus in deserto jejunabat, modo vicos et oppida, docendo, hortando, sanando percurrebat.

239. Vestimentum Salvatori erat, juxta Euthymium, triplex : interior tunica sive subucula, dein tunica inconsutilis supra subuculam, et demum pallium. Quod si aliquando plures vestes prohibuit Apostolis, eas intellexit completas et mutatorias ; non vero plures incompletas et necessarias.

240. Baptizari voluit baptismo Joannis, non suo ; ut humilitatis exemplum daret, utque Joannis Baptismum comprobaret, aquas sanctificaret, easque in materiam Baptismi N. L. consecraret.

241. Tentatus fuit a diabolo tentatione triplici, quarum prima

pertinet ad gulam, secunda ad superbiam, tertia ad avaritiam et ambitionem ; ut scilicet his tentationibus omnium vitiorum fontes indicentur, qui sunt, juxta I Joan. II, 16, *concupiscentia carnis*, *concupiscentia oculorum et superbia vitæ*. — Tentationes autem Christi mere externæ fuerunt ; internas enim non modo passus non est, sed nec pati potuit.

242. Prædicavit Salvator solis Judæis ; unde Rom. XV, 8, *minister circumcisionis* vocatur. Quandoque tamen gentiles admisit, ob excellentiam fidei et devotionis eorum : ut Chananæam, Matth. XV ; item Samaritanam et Samaritanos. Joan. IV. Doctrinam suam non scripto, sed verbo proposuit ; quia ille est excellentior doctor, qui cordibus quam qui libris suam doctrinam imprimit. Doctrina autem hæc, partim per scripta Evangelistarum, partim per prædicationem ac traditionem Apostolorum, ad nos transmissa est.

243. In transfiguratione splendorem emisit Domini corpus, (nam facies ab Evangelista ponitur tanquam pars magis spectabilis, quæ totum corpus designat), manente omnino immutata corporis substantia et figura. Ex ista totius corporis luce et claritate effectum est, ut vestimenta ejus essent splendentia et alba sicut nix. Fuit autem hæc claritas gloriæ, qualem corpora justorum post resurrectionem habebunt ; hac tamen differentia, quod claritas corporum resurgentium futura est eis connaturalis: e contra claritas corporis Christi, utpote adhuc passibilis, erat miraculosa ; quemadmodum miraculosa fuerunt subtilitas ejus, cum exiret de utero clauso, et agilitas cum super aquas ambularet. — Testes Transfigurationis fuerunt quinque ; ex quibus Moyses et Elias, loquentes, ut ait Lucas cap. IX, de excessu quem completurus erat in Jerusalem, i. e. de Passione et morte Christi [1].

244. In hac autem Passione sua, Christus omnia quodammodo dolorum genera sustinuit, quæ malitia et vi humana inferri possint : doloresque fuere tanti, ut omnes præsentis vitæ ærumnas acerbitate et intensitate superaverint. — Passus est ætate florente, annos natus 33, juxta traditionem vulgarem : aut,quod magis probatur eruditis, circa ætatis annum 36 [2]. Occisus est die festo ac solemni Paschæ, luna 15 mensis Nisan, seu die 25 martii : affixus cruci hora 12, circa horam 3 expiravit. Quod si Joannes cap. XIX dicit : *Erat hora quasi sexta ;* Marcus vero XV : *Erat hora tertia et crucifixerunt eum ;* hoc loquendi discrimen inde oritur, quod Marcus significat horam tertiam exeuntem, Joannes vero sextam appropinquantem ; ita ut con-

[1] Suarez, tom. 17, disp. 42. — [2] Qui congruere videtur cum anno æræ vulg. 29. Sanclementius apud Palma, *Hist. Eccl.* tom. I. Cf. Patrizi, *De Evang.* lib. 3.

sentiant in designanda hora, quæ horæ nostræ duodecimæ respondeat. Judæi namque computum horarum incipere solebant ab ortu solis, illudque usque ad solis occasum perducebant diem in 12 horas dividendo. Altera præterea divisione diem distribuebant in quatuor partes, quarum prima tres horas, et similiter tertia, sexta et nona, tres horas continebant [1].

245. Corpus Christi post mortem, e cruce pendens, lancea transfossum fuit, ejusque latus apertum ; Deo id permittente in testimonium veræ Filii sui mortis, ac futuræ resurrectionis, nec non ob alia mysteria. Quodnam autem latus, dextrumne an lævum apertum sit, non notarunt Patres ; qui solum dicunt, tum impletum esse quod in Adamo et Eva, de ejus latere formata, fuerat præfiguratum : de latere nimirum Christi dormientis in cruce formandam esse Ecclesiam. Cum autem Evam ex Adæ latere lævo, ad quod inclinatur cor, esse formatam ob mutuum viri et uxoris amorem, conjici liceat ; ideo pie existimari potest, lævum Christi latus fuisse apertum, ob ejus scilicet in sponsam Ecclesiam amorem.

246. Anima Christi a suo corpore separata, statim impassibilis evasit, et pura beatitudine, quæ ab intuitiva Dei visione manat, fuit perfusa. Descendit ad inferos : id est, in locum subterraneum, qui Limbus Patrum vocatur, secundum substantiam ac realem præsentiam devenit ; et animabus sanctis, quæ erant in sinu Abrahæ, essentialem beatitudinem cum donis illam consequentibus contulit. — In hoc porro Sanctorum habitaculo, quod per præsentiam suam in *paradisum* mutavit, mansit Christi anima usque ad constitutam horam qua iterum uniretur corpori, et Dominus resurgeret.

247. Surrexit die Dominica mane sub auroram, post 36 circiter horas a sepultura, quod spatium non tres dies integros comprehendit. Unde hæc Domini verba : *Erit filius hominis tribus diebus et tribus noctibus in corde terræ*, Matth. XII, tanquam per synecdochen dicta, qua scilicet pars pro toto ponitur, sunt intelligenda ; dies enim et noctes hoc loco, a media nocte usque ad mediam noctem sequentem computatæ accipiuntur.

248. Dicitur Christus *primogenitus ex mortuis*, Col. I, et *primitiæ dormientium*, 1 Cor. XV : quia primus omnium resurrexit ad vitam immortalem. Alii quidem antea ressuscitati sunt, sed iterum morituri ; unde Christus primus est qui resurrexit resurrectione perfecta [2].

249. Resurrexit autem e sepulcro clauso : corpus enim gloriosum penetravit lapidem, sicut januis clausis postea intravit

[1] Suarez, tom. 17, disp. 33-40.
[2] Cf. Suar. ibid. disp. 47, sect. 1, 2 ; item disp. 41 seqq.

ad discipulos. Etenim tunc solum, quando mulieres ad sepulcrum accesserunt, lapis per Angelum a monumento revolutus est. Proinde non nisi fictione quadam depingi solet Christus resurgens ex sepulcro aperto.

250. Decem omnino Domini redivivi apparitiones in Evangeliis enumerantur : scilicet quinque primo die resurrectionis, et quinque postea. 1ª facta fuit Magdalenæ ; 2ª mulieribus regredientibus a sepulcro ; 3ª Petro ; 4ª discipulis euntibus in Emmaus ; 5ª cum Christus stetit in medio discipulorum absente Thoma ; 6ª post octo dies discipulis cum Thoma congregatis ; 7ª discipulis piscantibus in mari Tiberiadis. De hac Joannes, cap. XXI, dicit : *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis :* nimirum, hæc tertia est apparitio inter eas quæ factæ sunt multis discipulis simul ; vel etiam, Joannis verba intelligi possunt de numero dierum quibus apparuit Dominus ; —8ª apparitio in monte Galilææ ; 9ª recumbentibus undecim in domo Jerosolymæ, Marc. XVI ; 10ª ipsa die ascensionis, Luc. XXIV. — S. Gregorius 9ªm 10ªm conjungit tanquam unam continuatam, ita ut, ex mente S. Doctoris Christus immediate ex illa domo exiverit cum discipulis in montem Oliveti, in cœlum ascensurus.

251. Præterea I Cor. XV, dicit Paulus : *Visus est plus quam quingentis fratribus... visus est Jacobo... visus est et mihi.* Denique cum Act. I, legatur per quadraginta dies Dominum apparuisse discipulis loquentem de regno Dei, non obscure insinuatur, ipsum crebro conversatum esse cum eis, ut scilicet, sacramentorum materias et formas eos doceret, ac totam Ecclesiæ cultusque Novi Testamenti œconomiam aperiret.

252. Christum primo loco apparuisse sanctissimæ Matri suæ, perpetuus Ecclesiæ sensus habet ; idemque diserte asserit S. Ambrosius : *Vidit ergo Maria resurrectionem Domini, et prima vidit et credidit.* De virginitate, cap. 3.—Quod si Scriptura hoc non explicite testatur, dicendum cum B. Anselmo, visum esse superfluum, hanc rem intellectum habentibus explicite referre : *Adhuc et vos sine intellectu estis ?* Matth. XV, 16.—Dicit quidem Marcus XVI : *Apparuit primo Magdalenæ ;* sed Marcus loqui videtur de illis, qui testes et nuntii esse deberent resurrectionis Christi, vel qui de ea dubitantes confirmandi essent ; hujusmodi autem B. Virgo non erat [1].

253. Q 4° *Quæ et quanta fuit Christi scientia ?* — R. Beatissima Christi anima omnibus dotibus ornata fuit cumulatissime, et quidem a primo conceptionis suæ instanti, secundum illud Joan. I, 14 : *Plenus gratiæ et veritatis ,* et secundum illud Au-

[1] Suar. tom. 17, disp. 49, sect. 1.

gustini : *Mox ut Verbum venit in uterum, servata veritate propriæ naturæ, factum est caro et* PERFECTUS *homo.* Lib. de Trin. [1].

254. In Christo Jesu *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* Coloss. II. Scientia autem ejus duplex est, altera creata, altera increata seu divina.

255. Creata Christi scientia et ipsa distinguitur triplex : -1) scientia beata, quæ dicitur visionis beatificæ ; -2) scientia infusa, tam supernaturalis quam naturalis ; -3) scientia acquisita, quæ etiam experimentalis vocari solet [2].

256. Per scientiam *beatam* cognovit in Verbo [3] omnia præterita, præsentia et futura, seu omnia quæ Deus novit scientia visionis ; quia Christus, constitutus Judex vivorum et mortuorum, omnia quæ spectabant ad suum statum cognoscere debuit. Non tamen cognovit omnia possibilia, seu quæ Deus videt scientia simplicis intelligentiæ ; nam intelligentia finita, utut perfecta, Deum comprehendere nequit.

257. Per scientiam *infusam* Christi anima non tantum omnia naturalia, omnes actus liberos hominum et angelorum, cogitationes et secreta cordium cognovit ; sed etiam omnia supernaturalia, ut sunt mysteria fidei, perspecta habuit.—Porro scientia infusa, sicut et scientia beata, fuit a primo instante conceptionis in Christo perfecta ; — e contra,

258. Scientia *acquisita* aucta est, et ei gradatim advenit. Quanquam etiam secundum hanc Christus nihil unquam ignoravit eorum, quæ pro loco et tempore eum tali scientia cognoscere decebat.

259. Ita Christus non tantum omnia cognoscebat, sed omni etiam modo quo sunt cognoscibilia. Per scientiam acquisitam cognoscebat humano modo, per infusam modo angelico, per beatam modo divino.

260. Q. 5° *Quæ et quanta fuit in Christo gratia ?* [4] — R -1) Fuit in Christo gratia *unionis* seu *substantialis,* qua humanitas Christi quasi deificatur, et Christus homo proprius Dei Filius constituitur. Illa gratia dicitur infinita, quatenus ipsa Verbi persona, ad quam humanitas assumitur, est infinita.

261. -2) Gratia *habitualis,* quæ *accidentalis* dicitur, in quantum est habitus humanæ naturæ superadditus. Hæc est physice finita, cum sit in anima Christi tanquam in subjecto creato. Prout animam Christi sanctificat,etiam *personalis* dicitur; prout autem est in Christo alios sanctificandi principium, vocatur gratia *capitis seu capitalis*

[1] Cf. S. Thom. p. 3, q. 34, art. 2, præsertim ad 2; et art. 4. — Item Suarez tom. 16, disp. 24, sect. 1. — [2] Suar. tom. 16, disp. 24 seqq.
[3] Cf. supra, Tract. *De Deo,* cap. 2, art. 3, q. 7o, n. 152.
[4] Cf. S. Thom. p. 2, q. 7, 8. — Item Suarez, tom. 16, disp. 18 seqq.

262. -3) Probabiliter etiam fuit in Christo gratia *actualis*, quatenus cooperans (non tamen excitans) ; quippe quæ probabiliter est ipsa Dei supernaturaliter operantis nobiscum actio seu concursus : porro talis concursus Christo, ut supernaturaliter secundum humanitatem ageret, erat necessarius.

263. Q. 6° *Quibus virtutibus ornata fuit anima Christi ?* — R. Christi anima dotata fuit omnibus gratiis gratis datis, et omnibus Spiritus S.donis, juxta illud Isaiæ : *Requiescet super eum spiritus Domini ; spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Isai. XI. — Donum scilicet timoris habuit non quidem *secundum quod timor respicit malum separationis a Deo per culpam, neque etiam secundum quod respicit malum separationis pro culpa ; sed secundum quod respicit ipsam divinam eminentiam : prout scilicet anima Christi quodam affectu reverentiæ movetur in Deum a Spiritu sancto acta*[1].

264. Similiter anima Christi ornata fuit omnibus virtutibus, si illas solas excipias, quæ aliquam imperfectionem personæ ipsius, vel statui beatifico adversantem supponunt. Excipiendæ itaque sunt fides et spes ; excipienda quoque pœnitentia, cum nullum peccatum Dominus haberet deflendum. At copiosam doloris causam in nostris peccatis invenit, quæ propterea deflevit amarissime.

265. Q. 7° *An in Christo fuit gratiæ plenitudo.* — Resp. affirmative ; et quidem ita ut gratiæ plenitudo sit Christo propria. Etsi enim multi in Scripturis modo quodam dicuntur pleni gratia : tamen solus Christus habet absolutam gratiæ plenitudinem, attingens summum quoad essentiam gratiæ et quoad virtutem operandi : id est, summam gratiæ intensionem et extensionem.

266. Nimirum in Scripturis gratiæ plenitudo variis personis tribuitur, sed non eodem modo. Etenim primo, quibusdam ideo tribuitur, quia est in illis quædam abundantia gratiæ, supra eam quæ ad salutem est necessaria. Sic ad Ephes. III, 19: *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* — Secundo tribuitur quibusdam plenitudo gratiæ respectu subjecti, seu officii, ad quod divinitus electi sunt. Sic dicuntur pleni gratia, vel Spiritu S., Joannes Baptista, Stephanus, Apostoli, et præcipue B. V. Maria, cujus tanta est dignitatis celsitudo, ut post unionem hypostaticam nihil altius cogitari possit.

267. Tertio, est plenitudo perfecta ipsius gratiæ absolute consideratæ. — Hæc plenitudo solius Christi est, et in eo consistit, ut Christus habeat gratiam maximam, secundum omnem intensionem et extensionem effectuum, quam Deus in universo

[1] S. Thom. p. 3, q. 7, art. 6.

mundo conferre constituit ; imo ut eminenter et fontaliter contineat quidquid gratiarum hominibus in quavis temporis differentia tribuitur. Hæc enim plenitudo decebat Christum, utpote Filium Dei naturalem, constitutum ut gratiæ fontem. Ideo vocatur *plenus gratiæ et veritatis, quasi unigenitus a Patre, — in quo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, — de cujus plenitudine nos omnes accepimus.* Joan. I, 44, 16, Coloss. I, 19.

268. At quamvis plena sit et copiosa Christi gratia, non est tamen *infinita simpliciter*, sed tantum *secundum quid*, nimirum -1) ratione personæ infinitæ dignitatis, quam secundum humanam ejus naturam illa gratia exornat, et cujus infinitam dignitatem quodammodo participat. -2) Ratione unionis infinitæ dignitatis, nempe hypostaticæ, ad quam illa gratia ordinatur ; quæ unio est altissimus finis ad quem gratia possit ordinari. -3) Ratione suorum effectuum : tum quia gratia illa est principium infiniti meriti, tum quia est principium omnis gratiæ in omnibus hominibus, etiamsi essent infiniti. Unde gratia in Christo est tanquam in fonte, et causa universali, sicut aqua in mari, et lux in sole ; in aliis autem solum est per participationem ab illa [1].

269. Q. 8° *Quomodo Christus crevit sicut ætate ita sapientia et gratia ?* — R. Licet Christi anima plenitudinem donorum habuerit in primo instante incarnationis, dicit tamen Lucas : *Jesus proficiebat sapientia et ætate et gratia, apud Deum et homines*, II, 52 ; ut significet Christum progressum fuisse, non secundum habitum, verum secundum ostensionem effectuum, per opera nimirum excellentiora et signa progressui ætatis proportionata ; qui progressus non fuit fictus, sed secundum rei veritatem, *coram Deo et hominibus ;* non aliter fere ac sol ab ortu in meridiem dicitur proficere, et vere proficit claritate.

[1] Lessius, *De Incarn.* q. 7, art. 9 seqq. — Cf. Suarez, tom. 16, disp. 23, sect. 2; et tom. 17, disp. 4, 18, 20.

CAPUT TERTIUM.

DE MUNIIS REDEMPTORIS.

270. Expositis iis quæ ad Redemptorem in se spectatum pertinent, restat ut eum consideremus respectu nostri, hoc est, in sua missione, in muniis quæ implere debebat erga nos et pro nobis, in opere quod commiserat ei Pater, de quo ipse dicebat : *Pater... opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Joan. XVII, 4. — Jam vero de hoc opere quæri possunt duo : 1° quodnam erat opus a Christo implendum? 2° quomodo illud a Christo impletum fuit? Unde duo articuli.

Articulus I, *de opere implendo.*
Articulus II, *de operis impletione.*

ARTICULUS I.

DE OPERE IMPLENDO.

271. QUÆSTIO PRÆVIA. *Quodnam erat opus a Christo implendum in hoc mundo?* — R. Salus hominum : nam *propter nos homines et propter nostram salutem, descendit de cœlis*, prout ipse testabatur : *Venit filius hominis salvare quod perierat*, Matth. XVIII, 11 ; nimirum salvare humanum genus, quod perierat per Adæ peccatum, et hominem lapsum in pristinum statum restituere : voluit enim Deus *instaurare omnia in Christo* [1], *Novi Testamenti mediatore* [2]. Hæc instauratio peragenda erat abolendo penitus *peccatum* ejusque *effectus :* tollendo scilicet *mala* quæ homo prævaricator incurrerat, et restituendo *bona* quæ amiserat. Bona perdita hæc erant : gratia sanctificans, jus ad futuram gloriam, felicitas seu dona præternaturalia status innocentiæ ; — mala vero enata : inimicitia Dei, servitus diaboli, debitum pœnæ æternæ et pœnarum temporalium. Hæc omnia detrimenta una cum peccato tollere debebat, et revera sustulit Christus, efficiendo ut posset homo ab omnibus suis malis liberari et pristina bona recuperare, partim in hac vita, partim in futura.

272. Hoc opus integræ redemptionis duo requirebat : ut solveretur redemptionis pretium, et ejus applicatio ordinaretur. *Pretii* nomine intelligitur *opus satisfactorium simul et meritorium*, quo Deus homini non tantum placaretur, sed ad pristina etiam dona restituenda moveretur.—*Applicatio* redemptionis

[1] Eph. I, 10. — [2] Hebr. IX, 15.

fit, dum ejus beneficium in homine recipitur; ad quam susceptionem oportebat ut Salvator præpararet animas, i. e. hominum intelligentias et voluntates : illas purificando *per doctrinam*, has vero ordinando per novæ *Legis constitutionem;* ita ut quicumque susciperet doctrinam per Fidem, et legem per Baptismum, illi simul redemptio applicaretur : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Marc. XVI, 16.

273. Ad complendum itaque redemptionis opus, tria erant Christo præstanda : solvendum pretium, prædicanda doctrina, condenda nova Lex, i. e. constituenda Ecclesia. Tria ergo munia ipsi erant explenda, tres characteres gerendi : *Sacerdotis*, ut offerret sacrificium, redemptionis pretium; *Prophetæ*, ut homines divinitus erudiret; Legislatoris seu *Regis*, ut regnum cœlorum, i. e. Ecclesiam constitueret et gubernaret. — Hæc tria uno generali titulo *Mediatoris* continentur, quo insignitus est Christus, qui medius inter Deum et homines, reconciliationis [1] causa, agere debebat cum Deo et cum hominibus : cum Deo qua *Sacerdos*, cum hominibus qua *Propheta* et *Rex*.

274. Porro omnia Salvatoris munia ipso nomine divinitus ei imposito, Jesu Christo, significantur. *Jesus*, h. e. *Salvator*, indicat missionem generalem *salvum faciendi populum suum a peccatis eorum*. Matth. I, 21. — *Christus*, h. e. *Unctus*, innuit non tantum unctionem *gratiæ*, unionis scilicet hypostaticæ; sed etiam unctionem *potestatis* collativam, qua Deus Pater unxit eum in perfectum *Mediatorem, Sacerdotem, Prophetam et Regem*[2].

PROPOSITIO UNICA.

Christus fuit veri nominis Mediator, Sacerdos, Propheta et Rex.

275. Propositio *ad fidem pertinet* quoad omnes partes, quæ cum dogmatibus de satisfactione, de necessitate credendi doctrinam et implendi mandata Christi, connexæ sunt. Præterea talis est perpetua et constans Ecclesiæ doctrina, in SS. Litteris et Traditione fundata [3].

276. *Mediator* generatim, est quicumque inter duos medius constitutiur. — Dupliciter quis mediator dici potest : secundum substantiam et secundum officium seu operationem.

277. Mediator *secundum substantiam* ille est, qui ita stat intermedius, ut utriusque extremi naturam in sua persona substantialiter conjungat. Hoc sensu solus Christus verissime mediator vocari potest.

278. Mediator *secundum operationem* est ille, qui se medium ponit inter duos, ut eos dissidentes conciliet. Quod tripliciter

[1] Cor. V, 18; Coloss. I, 20. — [2] Munia *Sacerdotis*, *Prophetæ* et *Regis*, in V. L., per unctionem conferebatur. Vid. Levit. VIII, 12; III Reg. XIX, 15 et 16.
[3] Cf. Trid. Sess. 5, can. 3; Sess. 6, cap. 7; Sess. 22, cap. 1 seqq.

fieri potest : 1° per modum *internuntii*, ultro citroque pacta et conditiones partium referendo ; 2° *supplicando* alteri parti pro altero ; 3° *satisfaciendo* alteri pro altero. — Omnes hi mediationis modi conveniunt Christo ; duo tantum priores etiam aliis convenire possunt, ut Moysi dicenti, Deut. V. 5 : *Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos... ut annuntiarem vobis verba ejus.*— Gal. III, 19 : *Lex ordinata per angelos in manu mediatoris.* Hujusmodi tamen non est nisi *improprie dictus* mediator ; ut sit mediator *proprie dictus*, et sensu propositionis, essentiale est ut *satisfactione* soluta dissidentes conciliet.

279. *Sacerdos*, prout variis Scripturæ locis describitur, est ille, qui *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis... Nec quisquam sumit sibi honorem : sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* [1]. — *Quem excelsum fecit* (Deus), *et dedit illi sacerdotium gentis, unxit illum oleo sancto, elegit ab omni vivente, fungi sacerdotio, et habere laudem in nomine ejus, offerre incensum et bonum odorem, et dedit illi in præceptis suis potestatem docere Jacob testimonia, et in lege sua lucem dare Israel* [2].— *Labia* enim *sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia angelus Domini exercituum est* [3].— *Leprosus adducetur ad sacerdotem, qui sanguine asperget illum... Si fuerit immunda domus, sacerdos purificabit eam tam in sanguine quam in aquis viventibus* [4]. — *Sanguis enim hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat* [5]

280. Ex quibus summatim sacerdos videtur definiri posse : *Homo divinitus constitutus mediator inter Deum et homines, ut Deo deferat honorem, homines autem Deo reconciliet, eosque sanctificet, offerendo sacrificia, aliaque mysteria divina dispensando.*

281. Ex hac definitione patet, sacerdotem esse mediatorem, sed speciali sensu : cum mediationem suam exercere debeat actibus specialibus, quorum primarius, maximeque proprius est *sacrificium*. Offerre sacrificium est ita sacerdoti proprium, ut ipsi soli conveniat, imo conveniat essentialiter, adeo ut *sacerdos* necessario sit *sacrificator*, seu ad sacrificium offerendum aptus et ordinatus.

282. Porro *sacrificium* potest accipi dupliciter :-1) *generatim et improprie*, pro quolibet opere quod ad honorem Dei refertur : huic sacrificio generali respondet etiam *sacerdotium generale, improprie dictum*, et commune omnibus Christianis, Apoc. I, 6 :

[1] Hebr. V, 1 seqq. — [2] Eccli. XLV, 7 seqq. — [3] Malach. II, 7.
[4] Levit. XIV, 2, 52. — [5] Hebr. IX, 13. Cf. I Cor. IV, 1 ; item Pontificale Rom. *De ordinatione presbyteri*, in admonitione.

Fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri [1]. -2) Speciatim et *proprie*, pro immolatione victimæ externæ in Dei cultum facta. Est autem hoc sacrificium vel *privatum*, quod aliquis sua voluntate offert Deo pro se, quale forte fuit Agnus paschalis ; vel *publicum*, quod ex divina ordinatione offertur nomine totius populi : et hoc propriissime dicitur sacrificium, cui respondet *propriissime dictum sacerdotium*, quale competit Christo.

283. *Propheta* est non tantum ille qui futura prædicit ; sed ille præsertim, qui insuper, ex divina missione et auctoritate, homines adhortationibus et doctrina juvat.

284. *Rex* est princeps populi, ad conservationem et prosperitatem subditorum suprema potestate pollens. Est autem regia potestas triplex : *imperandi, judicandi, coercendi ;* seu *potestas legislativa, judiciaria* et *coactiva*. — Porro distinguitur regnum duplicis generis seu ordinis : *temporale*, quod ad finem temporalem, et *spirituale*, quod ad finem spiritualem, per se et principaliter ordinatur.

285. Character Christi propheticus et regius nulli controversiæ subjacet ; character autem Mediatoris et Sacerdotis negatur a Socinianis, qui Christum non esse Mediatorem et Sacerdotem, nisi improprie dictum, autumant.

286. PROBATUR PARS I. Mediator est : *Unus Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus, Jesus, qui dedit redemptionem* (ἀντίλυτρον) *semetipsum pro omnibus*. I Tim. II, 5, 6.

287. PARS II Sacerdos. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Ps. CIX, 4. — Quod oraculum exponit Apostolus Hebr. V et seqq... *Nec quisquam sumit sibi honorem sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret : sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit : Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. — Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa... Et ideo novi testamenti mediator est...* Cap. IX.

288. PARS III. Propheta. *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus : ipsum audies*. Deut. XVIII, 15. — *Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum*. Joan. VI, 14.

289. PARS IV. Rex. *Dedit ei potestatem et honorem et regnum*. Dan. VII, 14. — *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus... Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*. Ps. II.

[1] Cf. I Pet. II, 5, 9. — Item huj. op. tom. 2, *De Eucharist.* part. 2, c. 1, n. 253 seqq.

290. OBJIC. De ratione sacerdotis est mactare hostiam quæ in sacrificium offertur ; atqui Christus fuit hostia nec tamen seipsum mactavit ; ergo non fuit sacerdos. — R. *Dist. antec.* De ratione sacerdotis est mactare hostiam saltem moraliter *conc.*, etiam physice semper, *neg. antec.* Christus semetipsum obtulit sponte ad mortem ; quæ immolatio moralis est, et conjuncta cum ipsa passione ac morte Christi, ab ejus persecutoribus vere illata, est sufficiens ad rationem sacrificii.

QUÆSTIONES.

1o *Secundum quam naturam Christus fuit Mediator et Sacerdos ?* — 2o *Quo sensu dicitur Christus* SACERDOS IN ÆTERNUM ? — 3o *Secundum quam naturam competit Christo character Propheticus ?* — 4o *Quomodo competit Christo dignitas et potestas Regia ?*

291. QUÆR. 1° *Secundum quam naturam Christus fuit Mediator et Sacerdos?*— R. [1]. Secundum naturam humanam. Etenim opera, quibus officium Mediatoris et Sacerdotis exercuit, non fuerunt operationes divinæ qua tales, sed humanæ : i. e. quæ ex humana natura tanquam principio elicitivo et vitali procederent, licet a Verbo dignificatæ. Unde I Tim. II, 5 : *Unus Deus, unus Mediator Dei et hominum,* HOMO *Christus Jesus.* — Heb. V, I : *Omnis pontifex* EX HOMINIBUS *assumptus.*

292. Q. 2° *Quo sensu dicitur Christus* SACERDOS IN ÆTERNUM ? —R. Hæc æternitas duplici ratione explicatur : -1) ratione *dignitatis sacerdotalis*, quæ in Christo oritur ex unione hypostatica, per quam unctus in sacerdotem et omnibus charismatibus delibutus est : quare sicut hæc unio, ita et Christi sacerdotium durabit in æternum. -2) Ratione *sacrificii*, æternitas sacerdotii intelligenda est, non sensu durationis infinitæ, sed indefinitæ : quatenus Christus functurus est sacerdotis officio quamdiu opus et locus erit sacrificio, h. e. usque ad finem mundi.—*Sacerdos* itaque est *in æternum*, et quidem *secundum ordinem Melchisedech*, -1) quia susceptum sacerdotium nunquam deponet ; -2) quia incruentum sacrificium sub speciebus panis et vini offert, per manus ministrorum, quotidie, usque ad consummationem sæculi [2].

293. Q. 3° *Secundum quam naturam Christus Propheta fuit?* — R. Secundum naturam humanam : non tamen sicut reliqui Prophetæ auctoritate delegata, sed auctoritate propria Filii Dei : *Prophetam de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus.* Deut. XVIII, 15. — *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis : novissime diebus istis,*

[1] Haunold. *De Incarn.* c. 10, controv. 1. — Cf. S. Thom. 3 p. qq. 22, 26 ; Suarez, t. 16, disp. 46 seqq. ; append. post disput. 56.

[2] Cf. Tom. 2, Tract. *De Eucharist.* part. 2, n. 257 seqq.

locutus est nobis in Filio. Hebr. I, 1, 2. Cf. Joan. I, 18 ; Tit. II, 11, 12 [1].

294. Q. 4º *Quomodo competit Christo dignitas et potestas Regia?* — R. Christus, qua Deus, est eminenter *Rex regum et Dominus dominantium*. Apoc. XIX, 16.

295. Qua homo, dici potest Rex dupliciter : in ordine *spirituali* et in ordine *temporali*.-1) In ordine *spirituali* Christus est verus Rex universalis, instructus summa potestate in regnum cœlorum, i. e. Ecclesiam : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*. Matth. XXVIII, 18. Hac potestate Ecclesiam fundavit, sacramenta instituit [2] ; hanc, quatenus gubernativam, seu episcopalem, commisit Petro, quem suum Vicarium ceu Prorege perpetuum constituit, instructum plenitudine Episcopatus. -2) In ordine pariter *spirituali*, non temporali, Christus fuit *rex Judæorum* : h. e. eorum qui vere confitentur et laudant Deum, quæ est significatio vocabuli *Judæorum*.-3) In ordine *temporali*, admodum probabile est, Christum vi unionis hypostaticæ, sicut fuit exemptus ab omni potestate humana, ita *in actu primo*, et jure plenissimo, habuisse potestatem regiam in totum orbem, et in omnes reges, etiam quoad regimen politicum ; quanquam hac potestate nunquam uti voluit : quod innuit his verbis : *Regnum meum non est de hoc mundo*. Joan. XVIII, 36 [3].

ARTICULUS II.

DE OPERIS IMPLETIONE.

Quæstiones præviæ.
Propositio I, *de redemptionis veritate.*
Propositio II, *de redemptionis universalitate.*
Propositio III, *de satisfactionis veritate.*
Propositio IV, *de satisfactionis plenitudine.*
Propositio V, *de veritate et infinitate meriti.*
Quæstiones, *de objecto meritorum, deque oratione Christi.*

QUÆSTIONES PRÆVIÆ.

1º *In quo consistit opus redemptionis a Christo impletum?* — 2º *Quid est redemptionis pretium?* — 3º *Quid est satisfactio?* — 4º *Quid meritum?* — 5º *An Christi redemptio fuit vera?* — 6º *An fuit universalis?* — 7º *An fuit mere impetratoria?* — 8º *Qualis fuit Christi satisfactio?* — 9º *Quanta fuit Christi satisfactio?* — 10º *An fuit ex rigore justitiæ* — 11º *Quale et quantum fuit Christi meritum?*

296. QUÆR. 1º *In quo redemptionis opus consistit?* — R. Con-

[1] Cf. Suar. t. 17, disp. 30. — [2] Cf. huj. op. t. 2, *De Sacram.* c. 2, a. 3, quær. 2o, n. 88. — [3] Cf. Suar. t. 16, disp. 47, 48.

sistit proprie in solvendo humanæ redemptionis atque instaurationis pretio. Integrum quidem opus a Christo implendum, uti dictum est, tria complectebatur : pretii solutionem, prædicationem, legislationem ; at primum, quod vocatur *redemptio in actu primo*, proprie dicta redemptio est; duo ultima, tantum *ad redemptionem in actu secundo* seu redemptionis applicationem pertinent. De prædicatione et legislatione hic non est agendum : eo enim referuntur varia dogmata quæ Christus docuit, et Ecclesia quam fundavit, de quibus alibi; hoc loco duntaxat de redemptionis pretio disserendum.

297. Q. 2° *Quid est redemptionis pretium?* — R. Est opus illud, quod, pro peccato oblatum Deo, peccatum penitus abolevit; seu tanti valuit, ut Deus hominibus non solum placaretur, sed etiam privilegia filiorum Dei ac pristinos favores restitueret. Hoc autem tam pretiosum opus fuit præsertim passio Christi et cruentum sacrificium crucis.

298. Porro hujusmodi opus esse debuit, et revera fuit simul satisfactorium et meritorium, quia peccati clades, partim satisfactione, partim merito erat reparanda. Etenim homo qui in paradiso Deum offendit, erat amicus Dei, ejusque favoribus cumulatus : quare peccando, -1) abrupit amicitiam Dei, ejusque favores amisit, -2) incurrit ejus inimicitiam, et debitum vindictæ subeundæ. Jam vero iste secundus peccati effectus, i. e. inimicitia et vindicta Dei, tollendus erat per satisfactionem ; primus vero, per meritum, quo amicitia et favores Dei iterum recuperarentur. — Ergo pretium redemptionis esse debuit opus satisfactorium et meritorium, seu habens simul rationem *satisfactionis* et rationem *meriti*.

299. Q. 3° *Quid est satisfactio?* — R. Satisfactio respicit debitum, et est *rei debitæ integra solutio*. Si autem agatur non de debito reali, sed de personali, quod ex illata offensa oritur in offendente, satisfactio describi potest : *Honoris læsi condigna compensatio, qua exhibita ab offendente, cessat offensi jus ad indignationem*. — Dicitur compensatio *condigna*, quia satisfactio pro offensa, utpote opposita liberali remissioni offensæ, requirit condignitatem, seu æquivalentiam inter opus satisfactorium et honorem læsum.

300. Q. 4° *Quid est meritum?* — R. Sicut satisfactio debitum solvendum, ita meritum respicit præmium obtinendum. — Porro meritum *apud Deum* et *supernaturale*, de quo hic unice agimus, definiri potest : *Obsequium Deo factum, ex se valens eum movere ad doni supernaturalis retributionem*. Hoc autem donum respondens tali obsequio appellatur *præmium;* et ejus retributio, *præmiatio* vel *remuneratio*.— Distinguitur duplex meritum, *de condigno* et *de congruo*. Prius *meritum simpliciter* dicitur, cui *ex justitia*, sive ea rigorosa sit et stricta (commu-

tativa); sive minus stricta (distributiva, remunerativa), præmium debetur. Posterius vero meritum *secundum quid*, et *ex congruentia* appellatur, seu cui præmium ex quadam decentia debetur. — Actio porro *de condigno meritoria* debet habere bonitatem proportionatam, non tamen æqualitatem cum præmio ; nam etiamsi, quod sæpe contingit, præmium actionem meritoriam admodum valore excedat, tamen condigne merito respondere potest : ut ex. gr. cum rex militi in præmium egregii facinoris dat armaturam auream : hæc licet militis facinus valore longe excedat, condigna tamen compensatio æstimatur. — Hactenus de merito sumpto pro opere meritorio ; quod si spectetur prout est in persona merente, meritum est aliquod *jus ad remunerationem, fundatum in opere meritorio.*

301. Q. 5° *An Christi redemptio fuit vera ?* — R. Catholica fide credenda est redemptio *vera* et *proprio sensu* intellecta; cui opponitur redemptio *non vera* et *impropria*, qualem olim Pelagiani et postea Sociniani intellexerunt. Hi enim dicunt, Christum nos a peccato redemisse, præstando nobis non peccati remissionem, sed tantum exempli et doctrinæ suæ adjumenta ad peccatum vitandum : quæ redemptio improprie dicta est. — Catholici vero docent, Christum nos redemisse a peccato, illud penitus tollendo, nobis Deum placando et pristina privilegia redintegrando ; quæ redemptio vera et proprie dicta est. — At, posita veritate redemptionis, ulterius quæri potest de ejus extensione, utrum pro omnibus hominibus, an tantum pro aliquibus, Christus redemptionis pretium solverit.

302. Q. 6° *An Christi redemptio fuit universalis?* — R. -1) Negant Janseniani Propositione V: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Hæc autem propositio damnata est tanquam falsa ; imo, intellecta eo sensu ut Christus *pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus* sit, tanquam *hæretica*. Unde *de fide* est *Christum dedisse redemptionem semetipsum*, non tantum pro electis, sed etiam pro aliis, saltem *pro omnibus* (I Tim. II 4) fidelibus : quippe qui omnes credere debent, Christum *pro ipsis descendisse de cœlo, crucifixum et passum esse*, ut Symbolum habet.

303. -2) *Certum et fide proximum* est, Christum sanguinem suum fudisse etiam pro infidelibus, saltem adultis.

304. -3) *Sententia inter Theologos communis* est, Traditioni, Scripturæ, ac pietati consentanea, Christum etiam pro parvulis absque baptismo decedentibus redemptionis pretium obtulisse [1].

305. Q. 7° *An Christi redemptio fuit mere impetratoria?* — R. Mere *impetratoria* fuisset, si mera interpellatione Christus

[1] Cf. Supra, *De Deo divinisque attrib.* cap. 2, art. 4, prop. 3, 4, 5, n. 179 seqq.

impetrasset, ut Deus gratis nobis peccata condonaret et favores suos restitueret. Sed talis nequaquam redemptio est : catholica enim fides docet, Christum nos redemisse soluto pretio : h. e. per veram satisfactionem et meritum.

306. Q. 8° *Quanta fuit Christi satisfactio ?*—R. *De fide* est eam fuisse *veram* et *vicariam*. — Fuit *satisfactio vera* ac proprie dicta, i. e. præstita per solutionem debiti tum culpæ tum pœnæ. — Fuit *satisfactio vicaria*, i. e. pro nobis peracta : *pro nobis*, i. e. non solum in bonum et utilitatem nostram ; sed etiam vice nostra, ita ut Christus, per veram sui in nostrum locum substitutionem, peccata nostra in se transtulerit, et in debito solvendo ac pœna toleranda *vices nostras* obierit : quare satisfactio *vicaria* nuncupatur.

307. Q. 9° *Quanta fuit Christi satisfactio ?* — R. Unanimis et *certa* Catholicorum doctrina est, satisfactionem Christi non modo veram fuisse,sed etiam *condignam*, *planam*, *perfectam*, *superabundantem*, *infinitam*. Ex quibus vocabulis tria priora fere synonyma sunt, et significant satisfactionem omnibus conditionibus numerisque absolutam, quæ definiri potest : *Compensatio honorifica*, *offenso ab offendente præstita*, *libere*, *æquivalenter*, *ex propriis aliasque indebitis*, *atque ita ut repudiari non possit*. — Satisfactionis *superabundantia* et *infinitudine* significatur, per compensationem a Christo præstitam, non tantum adæquatum fuisse offensæ debitum, sed immense superatum.

308. Utrum condignitas, plenitudo, perfectio, fuerit operibus Christi satisfactoriis, *intrinseca an extrinseca*, disputatur.

309. Quidam cum Scoto et Durando tenuerunt, opera Christi condignitatem habuisse, *per denominationem extrinsecam*, ab acceptatione Dei, a qua etiam opera puri hominis potuissent condignitatem mutuare : non secus ac si quis creditori acceptanti unum aureum pro centum debitis solveret, posset dici condigne solvisse. — Dicendum tamen, ut communior sententia tenet, Christi opera *ex se* condignitatem habuisse, ad satisfaciendum copiosissime pro culpa et pœna totius humani generis, quia illa opera a persona operante desumebant dignitatem ac valorem infinitum. Opus enim aliquod, vel actus, æstimari potest dupliciter : -1) *secundum valorem physicum*, i. e. ratione suæ entitatis præcise : ut ex. gr. quod sit actus talis virtutis, tali perfectione elicitus ; -2) *secundum valorem moralem*, i. e. ratione personæ cujus actus est. Jam vero Christi opera, æstimata ratione personæ Verbi ea dignificantis, valorem habuerunt infinitum.

310. Q. 10° *An satisfactio Christi fuit ex rigore justitiæ ?* —R. Quæstio est de rigore justitiæ commutativæ, videlicet utrum,

vi cujuspiam pacti, Christus fuerit ex una parte obligatus ex justitia ad satisfaciendum, et Deus ex altera, ad favores suos hominibus restituendos ? Communiter respondetur negative ; non intervenit nisi justitia late sumpta, sita in eo, quod utrinque actum sit, non *ex obligatione*, sed *ex virtute* justitiæ ; Christus in satisfaciendo spectavit jus divinum ab homine læsum et reparandum ; Deus vero promissione solemni semetipsum obstrinxit, adeoque ex virtute *justitiæ*, seu *fidelitatis*, necessario determinatur, ad præstandum id quod Christus promeruit : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Isai. LIII, 10.

311. Q. 11° *Quale et quantum fuit Christi meritum ?* — R. Quæ de satisfactione dicta sunt, ea fere de merito dici possunt ; cum satisfactio et meritum ex parte rei sint idem opus, idem valor, solum differens intentione vel ordinatione operantis. Sic eadem Christi opera, quæ fuere satisfactoria quatenus ordinata ad placandum Deum, fuere meritoria quatenus ordinata ad obtinendum præmium. — Quare dicendum, sicut satisfactiones, ita Christi merita fuisse infinita, et quidem ex ipsa intrinseca excellentia et æstimabilitate operum.

PROPOSITIO I.

Christus redemit nos vere, i. e. eo sensu, quod nos a peccati servitute solutos, iterum participes effecerit amicitiæ Dei et vitæ æternæ.

312. *De fide*, ut patet ex Decreto Concilii Flor. pro Jacobitis, ubi legitur : *Sacrosancta Romana Ecclesia Domini et Salvatoris nostri voce fundata... firmiter credit, profitetur et docet, neminem unquam ex viro feminaque conceptum, a diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum mediatoris Dei et hominum, Jesu Christi D. N.: qui sine peccato conceptus, natus et mortuus, humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit ; et regni cœlestis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni successione perdiderat, reseravit.*

313. PROBATUR SIMUL QUOAD OMNES PARTES. 1° Ex Scriptura. Matth. I, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum ; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* — Rom. V, 19 : *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus : multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* — Gal. IV, 4, 5 : *Misit Deus Filium suum... ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

314. 2° Traditio apud omnes Patres est manifestissima [1]. Nec alio sensu intelligenda sunt verba Symboli, quod Patres Constantinop. anno 381 ediderunt : *Qui propter nos homines et propter nostram salutem, descendit de cœlo... Crucifixus etiam pro nobis.*

[1] Cf. Petav. *De Incarn.* l. 12, c. 6.

PROPOSITIO II.

Christi redemptio ad omnes homines pertinet ; seu Christus pro omnibus hominibus mortuus est.

315. Propositio, quatenus respicit omnes et singulos fideles, *de fide* est ; quatenus respicit etiam infideles adultos, *certa*, quatenus comprehendit quoque parvulos sine baptismo decedentes, *sententia inter Theologos communis* [1].

316. PROB. 1° *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Rom. VIII, 32. — *Venit Filius hominis salvare quod perierat.* Matth. XVIII, 11. — *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus : qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* I Tim. II, 4.

317. 2° Augustinus *Enarrat.* in Ps. XCV : *Judicavit orbem terræ in æquitate... non partem, quia non partem emit ; totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit.*

PROPOSITIO III.

Christus vere, et vice nostra, Deo offenso satisfecit.

318. *De fide*, utpote quod Scriptura, Traditione et Ecclesiæ doctrina manifestum est, atque totius christianæ spei fundamentum [2].

319. PROBATUR SIMUL UTRAQUE PARS. Teste Scriptura, 1° mediator ac sponsor noster factus est Christus, ut vice nostra, et per veram sui substitutionem peccata nostra expiaret. Isaias LIII : *Justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit...Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* — S. Petrus : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : ut peccatis mortui, justitiæ vivamus : cujus livore sanati sumus.* I Pet. II, 24.

320. 2° Semetipsum Deo in sacrificium obtulit, et tanquam piacularem hostiam ut sacerdos immolavit. *Christus assistens pontifex futurorum bonorum...per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo... et oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Hebr. XI. — *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis.* Ephes. IV, 2.

321. 3° Nos sui sanguinis pretio redemit. *Unus Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem ἀντίλυτρον semetipsum pro omnibus.* I Tim, II, 6. — *Scientes,*

[1] Cf. supra *quæst. præv.* 6, n. 302. — De voluntate Dei salvandi omnes, etiam parvulos, vid. supra tract. *De Deo*, cap. 2, art. 4, prop. 5, n. 192 seqq.

[2] Cf. supr. prop. 1, n. 312. *Decret. pro Jacobitis ;* item Trid. Sess. 6, c. 1 seqq.

quod non corruptibilibus auro et argento redempti estis, de vana vestra conversatione paternæ traditionis [1] *: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.* I Pet. I, 18, 19 [2].

PROPOSITIO IV.

Satisfactio Christi fuit condigna et superabundans

322. *Fide certum,* prout expositum supra, quæst. 9, n. 307.

323. PROB. 1° *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Heb. X, 14. — *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Rom. V, 20.

324. 2° Cyrillus Hieros.: *Non tantum peccavimus, quantum ille justitia excelluit.* Catech. XIII, n. 33. — Chrysostomus : *Multo plura quam debemus, Christus pro nobis solvit : tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immensum.* Hom X in Cap. V, ad Rom. n. 2.

325. 3° Ex ratione quoque probatur satisfactionis tum condignitas, tum superabundantia, imo infinitas. -1) *Condignitas.* Opera Christi habuerunt conditiones omnes, quæ ad condignam satisfactionem requiruntur ; ergo fuerunt condigne satisfactoria. Conditiones hujusmodi, ex definitione supra (n. 307) posita, sunt, ut satisfactio fiat *a)* a persona offendente, *b)* ad personam alteram offensam, *c)* libere, *d)* ex propriis, *e)* aliasque indebitis, *f)* ad æqualitatem, *g)* nec possit repudiari. — Atqui omnes has conditiones in Christi satisfactione reperimus.

326. Nam *a)* Christus satisfaciens *persona offendens* fuit, non physice sed *moraliter.* Etenim constitutus ut Caput generis humani in ordine ad reparationem, iniquitates nostras tulit, *pro nobis peccatum factus* [3] ; quare moraliter personam nostram gessit, ita ut moraliter nos peccatores in ipso satisfecerimus : nam *dicendum quod caput et membra sunt quasi una persona mystica, et ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet sicut ad sua membra.* S. Thom. 3 p. q. 48, art. 2.

327. *b)* Christus satisfecit personæ offensæ *alteri* a se ipso. Nam α) satisfecit Patri et Spiritui S., quæ sunt personæ *physice alteræ* a persona Christi. β) Satisfecit personæ Verbi, quæ quatenus offensa, est altera a se quatenus satisfaciente : altera, inquam, *moraliter,* i. e. juxta communem hominum æstimationem. Porro ad hoc, ut persona possit satisfacere sibi ipsa, sufficit si eadem, quatenus satisfaciens, sit altera moraliter a se ipsa, quatenus recipiente satisfactionem. Sic reipublicæ

[1] Id est, redempti estis a servitute peccati, quam tollere non poterat lex *vana,* vobis a Patribus tradita. — [2] Testimonia Patrum unanimia vid. apud Petav. *De Incarn.* lib. 12, c. 9. — [3] II Cor. V, 21.

quæstor, quatenus gerit personam subditi, valide solvit tributum sibi, ut gerenti personam ministri publici. Similiter Christus, quatenus homo, et humani generis rei personam gerens, sibi ut Creatori et personæ læsæ satisfacere potuit.

328. *c*) Christus satisfecit *libere :* nam *oblatus est quia ipse voluit.* Isai. LIII, 7.—*d*) *Ex propriis ;* nam opera satisfactoria, sicut reliqua opera bona, licet sint bona et dona Dei, sunt tamen simul etiam proprie bona hominis operantis, quæ procedunt ab ejus libera voluntate [1]. — *e*) *Ex alias indebitis :* opera enim Christi, præsertim quatenus satisfactoria, prorsus erant indebita, cum Christus nullum peccati debitum haberet. — *f*) *Ad æqualitatem :* nam Christi opera, ratione personæ operantis dignificata, quodvis debitum facile adæquabant.— *g*) Ita ut *repudiari non posset.* Nam licet Deus potuisset humanum genus abjicere, omnemque satisfactionem respuere ; tamen, postquam voluit Christum esse Caput humani generis in hunc finem, ut pro eo satisfactionem condignam offerret, non potuit illam non acceptare.— Ergo Christi satisfactio habuit omnes conditiones cond gnitatis.

329. -2) *Infinitas.* Actiones participant dignitatem personæ operantis ; atqui persona Christi erat dignitatis infinitæ ; ergo actiones Christi habuerunt dignitatem ac valorem infinitum : ac proin constituerunt satisfactionem simpliciter *infinitam.*—Dico infinitam *simpliciter,* quo distinguatur satisfactio ab offensa : offensa enim *in Adamo* tantum fuit *infinita secundum quid ;* satisfactio vero *in Christo* fuit *infinita simpliciter,* quia Christi persona est simpliciter infinita. Quare Apostolus : ***Non sicut delictum ita et donum.*** Rom. V, 15.

PROPOSITIO V.

Christus actionibus suis vere meritus est, ejusque merita infiniti sunt valoris.

330. Prior pars, veritas meritorum est *de fide:* ut patet ex aperto testimonio Scripturæ, et Ecclesiæ docentis, *justificationis nostræ causam meritoriam esse Christi passionem : Christi meritum nobis per Baptismum applicari* [2]. Altera pars, infinitas meritorum, est *fide certa,* secundum dicta in Prop. præcedenti.

331. PROB. I PARS. *Christus vere meritus est.* Nam actiones ejus conditiones habuerunt omnes ad meritum requisitas. Conditiones hujusmodi reducuntur ad tres : 1° ut *opus* sit liberum, honestum, præmio proportionatum ; 2° ut *operans* sit gratus Deo et viator ; 3° ut *ex parte Dei* sit præmii promissio, vel saltem operis ut remunerandi acceptatio. Atqui hæc omnia in

[1] Trid. Sess. 6, can. 32.
Trid. Sess. 5, can. 2 ; Sess. 6, c. 7, can. 26. Cf. supra prop. 1, n. 312.

Christi actionibus comperiuntur ; quod patet ex promissione expressa Dei, ex oblatione per Christum facta, ex præmio retributo : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*, Isai. LIII, 10. — *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis*. Eph. V, 2. — *Humiliavit semetipsum... Propter quod et Deus exaltavit illum*. Phil. II.

332. II PARS. *Merita Christi sunt infinita*, sicut est infinita satisfactio. Eadem enim est meriti et satisfactionis ratio : utriusque valor ex operis dignitate deducitur [1]. — Quare infinitatem meritorum Christi unanimiter docent Theologi, et Ecclesia non obscure insinuat. Clemens VI, *Extrav. comm.* cap. *Unigenitus. De pœnit. et remiss.*, ita loquitur : *Christus in ara crucis non guttam sanguinis modicam, quæ tamen, propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis sufficisset; sed copiose, velut quoddam profluvium, noscitur effudisse. Quare ut non inanis tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, ut sic sit* INFINITUS THESAURUS HOMINIBUS. Sap. VII, 14.

QUÆSTIONES.

1o *Quid Christus suis operibus meritus est ?* — 2o *An sibi meruit unionem hypostaticam ?* — 3o *An Christi meritis non evadunt superflua opera nostra ?* — 4o *Per quos actus Christus meruit ?* — 5o *Quare redemptio specialiter Christi morti adscribitur ?* — 6o *Quænam circa Christi orationem sunt animadvertenda ?*

333. QUÆR. 1o *Quid Christus suis operibus meritus est ?* — R. Christus *sibi ipsi* promeruit gloriam corporis, nominis exaltationem, gentium cultum et adorationem ; — *nobis* vero, justificationem et vitam æternam, eaque omnia gratiæ dona, quæ vel antecedunt justificationem vel subsequuntur. Hæc enim cuncta Scripturæ clare testantur. Phil. II, 8, 9 : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,* PROPTER QUOD *et Deus exaltavit illum*, etc.—Hebr. II, 9 : *Videmus Jesum,* PROPTER *passionem mortis, gloria et honore coronatum*.—Eph. I, 3,7: *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo... in quo habemus redemptionem* PER *sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus* [2].

334. Q. 2° *An Christus etiam meruit sibi unionem hypostaticam ?* — Resp. Negative. Neque unionem hypostaticam, quod certum est : neque gratiam habitualem, aut scientiam, aut

[1] Cf. propos. præced. — Item S. Thom. 3 p. q. 48 ; Suarez, tom. 16, disp. 4, sect. 4 ; disp. 39, sect. 1.— [2] Cf. S. Thom. p. 3, q. 19, a. 3 et 4 ; et q. 48 et 49.— Suar. t. 16, disp. 39-42.

alios habitus infusos, neque gloriam essentialem animæ, seu visionem beatificam, quod probabilius est, Christus promeruit. — Non unionem hypostaticam, quia hæc in Christo fuit principium omnis meriti et prima gratia, quæ sub meritum non cadunt. — Non habitus infusos aut visionem beatificam, quia omnia illa dona ab initio ipsi affuerunt, et una cum gratia unionis principium fuerunt meriti, sub meritum non cadentia [1].

335. Q. 3° *Si merita Christi sunt infiniti valoris, an non eo ipso opera meritoria nostra evadunt superflua ?* — Resp. Negative. Nam merita Christi nobis per merita nostra applicantur. — Neque etiam merita nostra meritis Christi injuriosa sunt ; quandoquidem omnem vim merendi ex meritis Christi hauriunt.

336. Q. 4° *Per quos actus Christus meruit?* —R. Per omnes actus liberos humanæ naturæ : ut sunt prædicatio, oratio, passio, mors, etc. Illæ namque actiones habuerunt omnes conditiones ad meritum requisitas. — Cumque omnes actiones vitæ Domini essent liberæ et bonæ, sequitur, eum a primo instanti conceptionis suæ usque ad ultimum spiritum, quum desiit esse viator, indesinenter meruisse, secundum illud Joan. VIII, 29 : *Ego quæ placita sunt ei* (Patri) *facio semper.*—Quod si Ecclesia orat dicens : *Per Resurrectionem tuam libera nos Domine,* non sequitur Christum etiam meruisse post mortem. Petimus enim liberari per resurrectionem Christi, non per modum meriti ; sed,tum per modum motivi, tum per modum simplicis efficacitatis huic mysterio inditæ per merita Christi præcedentia. Christus enim ante mortem meruit, ut resurrectio et alia opera post mortem peracta, nobis, præsertim ea credentibus et animo recolentibus, forent salutifera. Eodem sensu vulnus lateris Christi, post mortem inflictum, fuit meritorium, ut SS. Patres aiunt ; quatenus scilicet cum Dominus adhuc viveret, illud libere acceptavit, et Deo Patri in pretium nostræ salutis obtulit.

337. Q. 5° *Quare redemptio nostra specialiter Christi morti adscribitur ?* — Licet minima Christi actio meritoria infiniti esset valoris, et ad redimendum genus humanum sufficiens, specialiter tamen dicitur Christus nos redemisse per mortem suam : quia non voluit ut præcedentia opera effectum redemptionis haberent, nisi subsequente passione et morte sua, tanquam ultimo meritorum complemento, juxta illud Isai. LIII, 10 : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.*

338. Q. 6° *Quænam circa Christi orationem sunt animadvertenda ?* — R. -1) Christo, ut homo est, convenit orare pro nobis.

[1] Suar. tom. 16, disp. 10, sect. 3-8.
[2] Cf. S. Thom. p. 3, q. 48, 49. — Suar. t. 16, disp. 39, sect. 3.

Joan. XVII, 20 : *Non pro eis* (Apostolis) *rogo tantum ; sed et pro eis qui credituri sunt, per verbum eorum, in me.*

339. -2) Christus non orabat per partem sensitivam ; desiderium tamen partis sensitivæ oratione expressit, idque ad nostram instructionem et consolationem ; ut cum ait : *Pater, transeat a me calix iste.* Matth. XXVI, 9.

340. -3) Christus oravit *in hac vita,* tum pro se, tum pro aliis : pro discipulis, pro crucifixoribus, pro toto mundo.

341. -4) Christi oratio *absoluta* semper fuit exaudita ; *conditionata,* non item.

342. -5) Christus proprie non egebat oratione, ut passim Patres docent : nam quæ petebat erant ei aliis titulis debita. — Constitutum autem divinitus fuit ut oraret -*a*) quia decebat eum omnibus modis nostram salutem operari : merendo satisfaciendo, impetrando.-*b*) Quia oratio est eximius religionis actus : quare Dominus crebro oravit, non solum oratione vocali, sed etiam mentali : *Erat pernoctans in oratione Dei.* Luc. VI, 12. -*c*) Propter exemplum, quod docet S. Ambrosius in cap. VI Luc. -*d*) Ut ostenderet se esse missum a Patre cœlesti, et ab ipso omnia habere : *Propter populum qui circumstat, dixi ; ut credant quia tu me misisti.* Joan. XI, 42.

343. -6) Christus etiamnum *in cœlo* interpellat pro nobis. Rom. VIII, 34 : *Jesus Christus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis* [1]. — Neque solum eo modo interpellat pro nobis apud Patrem, quod sanguis et merita ipsius semper sint Patri objective præsentia, eumque sic ad misericordiam flectant ; sed etiam per proprium actum, desiderando et petendo a Patre ipsaque divinitate, ut sua merita nobis applicentur.

344. Quod si Christus pro nobis orat, nihilo tamen minus etiam ipse nobis orantibus directe dona concedit : *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Joan. XIV, 14. Unde et Ecclesia dum Christo supplicat, non petit *ut oret, intercedat pro nobis ;* sed dicit : *Christe, audi nos, miserere nobis.* Qua orandi forma uti consuevit, partim propter periculum errorum Arii et Nestorii ; partim quia oratio dirigitur ad *personam* Christi, quæ est ipsum Verbum divinum, cujus *secundum se* spectati non est orare, sed misereri, adjuvare. — Qui tamen Christum apprehendere novit qua hominem et qua Deum, recte potest ab eo petere, ut orationes supplicantis Patri offerat, easque cum suis conjungat [2] ; imo rogare, ut nobis meritorum suorum efficacem applicationem impetret.

[1] Cfr. Hebr. VII, 25 ; I Joan. II, 1. — [2] Cf. Trid. Sess. 14, cap. 8.

CAPUT QUARTUM.

DE CULTU REDEMPTORIS.

QUÆSTIO PRÆVIA.

345. *Quid est cultus et quomodo dividitur?* — R. Cultus generatim sumptus, est honor qui alicui objecto defertur propter excellentiam aliquam illi conjunctam. — Porro id *cui* defertur honor, dicitur *objectum materiale* cultus; excellentia autem, *propter quam* defertur, dicitur *motivum* vel *objectum formale.* — *Cultus* distinguitur ab *adoratione;* licet enim aliquando adoratio, generali quodam sensu, pro cultu sumatur; communius tamen pro cultu *latriæ* usurpari solet.

346. Cultus *dividitur* multipliciter, prout spectatur vel ejus objectum formale, vel materiale, vel utriusque connexio.

347. *Spectato objecto formali*, cultus est *civilis* vel *sacer* seu *religiosus :* prout scilicet defertur ob excellentiam humanam et *naturalem,* vel cœlestem et *supernaturalem.* — Porro cultus sacer alius est supremus, alius subordinatus. *Supremus*, qui dicitur *latriæ*, *adorationis*, exhibetur ob excellentiam divinam seu increatam, ac proin competit Deo. Cum autem excellentia divina una sit in tribus Personis, una eademque adoratio illis debetur. — *Subordinatus* cultus tribuitur ob excellentiam supernaturalem creatam, a Deo participatam ; quæ si fuerit *communis*, cultus vocatur *dulia :* qualis locum habet in invocatione et veneratione Sanctorum ; imo honor qui exhibetur homini pio in terris ob ejus virtutes supernaturales, reducitur ad duliam. Si vero excellentia fuerit *singularis*, illa nimirum qua *Sanctissima Dei Mater* eminet, cultus vocatur *hyperdulia.* — Cultus subordinatus, ut patet, in Deum redundat.

348. 2° *Spectato objecto materiali*, distinguitur cultus *per se* et cultus *per accidens.* Etenim objectum quod colitur, -1) potest esse persona directe spectata, vel aliquid *ipsius*, i. e. aliquid cum ea substantialiter conjunctum ; ut Verbum, Christus, ejus humanitas, ejus vulnera, latus, cor divinum : tunc dicitur cultus *per se*, quia objectum colitur per se, seu in se spectatum : in se, inquam, spectatum, vel principaliter, vel concomitanter. -2) Objectum potest esse aliquid accidentaliter cum persona conjunctum : et tunc cultus est *per accidens ;* sic honoratur thronus et purpura una cum rege.

349. 3° *Spectata connexione objecti formalis cum materiali*

cultus est *absolutus* vel *relativus:* absolutus, si res colitur propter excellentiam propriam et intrinsecam, ut Deus, Christus, Christi humanitas, Sancti, viri eminentes ; — relativus, si propter excellentiam extrinsecam, ut imagines, reliquiæ Sanctorum. Dicitur cultus *relativus* vel *respectivus*, quia tantum defertur objecto propter respectum, relationem, habitudinem, quam habet cum alio, possidente excellentiam propriam ; ita ut duo sint objecta : alterum immediatum, quod recipit cultum *relative*, alterum mediatum, in quod *terminatur* cultus *absolute*.

350. In præsenti capite quæritur qualis, et quomodo cultus exhibendus sit Christo. Quæ quæstio dividi potest in duos articulos.

Articulus I, *de cultu debito Christo propter personam.*
Articulus II, *de cultu debito Christo propter beneficia.*

ARTICULUS I.

DE CULTU DEBITO CHRISTO PROPTER PERSONAM, SEU DE ADORATIONE.

351. De adoratione Christo debita perperam senserunt Apollinaristæ, Eutychiani, Nestoriani, recentiores Wicleffitæ et Sociniani plerique. — Nestorius statuebat exhibendam Christo adorationem, sed relativam, propter personam Verbi quam in se gestaret : *Propter latentem*, aiebat, *adoro spectabilem*. Hinc unam prædicabat adorationem, quam, maligno sensu, Christo homini intelligebat deferendam ob moralem cum Verbo conjunctionem, quomodo purpura cum rege adoratur ; reipsa vero duplicem inducebat adorationem, alteram seorsim Verbo, alteram seorsim Christo homini tribuendam.—Wicleffitæ dicebant, Christi humanitatem, in absurda hypothesi separationis ab hypostasi Verbi, omnino sicut Verbum adorandam esse. — Socinianorum est duplex factio : alii *adorantes ;* et hi Christum ut Dei legatum cultu relativo adorant ; alii *non adorantes*. — Eutychiani admittebant adorationem latriæ, propter *unitatem*, quam supponebant, naturæ humanæ cum Verbo. Apollinaristæ similiter admittebant adorationem Christi hominis propter carnem, quam fingebant cœlestem et consubstantialem Patri. — Catholici autem unam veramque exhibent Christo adorationem, propter unionem hypostaticam.

Propositio unica, *de adoratione Christi hominis.*
Quæstio.

PROPOSITIO.

Humana Christi natura, Verbo hypostatice conjuncta, uno eodemque absoluto latriæ cultu adorari debet, quo Verbi divinitas.

352. *De fide ;* contradictoria enim proscripta est in Concilio generali V, canone IX. his verbis concepto : *Si quis adorari in*

duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo et semotim homini : aut si quis, ad diremptionem carnis, aut ad confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam sive essentiam convenientium portentose dicens, sic adorat Christum; sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est ; tlis anathema sit [1].

353. Dicitur in propositione, *humana natura ;* quia potest Christus considerari ut homo, facta præcisione (non *exclusione*) ab ejus *natura* divina — Dicitur *humana natura hypostatice conjuncta*, ut indicetur non esse separandam, ne cogitatione quidem, humanitatem a *persona* Verbi, cum qua inseparabiliter conjuncta est in unum suppositum. — Dicitur *uno cultu*, ut excludatur omnis distinctio inter adorationem, quam præstamus Christo considerato ut est Deus, et eam quam præstamus eidem Christo considerato ut est homo. — Dicitur *cultu absoluto*, h. e. non respectivo, sed ob excellentiam propriam illius suppositi, illius hominis, Christi, quem adoramus.

354. PROB. 1° Scripturæ Christum adoratum et adorandum exhibent: *Undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum, adoraverunt.* Matth. XXVIII, 16, 17. — *Et quum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* Hebr. I, 6.

355. 2°. Hinc PP. perpetuo insectati sunt eos, qui vel ejusmodi cultum Christo denegabant, ut plures Ariani ; vel qui Christi humanitatis adorationem inficiantes, ut Apollinaristæ, Catholicos convicii causa vocabant ἀνθρωπόλατρας seu *hominicolas*. Omnibus istis obstiterunt PP. unanimiter docentes, Christi carnem, Verbo conjunctam supremo latriæ cultu esse adorandam ; ita Athan., Epiphan., Nazianz., aliique apud Petavium [2].

356. 3° Confirmant rationes theologicæ. Propter idiomatum communicationem, Christus homo, a Maria genitus, Deus est ; ergo adorandus. — Cultus non sistit in natura, vel in parte naturæ quæ colitur : sed terminatur ad subsistentiam seu personam in quam sua sponte refluit ; sic personam summi Pontificis colunt qui osculantur pedes ejus ; ergo dum colitur humanitas Verbi, ipsa Verbi persona colitur. Hæc autem persona divina est, et colenda cultu absoluto latriæ ; ergo eodem cultu adoranda est humanitas. — Neque possibile est, ut humanitas Christi seorsim a persona Verbi colatur : nam cultus omnis redditur personæ toti, *toti supposito ex subsistentia et natura concreto*. Quare Athanasius, in Epist. ad Adelphium : *Quis ita desipit, ut Domino dicat : Recede a corpore ut te adorem ?*

[1] Cfr. *Acta Conc.* Hard. tom. III, col. 198. — [2] Lib. 15, cap. 3, § 7 et seqq.

QUÆSTIO.

357. *An nulla ergo differentia, inter adorationem Christi ut est Deus, et Christi ut est homo, intercedit?* — R. Non datur inter utramque adorationem differentia ulla quoad actum cultus et objectum formale; sed datur aliqua quoad objectum materiale. Humanitas enim Christi, in Verbo subsistens, adoratur quidem directe, immediate et *per se*; non tamen propter se, *sed propter unionem hypostaticam*: Deus Verbum autem adoratur *per se et propter se*. In actu itaque adorationis Christi hominis, personalitas se habet ut objectum primarium, et ut materiale simul ac formale; humanitas autem, ut objectum secundarium, et ut materiale tantum.

ARTICULUS II.

DE CULTU QUI CHRISTO DEBETUR PROPTER BENEFICIA.

358. Specialem grati animi sensum ab humano genere deberi Christo, ut est Salvator et fons omnis nostræ spei, omniumque bonorum quæ nobis adveniunt, quis est qui non sentiat? Hujusmodi amoris et gratitudinis officium toto quidem cultu christiano, speciatim tamen cultu Sacratissimi Cordis Jesu, et confessione titulorum ejusdem piissimi Redemptoris persolvitur.

Propositio unica, *de cultu SS. Cordis Jesu.*
Quæstiones *de titulis Christi.*

PROPOSITIO.

Cultus sacratissimi Cordis Jesu, prout ab apostolica Sede probatus est, atque in Ecclesia catholica frequentari consuevit, pius est, et omni superstitionis labe immunis.

359. Propositio *certa*, ut patet ex censura duplici lata a Pio VI, in Constitut. *Auctorem fidei*, ad propos. 62am et 63am Synodi Pistoriensis. Prior his verbis concepta est: *Doctrina, quæ devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat* (synodus) *velut novas, erroneas, aut saltem periculosas; intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata: falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem injuriosa...*

360. Ex his censuris, simulque ex decreto S. Congregationis rituum, dato 6 Febr. 1765 ad Episcopos Poloniæ [1] et ex ipso officio SS. Cordis, apparet quodnam hujus devotionis objectum sit tum materiale tum formale, et quæ sit cultus species.

361. Cultus est *latriæ*, et quidem absolutus, quippe qui defertur objecto divino, unito substantialiter personæ divinæ.

[1] Cfr. Perrone, *De Incarn.* n. 548.

362. Objectum *materiale* seu *id quod colitur*, est *ipsum Cor Jesu*, quod actu in pectore Dei-Hominis palpitat, cor proinde personæ Verbi incarnati, a qua nequaquam separatur aut separari potest.— Objectum *formale* est ejusdem sanctissimi Cordis excellentia divina, oriens ex unione hypostatica.

363. Motivum autem speciale, propter quod Cor Jesu peculiari cultu honoratur, est multiplex : 1° quia istud sanctissimum Cor exhibitum est a Christo ipso tanquam piarum suarum affectionum sedes, quas Dominus nos ab ipso vult mutuari, dicens : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Matth. XI, 29. 2° Quia cor ex communi hominum sensu, et recepto universalique loquendi usu, a Scriptura ipsa consecrato, est symbolum amoris ; ac propterea Cor Jesu symbolum est immensæ illius charitatis et amoris, quo tot ac tanta Christus pro nobis fecit atque perpessus est ; potissimum vero, quo pro nobis instituit SS. Eucharistiam, Sacramentum amoris. 3° Quia per hoc SS. Cordis symbolum vehementer fideles incalescunt, tum ad recolendam Christi passionem, tum ad rependendum Christo amorem et grati animi sensum, pro tot ac tantis beneficiis ejus, tum ad reparandam ingratitudinem.

364. Symbolum amoris, quod in se exhibet Cor Jesu, motivum est tam intime cum illo Corde seu objecto materiali conjunctum, ut eodem cultus actu utrumque comprehendatur. Hinc colitur SS. Cor Jesu simul *in se* spectatum, ac prout est *amoris symbolum*.

365. PROB. Ut propositionis veritas pateat, sufficit ostendere 1° Cor Jesu in se spectatum, esse absoluto latriæ cultu adorandum ; 2° SS. Cor Salvatoris continere veram rationem, ut cultus speciatim ad idem SS. Cor dirigatur ; 3° hunc specialem cultum, tum ratione sui, tum ratione symboli, pium esse et immunem omni superstitione. Atqui hæc tria facile probantur.

366. Nam 1° SS. Cor Jesu, in se spectatum esse absolute adorandum, sequitur ex unione hypostatica.

367. 2° SS. Cor Jesu, spectatum symbolice, prout in Ecclesia proponi consuevit, continere rationem et fundamentum specialis honoris, patet explicatione n. 363 modo tradita. In illa enim indicantur tria saltem motiva exhibendi specialem cultum divino Cordi, quæ non æque militant pro aliis partibus dominici corporis ; ita ut SS. Cordis Domini eadem sit conditio ac quinque Vulnerum ejus, pretiosissimi Sanguinis, etc., quæ similiter speciali cultu Ecclesia voluit honorare.

368. 3° Cultus SS. Cordis esse pium, sequitur ex præcedentibus, ut patet. Nec quisquam Catholicus, in cultu ab universali Ecclesia recepto, et spiritualibus privilegiis aucto, superstitionis argui potest.

QUÆSTIONES.

1° *Quinam sunt Christi tituli et nomina præcipua?* — 2° *Quomodo Christus est Judex vivorum et mortuorum?* — 3° *Quomodo est Caput Ecclesiæ, hominum et angelorum?*

369. QUÆR. 1° *Quinam sunt Christi tituli et nomina præcipua?* — R. Titulus est nomen honorificum : qualia quidem sunt omnia nomina Christi, ita tamen, ut eorumdem nominum variæ species distinguantur. Alia enim sunt substantialia, alia attributionis, alia officii, dignitatis ac potestatis.

370. Nomina [1] substantialia sunt, quibus vocatur *Deus, Filius Dei, Homo, Filius hominis, Deus-Homo, Emmanuel.*

371. Nomina attributionis sunt quibus dicitur *Leo, Agnus, Stella, Flos, Virga, Mons, Lapis, Ostium, Via, Lux, Vitis.*

372. Nomina officii, honoris ac potestatis sunt : *Messias, Jesus, Christus, Mediator* et *Sacerdos, Propheta* et *Rex*, quæ præcipue ejus munia continent. Deinde alia sunt vel synonyma præcedentibus vel cum iis connexa : *Salvator, Redemptor, N. L. Pontifex, Doctor, Angelus, Apostolus, Legifer, Pastor, Dominus omnium, Judex vivorum et mortuorum, Caput Ecclesiæ, hominum et angelorum.*

373. Q. 2° *Quomodo Christus est Judex vivorum et mortuorum?* — R. Regia potestate includitur judiciaria ; ergo hoc ipso quod Christus est rex, etiam judex humani generis constitutus est. Sed et idem diserte testatur Scriptura : *Ipse constitutus est judex vivorum et mortuorum.* Act. X, 12. — *Pater... omne judicium dedit Filio.* Joan. V, 22.— Hæc porro judicis dignitas Christo, etiam ut homini competit ; scilicet Christus homo judex est, sed potestate divina.

374. Q. 3° *Quomodo Christus est Caput Ecclesiæ, hominum et angelorum?* — R. Christus est caput Ecclesiæ, quatenus hæc ut corpus mysticum, vel ex solis hominibus, vel simul ex hominibus et angelis constat. — Etenim Ecclesia, i. e. societas, corpus morale creaturarum quæ ad communem finem gloriæ cœlestis ordinantur, si universalissime sumatur, non solum homines complectitur, sed etiam angelos : cujus multitudinis, ceu familiæ mysticæ, Christus caput est, quia propinquius se habet ad Deum [2].— Solet autem Ecclesia accipi minus universaliter, pro solis hominibus : quatenus hi corpus mysticum constituunt ad gratiam et gloriam ordinatum. Hujus corporis mystici, quomodocumque spectati [3], etiam caput est Christus. Eph. I,20 : *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum... Et omnia*

[1] Cf. Becanus, *Analogia Vet. ac Novi Test.*, cap. 2, quæst. 5. — [2] S. Thom. p. 3, q. 8. art. 1. — [3] Vid. supra tract. *De Ecclesia*, cap. 1, n. 70 seqq.

subjecit sub pedibus ejus; et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.— Col. II, 10 : *Qui est caput omnis principatus et potestatis.* Ex quibus patet, -1) Christum esse caput, et quidem secundum naturam humanam, omnis *Ecclesiæ :* 2) caput *omnis principatus*, adeoque omnium *angelorum ;* -3) caput omnium *hominum*, siquidem omnia *subjecta sunt sub pedibus ejus.*

375. Hinc quoque patet Christum esse *caput universi mundi*, quare de ipso dicitur, Col. I, 15 : *Primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita sunt universa... Omnia per ipsum et in ipso creata sunt : et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant... ut sit in omnibus ipse primatum tenens... α et ω, principium et finis.* Apoc. I, 8.

376. Porro Christus est *angelorum caput*-1) ratione *ordinis et præeminentiæ;* -2) ratione *auctoritatis et potestatis*, quia scilicet est Rex et Princeps eorum ; -3) ratione *gratiæ*, accidentalis nempe, quam etiam in angelos influit ; quæque consistit, tum in variorum mysteriorum revelatione, præsertim Incarnationis, tum in gaudio quodam accidentali, quo angeli fruuntur ex salute nostra per Christum facta, et similibus.

377. Est *caput omnium hominum* in ordine gratiæ, sicut Adam in ordine naturæ. Humanum autem genus, ut dictum est, consideratum ut corpus in ordine gratiæ, dicitur etiam *Ecclesia :* unde dum Christus vocatur caput omnium hominum, hoc idem fere sonat, ac caput Ecclesiæ, lato quodam sensu acceptæ. Est autem Christus caput omnium hominum, quia omnes redemit. I Cor. XV, 22 : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.*

378. Est *caput Ecclesiæ*. i. e. non tantum eorum qui *actu*, sed etiam eorum qui solummodo *potentia* ad Ecclesiam pertinent. Homines enim ad Ecclesiam pertinere possunt vel actu, ut Catholici in terra, animæ patientes in purgatorio, Beati in cœlo ; vel solum potentia, ut omnes infideles donec vivunt. Tertia pars est, quæ neque actu neque potentia ad Ecclesiam spectat, scilicet damnati in inferno : hi, ut patet, a Christo penitus separati et alieni sunt ; quorum tamen manet dominator, et perversæ voluntatis ultor implacabilis : *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.* Joan. XV, 6.— *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum.* Phil. II, 10 [1].

379. Dicitur autem Christus caput Ecclesiæ tripliciter : -1) ratione *ordinis :* sicut enim caput est pars principalis homi-

[1] Cf. S. Thom. p. 3, q. 8. — Lessius, *De Incarn.* q. 8. — Suarez, t. 16, disp. 23.

nis, ita Christus Ecclesiæ, ob summam propinquitatem ad Deum. -2) Ratione *perfectionis :* sicut enim in capite vigent omnes sensus, cum in reliquis membris solus vigeat tactus ; ita in Christo omnium gratiarum plenitudo recondita est. -3) Ratione *virtutis :* sicut enim omnia membra a capite hauriunt vim et motum, sic omnia membra mystica Ecclesiæ a Christo motum gratiæ accipiunt, quo se ad opera vitæ æternæ moveant : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Joan. I, 16.

380. Hæc gratia Capitis [1] in Christo, a gratia unionis et a gratia personali distinguitur. Nam diversi sunt triplicis illius gratiæ effectus formales. Etenim gratiæ unionis proprium est, naturam humanam constituere substantialiter sanctam ; gratiæ vero personalis est, eam Deo acceptam reddere, et idoneam ad operationes supernaturales modo connaturali eliciendas ; gratiæ autem Capitis proprium est, jus et auctoritatem conferre regendi Ecclesiæ membra, et in ea per auxilia interioris gratiæ influendi. Hæc est *Gratia Christi*, de qua jam disserendum occurrit.

[1] Cf. supra, cap. 2, art. 4, quær. 6o, 7o, n. 263 seqq.

INDEX

EPISTOLA SS. DOMINI NOSTRI PII PAPÆ IX. Pag. I
PRÆFATIO ad lectorem. III

TRACTATUS I.

DE PRINCIPIIS THEOLOGICIS

CAPUT PRIMUM

DE THEOLOGIÆ NOTIONE.

ARTICULUS I. De Theologiæ definitione et objecto . 3
ARTICULUS II. De differentia Theologiam inter et Philosophiam 5
ARTICULUS III. De Theologiæ divisionibus seu speciebus 6
ARTICULUS IV. De Theologia positiva et scholastica. . 9
ARTICULUS V. De Theologiæ utilitate et fine . . 12

CAPUT SECUNDUM.

DE THEOLOGIÆ APPARATU.

ARTICULUS I. De apparatu theologico in genere . . 15
ARTICULUS II. De locis theologicis singillatim.

§ 1. De Scriptura. — § 2. De traditione. — § 3. De Ecclesia. — § 4. De Conciliis. *Conciliorum tabula.* — § 5. De SS. Patribus. *Catalogus Patrum, Doctorum et Scriptorum ecclesiasticorum præcipui nominis.* — § 6. De Theologis et Canonistis. — § 7. De RR. Pontificibus, seu de Sede apostolica. *Notitia summorum Pontificum insigniorum.* — § 8. De sana Philosophia. — § 9. De Jurisprudentia. — § 10. De Historia. *Syllabus hæreticorum* 16

ARTICULUS III. De propositionibus et conclusionibus theologicis.

§ 1. De propositione theologica. — § 2. De conclusione theologica 39

CAPUT TERTIUM.

DE THEOLOGIÆ HISTORIA.

ARTICULUS UNICUS. Historiæ theologicæ epochæ sex . 45

CAPUT QUARTUM.

DE THEOLOGIÆ METHODO.

ARTICULUS I. De methodo generatim 50
ARTICULUS II. De Theologiæ systemate, et methodo sequenda.

§ 1. De Theologiæ systemate. — *Methodus scholastica.* — *Summæ D. Thomæ conspectus.* — § 2. De methodo sequenda. *Methodus particularis.* — *Synthesis generalis, seu totius Theologiæ conspectus* 51

—

TRACTATUS II.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

INTRODUCTIO. § I. Argumentum, seu veritas in Tractatus decursu demonstranda. — § II. Errores contrarii. — § III. Principia quæ supponuntur. — § IV. Procedendi modus, ac divisio Tractatus 56

CAPUT PRIMUM.

DE RELIGIONE IN GENERE.

ARTICULUS I. De religionis notione.

QUÆSTIONES. 1. Quomodo Religio definitur et distinguitur ? — 2. Quid et quotuplex est cultus ? 62

ARTICULUS II. De Religionis necessitate.

PROPOSITIONES. I. De Religionis obligatione. *Objectiones.* — II. De cultu præstando. — III. De indifferentismo . . . 63

ARTICULUS III. De Religionis inquisitione.

PROPOSITIONES. I. De obligatione inquirendi. — III. De non excludenda ab examine religione revelata. *Object.* — III. De inquirenda revelatione. — IV. De ratione indagandi revelationem . 67

CAPUT SECUNDUM.

DE RELIGIONE REVELATA, SEU DE REVELATIONE GENERATIM.

ARTICULUS I. De Revelationis possibilitate.

PRÆNOTANDA. § I. Notio revelationis in genere. — § II. Objecta revelationis christianæ in specie. — § III. Revelationis adversarii 71

PROPOSITIONES. I. De possibilitate revelationis generatim. *Object.* II. De revelatione mysteriorum. *Oject.* — III. De revelatione legis positivæ 72

ARTICULUS II. De Revelationis utilitate.

PROPOSITIONES. I. De utilitate revelandæ legis naturalis. — II. De utilitate revelandæ legis ac religionis positivæ . . . 75

ARTICULUS III. De Revelationis necessitate.

PRÆNOTANDA. § I. Status quæstionis. — § II. Modus argumentandi 77
PROPOSITIONES. I. De insufficientia rationis vulgaris. — II. De insufficientia rationis philosophicæ. *Objectiones* . . . 78

ARTICULUS IV. De Revelationis cognoscibilitate.

§ I. *Explicatio criteriorum.*

QUÆSTIONES. I. Quid sunt criteria revelationis, et quomodo distinguuntur ? — 2. Quæ sunt revelationis notæ negativæ ? — 3. Quid est miraculum ? — Quomodo miracula dividuntur ? — 5. Quæ potest esse causa miraculi ? — 6. Quid est prophetia ? — 7. Quæ prophetiam inter et miraculum intercedit relatio ? 81

§ II. *Probatio criteriorum.*

PROPOSITIONES. I. De possibilitate miraculi. — II. De origine divina miraculi. — III. De impotentia creaturarum ad miracula, — IV. De cognoscibilitate veri miraculi — V. De vi probandi miraculorum. — VI. De possibilitate prophetiæ. — VII. De exclusiva origine divina prophetiæ. — VIII. De vi probandi prophetiarum 85
QUÆSTIONES. I. Quænam sunt regulæ ad dijudicanda miracula et præstigia ? — 2. Quænam sunt regulæ ad dignoscendas veras prophetias ? *Objectiones* 90

CAPUT TERTIUM.

DE REVELATIONE MOSAICA.

ARTICULUS I. De auctoritate librorum N. et V. Testamenti.

Bibliorum notitia. — PROPOSITIONES. I. De genuinitate librorum N. T. — II. De eorum integritate. — III. De eorum veracitate. — IV. De Moyse, vero auctore Pentateuchi. — V. De Pentateuchi integritate. *Object.* — VI. De ejusdem veracitate. *Object.* — VII. De auctoritate reliquorum, librorum V. T. 94

ARTICULUS II. De divinitate revelationis Mosaicæ.

PROPOSITIONES. I. De existentia veræ revelationis primævæ. — II. De legis Mosaicæ sanctitate. — III. De charactere divinitatis ejus intrinseco. — IV. De characteribus divinitatis ejus extrinsecis 104

ARTICULUS III. De relatione revelationis Mosaicæ cum religione Christiana.

PROPOSITIONES. I. De semine Christianismi contento in revelatione primæva. — II. De successione Christianismi contenta in revelatione Mosaica. — III. De termino legis Mosaicæ, qui Christus est 108

CAPUT QUARTUM.

DE REVELATIONE CHRISTIANA.

ARTICULUS I. De divinitate Christianismi testata ab extrinseco.

PROPOSITIONES. I. De tempore Messiæ in Jesu impleto. — II. De muniis Messiæ in Jesu impletis. — III. De dotis personalibus Messiæ in Jesu expressis. 114

ARTICULUS II. De divinitate Christianismi testata ab intrinseco.

PROPOSITIONES. I. De ipsius Christi doctrinæ excellentia. — II. De Christi suam missionem testantis personali auctoritate. *Object.* — III. De Apostolorum personali virtute. — IV. De Christi prophetiis. — V. De Christi miraculis. — VI. De miraculis Apostolorum. — VII. De christianæ religionis propagatione. — VIII. De ejusdem in mundo effectibus. — IX. De ejusdem in martyribus constantia. — X. De ejusdem perpetua stabilitate et conservatione. — *Objectiones* 119

ARTICULUS III. De divina Christianismi obligatione.

PROPOSITIO UNICA. De universali christianæ religionis obligatione. 132

APPENDIX. De cæterarum religionum inanitate.

§ I. Existentes per orbem religiones. — § II. Religionum omnium præter christianam inanitas. 133

—

TRACTATUS III.

DE ECCLESIA CHRISTI.

INTRODUCTIO. § I. Momentum hujusce Tractatus, et christiani orbis universi conspectus. — § II. Tractatus argumentum. — § III. PRÆVIÆ PROPOSITIONES QUINQUE : I. de unitate religionis Christi, 2. de perpetuitate genuinæ religionis Christi, 3. de immutabilitate ejusdem, 4. de integritate ejus servanda, 5. de tolerantismi protestantici inanitate. — § IV. Genuina Evangelii circa Ecclesiam Christi doctrina. — § V. Errores contrarii. — § VI. Tractatus divisio 139

CAPUT PRIMUM.

DE ECCLESIÆ CHRISTI CONSTITUTIONE.

ARTICULUS I. De Ecclesiæ institutione.

QUÆSTIONES de Ecclesiæ notione. 1. Quid significat *Ecclesiæ* vocabulum ? — 2. Quæ sunt variæ vocis *Ecclesiæ* acceptiones ? — 3. Quæ est essentialis notio veræ Ecclesiæ Christi ? — 4. Quomodo vera Christi Ecclesia definitur ? — 5. Quomodo differunt hæc tria : Fides, Religio, Ecclesia ? — 6. Quibus nominibus Ecclesia in Scriptura designatur ? — 7. Quibus figuris et parabolis adumbratur ? 152

PROPOSITIONES. I. De Ecclesiæ institutione. — II. De hujus institutionis fine. 157

ARTICULUS II. De Ecclesiæ natura.

QUÆSTIONES de notione potestatis Ecclesiasticæ. I. Quid est potestas universim sumpta, seu potentia ; et quomodo dividitur ? — 2. Quomodo distinguitur potestas moralis generaliter ? — 3. Quomodo dividitur quatenus est auctoritas ? — 4. Quæ est generatim potestas Ecclesiæ, et quotuplex distinguitur ? — 5. Quænam est doctrina Protestantium de Ecclesiastica potestate ? 159

PROPOSITIONES. I. De Ecclesiæ potestate triplici. — II. De subjecto potestatis seu clero. — III et IV. De hierarchiæ gradibus. *Objectiones*. — V. De hierarchico primatu. *Object.* — VI. De Ecclesiæ membris 162

QUÆSTIONES. I. Quinam ad Ecclesiæ corpus, tanquam membra, pertinent ? — 2. Quinam ad Ecclesiæ animam pertinent ? . 173

ARTICULUS III. De Ecclesiæ proprietatibus et notis.

QUÆSTIO PRÆVIA. Quid sunt proprietates, dotes et notæ Ecclesiæ ? 174

PROPOSITIONES. I. De Ecclesiæ necessitate. — II. De ejus indefectibilitate. — III. De ejus infallibilitate. — IV. De ejus visibilitate. — V. De ejus unitate. — VI. De ejus sanctitate. VII. De ejus catholicitate. — VIII. De ejus apostolicitate . . 175

CAPUT SECUNDUM.

DE ECCLESIÆ CHRISTI CUM ECCLESIA ROMANA IDENTITATE.

ARTICULUS I. De primatu Romani Pontificis . . 187

PROPOSITIO. De veritate primatus Rom. Pontificis. . . 189
COROLLARIA. De natura et juribus primatus Romani Pontificis . 190
QUÆSTIO. De jure divino Romanæ Sedis. *Objectiones*. . . . 191

ARTICULUS II. De notis veræ Ecclesiæ in Romana Ecclesia consideratis.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ I. Quis est proprius *notæ* conceptus ? — 2. Quotuplex notarum distinctio ? — 3. Quænam sunt conditiones ad veram notam requisitæ ? — 4. Quæ notæ Ecclesiæ assignantur a Protestantibus, quæ a Theologis catholicis ? . 192

PROPOSITIONES. I. De quatuor notis in genere. — II. De nota unitatis et sanctitatis in Ecclesia Romana. — III. De nota catholicitatis et apostolicitatis in Ecclesia Romana. . . 194

Objectiones 198

ARTICULUS III. De absentia notarum in sectis acatholicis.

PROPOSITIONES. I. De falsitate ecclesiarum protestantium. — II. De falsitate ecclesiarum orientalium 201

Conclusio 203

TRACTATUS IV.

DE REGULA FIDEI.

INTRODUCTIO. § I. Argumentum et ratio Tractatus. — § II. Notiones distinctæ de Regula fidei. — § III. Doctrina Ecclesiæ catholicæ. — § IV. Errores contrarii. — § V. Divisio Tractatus 205

CAPUT PRIMUM

DE SACRA SCRIPTURA.

ARTICULUS I. De inspiratione S. Scripturæ.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ. 1. Quid est divinitas et inspiratio Librorum SS. ? — 2. Quotuplex circa Scripturæ divinitatem et inspirationem quæstio moveri potest ? — 3. Quænam sunt Theologorum opiniones circa inspirationis modum et extensionem ? 209

PROPOSITIONES. I. De inspiratione Scripturæ. — II. De inspiratione Scripturæ quoad omnes partes. — III. De inspirationis modo 213

QUÆSTIONES: I. An inspiratio extenditur usque ad minimas etiam circumstantias ? — 2. An inspiratio extenditur usque ad verba ? 215

ARTICULUS II. De canone S. Scripturæ.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ. 1. Quid est *Canon* Scripturarum ? — 2. Quid libri canonici et canonicitas ? — 3. Quomodo libri sacri aliquando distincti fuerunt ? — 4. Quomodo differunt inter se Canon Judæorum et Canon Christianorum ? . . . 217

PROPOSITIONES. I. De Canone Tridentino. — II. De divinitate librorum deuterocanonicorum 220

Objectiones. 222

ARTICULUS III. De versionibus S. Scripturæ.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ. 1. Quo idiomate conscripti fuere libri, tum V. tum. N. Testamenti ? — Quæ sunt celebriores V. T. versiones ? — 3. Quænam dicitur versio *vulgata ?* — 4. Quid est authentia, et quonam sensu Vulgata a Tridentino declarata est authentica ? 224

PROPOSITIONES. I. De authenticitate Vulgatæ. — II. De ejusdem authenticitatis extensione 227

QUÆSTIO. De lectione Scripturæ in lingua vulgari . . . *ibid.*

ARTICULUS IV. De interpretatione S. Scripturæ.

QUÆSTIONES. 1. Quotuplex distinguitur in S. Scriptura sensus ? — 2. An præter sensum litteralem admittendus est mysticus ? 3. Ex quonam sensu argumentum deduci potest ad dogmata demonstranda ? — 4. An dantur plures ejusdem loci sensus litterales ? — 5. Quid est systema *Accommodationis* scripturisticæ Protestantium ? — 6. Quid est *Hermeneutica*, et quænam sunt studii hermeneutici subsidia ? — Quænam sunt regulæ in S. Scripturæ interpretatione sequendæ ? 228

CAPUT SECUNDUM.

DE SACRA TRADITIONE.

Quæstiones præviæ. I. Quid est Traditio, seu verbum Dei traditum? — 2. Quomodo distinctius Traditio definitur et dividitur? — 3. Quid protestantes, quid Catholici de Traditione sentiunt? — 4. Quænam sunt tria capita adversus Protestantes demonstranda? 233

Articulus I. De necessitate Traditionis.

Propositiones. I. De Scripturæ absentia in Ecclesiæ primordiis. — II. De Scripturæ defectu in docendis dogmatibus. — III. De Scripturæ obscuritate in plurimis 235

Articulus II. De existentia Traditionis.

Propositiones. I. De Traditionum divinarum existentia. — II. De earumdem auctoritate 237

Articulus III. De transmissione Traditionis.

Quæstio prævia. Quibus mediis Traditiones divinæ ad nos transmissæ sunt, et a nobis investigari possunt? 238
Propositiones. I. De Traditionum integritate. — II. De Traditionum testibus 239

CAPUT TERTIUM.

DE ECCLESIÆ MAGISTERIO.

Articulus I. De necessitate magisterii infallibilis.

Propositiones. I. De necessitate judicis controversiarum. — II. De inanitate systematum Protestantium 240

Articulus II. De infallibili magisterio Ecclesiæ.

Propositio unica. De Ecclesia, controversiarum judice constituta 243

Articulus III. De Ecclesiæ infallibilitatis objecto.

Propositiones. I. De infallibilitate Ecclesiæ in materia fidei et morum. — II. De infallibilitate ejus in factis dogmaticis . 244
Quæstiones. I. An Ecclesia infallibilis est in generali disciplina? — An in canonizatione Sanctorum? — 3. An in approbatione Ordinum religiosorum? — 4. An in Breviarii lectionibus? 247

Articulus IV. De Ecclesiæ infallibilitatis subjecto.

Propositiones. I. De jure doctrinali Episcoporum. — II. De infallibilitate Episcopatus per orbem dispersi. — III. De infallibilitate Episcopatus in Concilio congregati. — IV. De legitimitate Concilii Tridentini. — V. De infallibilitate propria Rom. Pontificis . . . . . *ibid.*
Objectiones. 254

Quæstiones. 1. Quænam circa auctoritatem R. Pontificis in judicio fidei, inter Catholicos unanimi consensu tenentur, quid vero aliquando fuit disputatum ? — 2. Quid est Gallicanismus ? — 3. Quid de superioritate Concilii supra R. Pontificem, aut, vice-versa, Pontificis supra Concilium, tenendum est ? — 4. Quænam est totius Theologiæ Generalis conclusio ?. . . 255

—

TRACTATUS V.

DE DEO DIVINISQUE ATTRIBUTIS.

INTRODUCTIO. § 1. Theologiæ dogmaticæ *specialis* objectum. — § II. Methodus qua in *Theologia speciali* procedendum est. — § III. Argumentum Tractatus de Deo divinisque attributis. — § IV. Doctrina catholica circa naturam divinam. — § V. Errores contrarii. — VI. Divisio Tractatus. 259

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA ET ESSENTIA DEI.

ARTICULUS I. De Dei existentia.

Quæstiones. 1. An Dei notio innata dicenda est ? — 2. An existentia Dei est prima veritas ? — 3. Quomodo nobis Dei existentia innotescit ? — 4. An hæc propositio : *Deus est*, est per se nota ? — 5. An Dei existentia ex ratione demonstrari potest ? — 6. Quænam afferuntur demonstrationes existentiæ Dei ? — 7. Quid, quotuplex est, et an vere existit atheismus ? — 8. Qui sunt atheismi fontes ? 265

ARTICULUS II. De Dei essentia.

Quæstiones. I. Quid est *essentia* entis generatim ? — 2. Quæ est essentia Dei physica ? — 3. Quid est *perfectio*, et quomodo Deus omnes perfectiones continere dicitur ? — 4. Quæ est essentia Dei metaphysica ? 270

CAPUT SECUNDUM.

DE DIVINIS ATTRIBUTIS.

ARTICULUS I. De Dei attributis in genere.

Quæstiones. Quid *attributum* in Deo, et quomodo divina attributa dividuntur ? — 2. Quid est *distinctio* et quotuplex datur ? — 3. Quænam distinctio in Deo admitti non potest, quænam vero admittenda est ? 274

Propositio. De attributorum et essentiæ distinctione . . 278

ARTICULUS II. De attributis Dei quiescentibus.

Propositiones. I. De unitate Dei. — II. De falsitate duplicis Manichæorum principii. — III. De falsitate pantheismi. *Objectiones.* — IV. De simplicitate Dei. — V. De infinitate Dei. — VI. De æternitate Dei. — VII. De immensitate Dei. — VIII. De immutabilitate Dei 280

Corollaria 287

ARTICULUS III. De attributis Dei operativis, seu facultatibus divinis.

QUÆSTIONES. 1. An et qualis datur in Deo intellectus? — 2. Quænam datur in Deo scientia? — 3. Quomodo scientia Dei est efficax et causa rerum? — 4. Quænam quæstiones circa scientiam Dei moveri solent? — 5. Ad quæ objecta scientia Dei extenditur? — 6. Quomodo scientia Dei dividitur? — 7. Quid vocatur *medium* scientiæ divinæ? — 8. An datur in Deo voluntas? — 9. Quotuplex in Deo voluntas distinguitur? — 10. An volontas Dei est libera? — 11. Quid est omnipotentia, et an hæc vere Deo competit? — 12. An vi omnipotentiæ semper impletur divina voluntas? — 13. An Deus necessario operatur ad extra, et in operando necessitatur ad optimum? — 14. An reipsa Deus potuit facere meliora iis quæ fecit? 288

ARTICULUS IV. De attributis moralibus.

PROPOSITIONES. I. De Dei sapientia. — II. De Dei bonitate, charitate et sanctitate. — III. De Dei voluntate salvandi omnes, saltem fideles. — IV. De Dei voluntate salvandi etiam infideles adultos. *Objectiones.* — V. De Dei voluntate salvandi etiam parvulos. — VI. De providentia Dei. — VII. De veracitate Dei. — VIII. De infinita Dei misericordia et justitia 296

—

TRACTATUS VI.

DE SS. TRINITATE.

INTRODUCTIO. § 1. Argumentum. — § II. Explicationes terminorum: quid sit *essentia, natura, forma, subjectum, substantia, subsistentia, suppositum, persona, personalitas, principium* et *causa, principium* QUOD, *principium* QUO, *origo* et *processio, generatio, relatio, ordo, Trinitas.* — § III. Doctrina catholica. — § IV. Errores contrarii. — § V. Divisio Tractatus 302

CAPUT PRIMUM.

DE SS. TRINITATIS VERITATE.

ARTICULUS I. De SS. Trinitate generatim.

QUÆSTIONES. 1. Undenam oriri nobis posse SS. Trinitatis notitia concipitur? — 2. Quid naturalis ratio valet ad cognoscendam et probandam SS. Trinitatis existentiam? — 3. Quomodo omnimoda rationis impotentia, sive ad probandum sive ad impugnandum hoc mysterium, ostenditur? — 4. Quomodo respondendum *objectionibus?* — 5. Quibus argumentis de existentia SS. Trinitatis, humanæ rationi certo constat? — 6. An mysterium SS. Trinitatis sub Vetere Testamento innotuit? — Ex quibus præcipue V. T. testimoniis, pluralitas ac Trinitas Personarum in Deo, eruitur? 313

PROPOSITIO. De veritate SS. Trinitatis 320

ARTICULUS II. De divinitate Filii et Spiritus S. in specie.

PROPOSITIONES. I. De divinitate seu consubstantialitate Verbi. — II. De personalitate et consubstantialitate Spiritus sancti. . 321

ARTICULUS III. De naturæ divinæ in tribus personis unitate.

PROPOSITIO. De unitate numerica naturæ, tribus personis communis 324

CAPUT SECUNDUM.

DE SS. TRINITATIS CHARACTERIBUS.

ARTICULUS I. De SS. Trinitatis characteribus in communi.

§ I. *De processione in divinis.*

QUÆSTIONES. 1. Quid est processio in divinis? — 2. Quot processiones dantur? — 3. Quæ sunt divinarum processionum proprietates? — 4. Quæ sunt earumdem principia? — 5. Quodnam est processionis Filii et Spiritus S. discrimen? — 6. Cur sola processio Verbi dicenda est generatio? 326

§ II. *De subsistentiis divinis.*

QUÆSTIONES 1. Quid est subsistentia in divinis? — Quot sunt in Deo subsistentiæ? — 3. An præter tres subsistentias relativas, admittenda est quarta communis? . . . 330

§ III. *De relationibus in divinis.*

QUÆSTIONES 1. Quid sunt relationes in Deo? — 2. An dantur in Deo relationes originis? — 5. Quot numerantur relationes originis? — 4. Quomodo relationes divinæ, tum ab essentia, tum inter se distinguuntur? — 5. An relationes divinæ sunt perfectiones? 331

§ IV. *De personarum proprietate.*

QUÆSTIONES. 1. Quid est personarum proprietas? — In quo proprietates sitæ sunt? 332

§ V. *De personarum notionibus.*

QUÆSTIO. Quid sunt, et quæ numerantur notiones in SS. Trinitate? 333

§ VI. *De approbatione et communitate in divinis.*

QUÆSTIONES. 1. Quid est, et an admitti debet appropriatio in divinis? — 2. An existentia communis est toti Trinitati? . . *ibid.*

§ VII. *De circuminsessione.*

QUÆSTIO. Quid est circuminsessio in divinis? . . 334

§ VIII. *De missione in divinis.*

QUÆSTIONES. 1. Quid est missio divinarum personarum? — 2. An divinis personis omnibus *mitti* competit? — 3. An missio est quid notionale et certis personis proprium? — 4. An personæ ab iis solis mittuntur a quibus procedunt? — 5. Quotuplex est missio? — 6. An Filius et Spiritus S. mittuntur quoties in anima operantur? — 7. An divinæ personæ mittuntur quoad substantiam? 34

§ IX. *De æqualitate et ordine divinarum personarum.*

QUÆSTIO. An inter divinas personas aliquis ordo existit aut subordinatio? 337

ARTICULUS II. De characteribus SS. Trinitatis in particulari.

§ I. *De variis divinarum personarum nominibus.*

QUÆSTIONES. 1. Quomodo divinarum personarum nomina generatim distinguuntur? — 2. Quænam sunt nomina primæ personæ Trinitatis? — 3. Quænam secundæ? — 4. Quænam tertiæ? . *ibid.*

§ II. *De Spiritus S. a Patre Filioque processione.*

QUÆSTIO PRÆVIA. Quænam controversia circa Spiritum S. Latinos inter et Græcos schismaticos existit? . . . 340

PROPOSITIONES. I. De Spiritus S. processione. — II. De insertione particulæ *Filioque* in Symbolo. — *Objectiones* . . . *ibid.*

§ III. *De modo loquendi circa SS. Trinitatis mysterium.*

Regulæ IX. 343

—

TRACTATUS VII.

DE CREATIONE ET PECCATO ORIGINALI.

INTRODUCTIO. § I. Argumentum Tractatus — § II. Doctrina catholica. — § III. Errores contrarii. — § IV. Divisio Tractatus 345

CAPUT PRIMUM.

DE MUNDO.

PROPOSITIO UNICA. De mundi creatione ex nihilo. — *Objectiones* 349

QUÆSTIO. De fine mundi creati 351

CAPUT SECUNDUM.

DE ANGELIS.

ARTICULUS I. De existentia et natura angelorum.

PROPOSITIONES. I. De angelorum existentia. — De angelorum spiritualitate. *Object.* — III. De angelorum super homines præstantia. — VI. De angelorum gratia originali. . . . 352

Quæstiones. 1. Quando angeli creati sunt? — 2. Quantus est eorum numerus? — 3. Quænam ordinum distinctio? — 4. Quomodo versantur in loco? — 5. Quanta eorum cognitio? — 6. Qualis voluntas? — 7. Quanta potentia? 355

ARTICULUS II. De lapsu angelorum.

Propositio. De lapsu et pœna angelorum 358

Quæstiones. 1. Quodnam fuit angelorum peccatum? — 2. Quanta fuit prævaricatorum multitudo? — 3. Quænam est inflicta pœna dæmonibus? — 4. Quare Deus angelis peccantibus non pepercit? 359

ARTICULUS III. De angelorum cum hominibus commercio.

Propositiones. I. De angelis custodibus. — II. De dæmonum adversus animas insidiis. — III. De dæmonum in hominum corpora nocumentis. — IV. De dæmonum possessionibus. . . 361

Quæstiones. 1. An singuli homines suum habent angelum custodem? — 2. Quænam angeli custodes obsequia præstant clientibus? — 3. Quænam signa sunt possessionis dæmoniacæ? — 4. Quædam ejusdem causæ? — 5. Quid de magia sentiendum? — 6. An singulis hominibus diabolus adjunctus est tentator? 363

CAPUT TERTIUM.

DE HOMINE EJUSQUE PECCATO.

ARTICULUS I. De hominis creatione ejusque statu primitivo.

Notiones præviæ explicantur: *naturalis conditio hominis, natura, naturale, connaturale, præternaturale, supernaturale, status supernaturalis, gratia sanctificans, justitia originalis, dona primitiva et gratuita, status varii humanæ naturæ*. . 367

Propositiones. I. De creatione Adami, humani generis protoparentis. — II. De hominis conditione naturali. — III. De protoparentum donis supernaturalibus. — IV. De ipsorum donis præternaturalibus. *Object.* — De omnium donorum gratuitate. *Objectiones* 372

Quæstiones. 1. Quandonam homo creatus est? — 2. Quomodo homo creatus est? — 3. Quid est humana anima? — 4. Quomodo homo est imago Dei? — 5. Qualis et quanta fuit primi hominis scientia? — 6. An Deus potuisset de potentia ordinata, hominem creare qualis nunc nascitur? — 7. Num homini, in puris naturalibus constituto, necessaria forent gratiæ auxilia ad legem naturalem adimplendam? — 8. Num humana natura, secluso peccato originali, nihilo deterior nunc est, quam foret in statu naturæ puræ. 377

ARTICULUS II. De lapsu primorum parentum, et peccato originali.

PROPOSITIONES. I. — De peccato propoparentum. *Object.* — II. De peccato originali. — III. De peccati originalis natura. — IV. De immunitate B. M. V. ab originali peccato. — V. De peccati originalis effectibus. — VI. De non sublato post peccatum libero arbitrio. *Objectiones.* 380

QUÆSTIONES. I. Quare diabolus, at protoparentes tentaret, usus est opera serpentis ? — 2. Quodnam specie fuit peccatum protoparentum ? — 3. An prævaricatione sua protoparentes commiserunt peccatum multiplex ? — 4. Quænam fuere pœnæ peccati illius ? — 5. Quomodo comminatio mortis, Gen. II, fuit ad litteram impleta ? — 6. Quomodo verificata fuit maledictio in serpentem lata. Gen. III ? — 7. Quantum est peccatum originale, seu originatum, prout inest Adæ posteris ? — 8. Quomodo peccatum originale definiri potest ? — 9. An peccatum originale est voluntarium ? — 10. Quomodo peccatum originale potuit esse voluntarium Adæ posteris, utpote nondum existentibus ? — 11. In quo peccati originalis mysterium consistit ? — 12. Quomodo in Adamo peccaverunt ejus posteri ? — 13. In quo sita est peccati originalis essentia ? — 14. Quomodo peccatum originale propagatur ? — 15. Quomodo ex parentibus baptizatis nascuntur filii inquinati ? — 16. Quodnam peccati originalis *debitum* habuit B. V. Maria ? — 17. Quinam sunt omnino peccati originalis effectus ? — 18. An omnes hi effectus habent rationem pœnæ ? 391

—

TRACTATUS VIII.

DE INCARNATIONE.

INTRODUCTIO. § I. Argumentum. — § II. Summa catholicæ doctrinæ de Incarnatione. — § III. Errores contrarii. — § IV. Vindices veritatis. — § V. Divisio Tractatus 400

CAPUT PRIMUM.

DE ADVENTU REDEMPTORIS.

ARTICULUS UNICUS.

PROPOSITIONES. I. De prima Redemptoris promissione. — II. De subsequentibus prophetiis, et exspectatione Redemptoris. — III. De identitate Redemptoris cum Jesu Nazareno . . 405

QUÆSTIONES. I. Quæ fuerunt, præter citatas in probatione prop. 2æ, reliquæ Christi Redemptoris figuræ ? — 2. Cur Redemptor non statim post Adami peccatum venit. 406

CAPUT SECUNDUM.

DE PROPRIETATIBUS REDEMPTORIS.

PRÆNOTANDA. Canonica de Christi proprietatibus documenta. — *Definitio Concilii Chalcedonensis.* — *Symbolum Athanasianum* 410

ARTICULUS I. De Christi divinitate.

PROPOSITIO UNICA. De identitate Christi cum Verbo, seu de Christo vero Deo 411

Objectiones 413

QUÆSTIONES. I. Quid de Incarnationis possibilitate dicendum? — 2. Quis fuit Incarnationis finis? — 3. An Incarnatio fuit conveniens? — 4. An fuit necessaria? 415

ARTICULUS II. De Christi humanitate.

PROPOSITIONES. I. De vera Christi humanitate. — II. De Christi nativitate ex Virgine. — III. De humanitatis Christi integritate. — IV. De Christi passibilitate et impeccabilitate. *Objectiones* . 417

QUÆSTIONES. I. An Verbum omnes humani corporis partes assumpsit *immediate* et *secundum hypostasin?* — 2. An et quomodo Christus per suam humanitatem miracula patrabat? — 3. Fuitne Christus homo *viator* an *comprehensor?* — 4. Quare Verbum naturæ humanæ defectus assumpsit? — 5. An assumpsit horum defectuum necessitatem? — 6. An Christus *fomitem* peccati habuit? — 7. Quænam differentia est inter impeccabilitatem Christi et impeccabilitatem B. V. Mariæ, Apostolorum, nec non Beatorum in cœlo? — 8. Quid de externa Christi specie dicendum est? — 9. An B. V Maria perpetuæ virginitatis votum emisit? — 10. An verum exstitit inter Mariam et Joseph matrimonium? 424

ARTICULUS III. De utriusque naturæ in Christo nexu.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ. I. Quibusnam modis *substantiæ inter se uniri* possunt? — 2. Quomodo duarum naturarum in Christo unionem perperam explicaverunt hæretici? — 3. Quomodo eamdem unionem factam esse docet veritas catholica? — 4. Quomodo *natura* et *subsistentia creatæ* inter se distinguuntur? — 5. Quid est natura *concrete* vel *abstracte* sumpta? — 6. Quomodo aliqua persona potest esse homo, quin sit persona humana? — 7. Quo pacto Christus homo est et tamen persona divina? 429

PROPOSITIONES. I. De unione hypostatica. — II. De duplicis naturæ distinctione. — III. De duplici voluntate in Christo . . 433

QUÆSTIONES *de hypostaticæ unionis proprietatibus.* I. Quænam sunt hypostaticæ unionis proprietates? — 2. An Christus, cum non habeat subsistentiam humanam, dici potest habere *humanitatem completam?* — An Verbum, uniendo sibi substantialiter humanitatem, nullam subiit mutationem? — 4. An nullo sensu unio Verbi cum humanitate dici potest *accidentalis?* — 5. Quomodo Christi operationes distinguuntur? . . . 437

ARTICULUS IV. De Christi persona in concreto.

PROPOSITIONES. I. De idiomatum communicatione. — II. De filiatione naturali. — III. De maternitate divina Mariæ . . 439

QUÆSTIONES. 1. An persona Christi potest dici *composita?* — 2. Quomodo incarnatio et nativitas Christi facta est? — 3. Quid circa mysteria vitæ, passionis, mortis et resurrectionis Domini notandum est? — 4. Quæ et quanta fuit in Christo scientia? — 5. Quæ et quanta fuit in Christo gratia? — 6. Quibus virtutibus ornata fuit anima Christi? — 7. Quomodo differt plenitudo gratiæ in Christo a plenitudine gratiæ in Sanctis? — 8. Quomodo Christus crevit sicut ætate ita sapientia et gratia? (*Luc. II*, 40, 52) 444

CAPUT TERTIUM.

DE MUNIIS REDEMPTORIS.

ARTICULUS I. De opere implendo.

QUÆSTIO PRÆVIA. Quodnam erat opus a Christo implendum in hoc mundo? 453

PROPOSITIO UNICA. De munere Christi quadruplici . . . 454

QUÆSTIONES. 1. Secundum quam naturam Christus fuit Mediator et Sacerdos? — 2. Quo sensu dicitur Christus *Sacerdos in æternum?* — 3. Secundum quam naturam competit Christo character Propheticus? — 4. Quomodo competit Christo dignitas et potestas Regia? 457

ARTICULUS II. De operis impletione.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ. 1. In quo consistit opus redemptionis a Christo impletum? — 2. Quid est redemptionis pretium? — 3. Quid est satisfactio? — 4. Quid meritum? — 5. An Christi redemptio fuit vera? — 6. An fuit universalis? — 7. An fuit mere impetratoria? — 8. Qualis fuit Christi satisfactio? — 9. Quanta fuit Christi satisfactio? — 10. An fuit ex rigore justitiæ? — 11. Quale et quantum fuit Christi meritum? . . . 458

PROPOSITIONES. I. De redemptionis veritate. — II. De redemptionis universalitate. — III. De satisfactionis veritate. — IV. De satisfactionis plenitudine. — V. De veritate et infinitate meriti. 462

QUÆSTIONES. 1. Quid Christus suis operibus meritus est? — 2. An sibi meruit unionem hypostaticam? — 3. An Christi meritis non evadunt superflua opera nostra? — 4. Per quos actus Christus meruit? — 5. Quare redemptio specialiter Christi *morti* adscribitur? — 6. Quænam circa Christi orationem sunt animadvertenda? 466

CAPUT QUARTUM.

DE CULTU REDEMPTORIS.

QUÆSTIO PRÆVIA. De cultu ejusque divisione . . . 469

ARTICULUS I. De cultu debito Christo propter personam, seu de adoratione.

PROPOSITIO. De adoratione Christi hominis 470

QUÆSTIO. De natura adorationis ejusdem . . . 472

ARTICULUS II. De cultu qui Christo debetur propter beneficia.

PROPOSITIO. De cultu SS. Cordis Jesu 471

QUÆSTIONES. I. Quinam sunt Christi tituli et nomina præcipua? — 2. Quomodo Christus est Judex vivorum et mortuorum? — 3. Quomodo est Caput Ecclesiæ, hominum et angelorum? . . . 474

PETIT ATLAS GÉOGRAPHIQUE DE LA BIBLE

D'après les documents anciens et les meilleures sources françaises anglaises et allemandes contemporaines

PAR L.-CL. **FILLION,** PRÊTRE DE SAINT-SULPICE
Professeur d'Ecriture sainte à l'Institut catholique de Paris
ET H. **NICOLE,** PRÊTRE DU DIOCÈSE DE REIMS

1 vol. grand in-4° composé d'un lexique et de 8 cartes teintées.

Prix net : 4 francs ; *franco* . . . . . 4 fr. 60

Cet atlas se compose : 1° d'un Lexique qui contient tous les noms géographiques mentionnés dans les livres de l'Ancien et du Nouveau Testament ; 2° des huit cartes dont on a le plus souvent besoin pour la lecture de la Bible et de l'Histoire Sainte, savoir : 1. La Table des peuples ; 2. La Terre de Gessen, la péninsule Sinaitique et Chanaan ; 3. La Palestine au temps de Josué, des Juges et des Rois ; 4. L'Assyrie, la Chaldée et la Perse ; 5. La Palestine au temps de Jésus-Christ ; 6. La Palestine contemporaine ; 7. Jérusalem ancienne ; 8. Géographie des Actes, des Epîtres et de l'Apocalypse.

Ouvrages de M. l'abbé FILLION :

ATLAS ARCHÉOLOGIQUE DE LA BIBLE, d'après les meilleurs documents, soit anciens, soit modernes, et surtout d'après les découvertes les plus récentes faites dans la Palestine, la Syrie, la Phénicie, l'Egypte et l'Assyrie, destiné à faciliter l'intelligence des saintes Ecritures. — 2e édition considérablement augmentée. — 1 volume grand in-4°, illustré d'environ 1400 figures. Broché . . . . . 20 fr.

ATLAS D'HISTOIRE NATURELLE DE LA BIBLE, d'après les monuments anciens et les meilleures sources modernes et contemporaines, destiné à faciliter l'intelligence des saintes Ecritures. — 1 volume gr. in-4°, illustré d'environ 1000 gravures. Broché. . . . . 20 fr.

ATLAS GÉOGRAPHIQUE DE LA BIBLE, d'après les documents anciens et les meilleures sources françaises, anglaises et allemandes contemporaines (*publié avec la collaboration de M. l'abbé H. NICOLE*). 1 vol. gr. in-4°, composé d'un lexique et 18 cartes teintées. Prix, broché. 20 fr.

Les trois ATLAS ci-dessus, *pris ensemble, net* . . . . . 40 fr.

ESSAIS D'EXÉGÈSE : Exposition, réfutation, critiques, mœurs juives, etc. 1 fort vol. in-12 . . . . . 3 fr. 50

L'IDÉE CENTRALE DE LA BIBLE, brochure in-8 de 51 pages. 0 fr. 60

Ouvrages de M. D. SCHILLING, ancien professeur au Gymnase catholique de Colmar.

METHODUS PRACTICA DISCENDI AC DOCENDI LINGUAM HEBRAICAM, *accedit anthologia cum vocabulario.* 1 vol. in-8. 4 fr.

ANTHOLOGIA HEBRAICA ex iis constans pericopis Biblicis quæ Messiam in carne venturum prænuntiant, cum *Vocabulario Hebræo-Latino*, in usum linguæ Hebraïcæ et SS. Theologiæ cultorum. 1 vol. in-8. 2 fr. 50

GRAMMAIRE HÉBRAIQUE ÉLÉMENTAIRE, suivie d'une anthologie et d'un lexique. 1 vol. in-8 . . . . . 2 fr. 50

VATICINIA MESSIANA Veteris Testamenti hebraïci exegetice et philologice dilucidata in modum *Chrestomathiæ hebraïcæ* ordinata, cum vocabulario hebræo-latino.

VOL. I. — **Vaticinia messiana Pentateuchi et librorum histor. Vet. Test.** 1 vol. in-8 . . . . . 4 fr. 50

VOL. II. — **Vaticinia messiana libri Psalmorum.** 1 vol in-8. . . 4 fr. 50

PRECES QUOTIDIANÆ hebraïce et latine ad usum SS. Theologiæ et Linguæ hebrææ studiosorum in Universitatibus catholicis et seminariis episcopalibus *collectæ et in Hebræum versæ.* 1 vol in-16. . . . . 5 fr.

NOUVELLE MÉTHODE PRATIQUE ET FACILE POUR APPRENDRE SANS MAITRE LA LANGUE HÉBRAIQUE. 1 vol. in-8 . . . . . 5 fr.

TRACTATUS CANONICUS DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

Auctore **P. GASPARRI,** Sacerd.

SS. D. N. Leonis PP. XIII Prælato Domestico, in Instituto catholico Parisiensi textus canonici professore, olim Romæ professore institutionum canonicarum in Collegio Urbano de Propaganda Fide, et sacræ theologiæ in scholis Seminarii Romani ad L. Appollinarem, 2 vol. in-8. Prix. . . . 13 fr.

(APPROBATIO)

Visa relatione scripta sacerdotis qui Rev. D. Petri Gasparri, Professoris Juris Canonici in Instituto Catholico Parisiensi, novum opus, cui titulus *Tractatus canonicus de sanctissima Eucharistia*, duobus voluminibus compactum, perlegit, illud non mode libenter typis edi permittimus, verum etiam omnibus clericis et sacerdotibus nostræ diœcesis enixe commendatum volumus. Sane quam plurimæ sunt leges ecclesiasticæ quæ de venerabili sacrificio et sacramento Eucharistiæ decernunt : aliæ scilicet respiciunt tempus celebrationis, aliæ locum, aliæ ministrum, nempe sacerdotem, aliæ sacrificii ritus et cæremonias, aliæ sacram communionem, etc. Porro has omnes leges docte et egregie exponit in præfato opere laudatus auctor, non prælermissis Rubricis, quæ etsi dicantur pertinere ad scientiam liturgicam, referri tamen debent ad jus canonicum, quia tandem sunt leges Ecclesiæ. Nec auctor, exscripsit doctores qui de eisdem rebus scripserunt; ipse enim ante omnia sacros canones in corpore juris, vel constitutionibus Romanorum Pontificum, aut Conciliorum Generalium contentos, sub oculis ponit et interpretatur, adhibitis, pro solutione difficultatum, innumeris Congregationum Romanarum, et præcipue Sacræ Congregationis Rituum, decretis ; unde ex genuinis fontibus certa, sana et tuta fluit doctrina canonica. Nec deest in sermone lucidus ordo, nec dicendi facilitas, nec argumentorum copia, nec verum difficilium facilis explanatio, ita ut præfatum opus omnibus numeris absolutum esse videatur : quod profecto auctori easdem doctrinæ ac scientiæ laudes apud eruditos conciliabit ac duo ejus priora opera de *Matrimonio et de Sacra Ordinatione inscripta.* FRANCISCUS CARDINALIS RICHARD. (EJUSDEM AUCTORE.)

TRACTATUS CANONICUS DE MATRIMONIO

Editio altera. 2 vol. in-8. . . 13 fr.

OUVRAGE HONORÉ D'UN BREF DE S. S. LÉON XIII

Ce traité a reçu l'accueil le plus flatteur à Rome, en Italie, en France, en Allemagne. Le Cardinal Archevêque de Paris, dans sa lettre d'approbation l'appelle : *opus eximium solidita et perspicuitate doctrinæ juri pontifico omnino consentaneum, valde utile sive theologis sive jurisperitis pro enucleandis et solvendis difficultatibus in hac materia frequente occurrentibus.* Il est l'exposé le plus complet du droit matrimonial catholique. . . .

TRACTATUS CANONICUS DE SACRA ORDINATIONE

2 beaux vol. in-8. Prix. . . . . 13 fr.

Cet ouvrage fait le plus grand honneur au docte professeur de droit canonique, et par contre-coup à la Faculté où il enseigne; plus complet, sous le rapport historique que le *Tractatus canonicus de matrimonio*, il possède toutes les qualités qui ont assuré le succès de ce dernier; il sera, en matière d'ordinations, ce qu'est le premier pour les affaires matrimoniales, un guide sûr et utilement consulté.

(*Le Canoniste contemporain*, A. BOUDINHON.)

IMPEDIMENTORUM MATRIMONII SYNOPSIS seu brevis expositio, auctore G. ALLÈGRE, doctore in S. Theologia et in Jure canonico, necnon S. Basilicæ Lauretanæ canonico. Quarta editio, 1 vol. in-12 . . 1 fr. 50

Telle qu'elle est, cette *Synopsis* est certainement un des meilleurs ouvrages qu'il y ait sur la matière où l'on peut croire à la continuation du succès d'un travail dont le cardinal d'Annibale, le savant canoniste, a facilité l'auteur par une lettre publiée en tête du volume. (*Univers.*)

DE MATRIMONIO et potestate ipsum dirimendi ecclesiæ soli exclusive propria, auctore J. P. MARTIN, S. J. 2 vol. in-8. . . . . 6 fr.

DE L'ÉGLISE ET DE SA DIVINE CONSTITUTION, par Dom A. GRÉA. 1 beau vol. in-8 . . . . . 5 fr.

« Vous avez fait là une œuvre de grande doctrine et de fort grand mérite : j'ajoute que vous y avez déployé une érudition remarquable et une connaissance peu commune des sources ecclésiastiques. » (Extrait d'une lettre de Mgr FOULON, arch. de Lyon.)

APOLOGIE DU CHRISTIANISME

AU POINT DE VUE DES MŒURS ET DE LA CIVILISATION

Par le **R. P. Albert-Maria WEISS,** de l'Ordre des Frères-Prêcheurs

Traduite de l'allemand sur la deuxième édition

Par l'abbé Lazare COLLIN et M. MIGY, et revue par l'auteur.

Première partie : L'Homme complet, 2 vol. in-8. Prix . . . . . 12 fr.

Deuxième partie : Humanité et Humanisme, 2 vol. in-8. Prix . . . . . 12 fr.

Troisième partie : Nature et Surnature, 2 vol. in-8 . . . . . 12 fr.

Quatrième partie : La Question Sociale et l'Ordre Social ou *Institutions de Sociologie*, 2 vol. in-8. Prix . . . . . 12 fr.

Cinquième partie : La Perfection, 2 vol. in-8. Prix . . . . . 12 fr.

« Nous considérons comme un devoir d'attirer sur cet ouvrage l'attention de nos lecteurs. C'est réellement une œuvre *grandiose*. Jamais, chez aucun auteur contemporain, nous n'avons trouvé une érudition si profonde, une telle richesse d'idées, une critique si approfondie, et des connaissances si vastes. »

(*Monatsschrift für Christliche Social réform.* Vienne, 1892).

« ... Je n'exagère pas en affirmant que l'œuvre du savant dominicain est, dans son genre, *une œuvre du premier mérite*. A la différence d'autres *Apologies* d'une tendance plus spéculative, elle ne sera pas seulement utile pour l'enseignement théologique : les prédicateurs trouveront dans bien des pages, à la condition de les méditer sérieusement, la matière de substantielles instructions, à la portée de tous les esprits cultivés : ceux que les *questions sociales, ouvrières, économiques, attirent, pourront puiser à pleines mains dans la IV^e^ partie.* »

(M. le chanoine Forget, prof. à l'Université de Louvain. *Science catholique.*)

« Quand un ouvrage aussi considérable et aussi sérieux qu'est l'*Apologie* Su R. P. Weiss atteint déjà sa troisième édition, c'est pour lui une recommandation meilleure que tous les *comptes rendus* les plus favorables. Aussi ne prendrons-nous pas la peine de recommander cette œuvre; nous nous contenterons seulement de dire à ceux qui ne la connaissent pas encore: *Prenez et lisez*. Dans l'intention de guérir les nombreuses plaies intellectuelles et morales de notre époque, le R. P. Weiss s'était proposé une *Défense de la morale chrétienne*, établie sur de vastes bases scientifiques. L'entreprise était audacieuse; mais le succès l'a justifiée. L'auteur a atteint son but de la manière la plus parfaite. Il nous a donné une exposition *magistrale* de la *Morale chrétienne* et une description brillante de sa beauté et de sa rationabilité ». (Ehr. Pesch. S. J. *Stimmen aus Maria-Laach.*)

« *Des œuvres comme celle-ci sont des œuvres qui demeurent*. Ce ne sont pas des caractères tracés sur le sable, que les pas des premiers venus effacent. Quiconque voudra écrire sur ces questions, et agrandir le cercle de ses connaissances, ne peut ignorer cet ouvrage qui est recommandable non seulement par l'abondance et la richesse des matières que l'auteur a puisées dans les temps anciens et modernes, dans les littératures de tous les peuples, et dans les domaines les plus variés de la science, mais par l'ampleur de coup d'œil, la force intellectuelle et l'originalité avec lesquelles il les expose sous le titre d'*Homme Complet*. Cet ouvrage apprendra encore quelque chose au *théologien* le plus instruit Le *prédicateur* en particulier y trouvera une abondance de pensées, de points de vue, de faits, de sentences qui seront pour lui un trésor dans lequel il pourra puiser à pleines mains pour l'instruction de ses auditeurs Le Rationalisme, le Protestantisme, le Moyen-âge, les temps modernes, l'idéal, la pédagogie, l'humanisme, l'humanité, la sainteté, le péché, la foi, la civilisation, l'humilité chrétienne, le caractère chrétien, le martyre, le stoïcisme, l'état, la vie de famille, etc., — autant de questions de la plus haute importance, — y sont traitées de *main de maître.* »

(Mgr D^r^ Hettinger, *in Literar Handweiser.*)

« Cette apologie, plus historique peut-être que dogmatique, est vraiment neuve, et dénote une érudition et une ampleur d'esprit peu communes. Histoire des religions et des civilisations, théologie, jurisprudence, littérature, arts, philosophie de tous temps, il a tout mis à contribution. La masse énorme des matériaux ne l'a pas écrasé. Il a su les choisir, les assortir à son plan. Le théologien, le philosophe, l'érudit, l'écrivain, tour à tour caustique et éloquent, marchent de pair chez lui et ne se nuisent pas. »

(Etudes religieuses.)

BIBLIOTHÈQUE THÉOLOGIQUE du XIX^e SIÈCLE

RÉDIGÉE PAR

LES PRINCIPAUX DOCTEURS DES UNIVERSITÉS CATHOLIQUES

19 forts vol. in-8. Prix : 95 francs.

La *Bibliothèque théologique du XIX^e siècle* est rédigée par des savants de premier ordre, dont la plupart professent depuis longtemps dans les grandes Universités catholiques sur des matières diverses qu'ils se sont charges de traiter : nous pouvons donc affirmer sans crainte qu'elle réunit toutes les conditions propres à lui conquerir les suffrages du public éclairé.

La Dogmatique, par le docteur M.-J. SCHEEBEN, professeur au Séminaire archiépiscopal de Cologne, 4 très forts et beaux volumes, à 5 fr. le vol.

Histoire des dogmes, par le docteur Joseph SCHWANE, professeur à l'Université de Munster. Tome I. In-8 de III-796 p. . . . . 5 fr.

Droit canon, par le docteur Fréd.-H. VERING, professeur des deux Droits à l'Université catholique d'Heidelberg. 2 très forts et beaux vol. in-8 avec une excellente table . . . . . 10 fr.

Histoire de l'Église jusqu'à nos jours, par le cardinal HERGENRŒTHER, 8 beaux volumes. Chaque volume. . . . . 5 fr.

Patrologie, par le docteur ALZOG, professeur de théologie à l'Université de Fribourg. 1 fort vol. in-8 . . . . . 5 fr.

Théologie morale, par le docteur J.-Ev. PRUNER, supérieur au séminaire d'Eichstœtt. 2 forts vol. in-8. . . . . 10 fr.

Théologie fondamentale ou Apologétique, par le docteur HETTINGER, professeur à l'Université de Wurtzbourg. Tome I^er. 1 beau volume in-8 de 599 pages . . . . . 5 fr.

DICTIONNAIRE APOLOGÉTIQUE DE LA FOI CATHOLIQUE

Contenant les preuves de la vérité de la Religion et les réponses aux objections tirées des sciences humaines

Par **J.-B. JAUGEY,** prêtre, docteur en théologie

AVEC LA COLLABORATION D'UN GRAND NOMBRE DE SAVANTS CATHOLIQUES

Troisième édition, augmentée d'un supplément

1 vol. grand in-8 jésus de 3500 colonnes (1750 pages). Prix, broché. 25 fr.
Relié, dos en chagrin, plats en toile . . . . . 30 fr.

OUVRAGE HONORÉ D'UN BREF DE S. S. LE PAPE LÉON XIII

« Les missionnaires, les prédicateurs de stations, les conférenciers, tous ceux qui ont à résoudre des objections, à éclairer des doutes, à réfuter des sophismes, dans la classe éclairée où les difficultés sont tirées de la science orgueilleuse, comme dans la classe populaire où l'esprit d'erreur revêt une autre forme, tous trouveront dans le *Dictionnaire apologétique* la réponse qu'il serait si long d'aller chercher dans les ouvrages spéciaux, souvent hors de portée.

« Voilà pourquoi je voudrais voir cet admirable instrument sur la table de travail, dans nos presbytères, nos communautés vouées à l'enseignement de la foi, partout où l'on a à combattre, à instruire et à éclairer. »

(ANT. RICARD, *Prélat de la maison de Sa Sainteté.*)

Vient de paraître :

INSTITUTIONES METAPHYSICÆ SPECIALIS quas tradebat in collegio maximo Lovaniensi P. STANISLAUS DE BACKER, S. J. Tomus primus. *Cosmologia* cui adnexa est *Disputatio de Accidente.*

1 vol. grand in-8 . . . . . 5 fr.

Univers

430

240.8 Schouppe, Francis Xavier
S476 Elementa Theologiae Dog-
maticae, Vol. I

DATE	ISSUED TO

240.8
S476

430

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
1962

Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological
Union Library